100
5
5

THEATRUM
UNIVERSI JURIS,

AUTHORE

D. JOANNE BAPTISTA ARGYRO

CIVITATIS CASTRIVETERIS IN CALABRIA,
Utriusque Juris Doctore, Sacræ Theologiæ Professore,
& in Curia Romana Advocato.

OPUS POSTHUMUM

Summo studio, ac labore confectum, ac per annos triginta in Urbe Roma elaboratum, tum ex sacris Paginis, ac Sanctorum Patrum Commentariis, Legibus, tàm Pontificii, quàm Cæsarei Juris, Summorum Pontificum Constitutionibus, cum Supremorum Tribunalium Decisionibus, ac Juris Consultorum consiliis, & responsis:

ORNATUM

Plusquam viginti millibus Resolutionibus novissimis, Sacrarum Congregationum, signanter Congregationis rerum Consistorialium, Sacrorum Rituum, Sacri Concilii, Immunitatis Ecclesiasticæ, Episcoporum, & Regularium:

CONTINENS

Libros, seù Tractatus nonaginta quatuor, Disceptationes verò quasi ter mille:

UTILE

Omnibus Patriarchis, Metropolitis, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis inferioribus, Vicariis, Canonicis, Dignitatibus, Parochis, Clericis, Regularibus, Monialibus, Advocatis, Procuratoribus, & generaliter omnibus in Curiis, tàm Ecclesiasticis, quàm Laicalibus versatis.

TOMUS SECUNDUS,

Cum Indice Argumentorum, Verborum, ac plurimis mendis expurgatus, Summariisque ad singulas Disceptationes illustratus.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XII.

DICATUS.





ROMÆ, Excudebat Komarek in Viâ Cursûs MDCCXXXIV.
SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XII.

PONT. OPT. MAX.

JOANNES BAPTISTA CURLI

FELICITATEM.



Ominem sanè illum summis laudum præconiis ornare jure, ac meritò solemus, qui optimæ spei adolescentem propriis orbatum Parentibus, omnique mortalium auxilio destitutum, nullo licèt sibi affinitatis glutino, sed solâ naturæ communione conjunctum, qua humani nihil à se alienum putat, *domi suæ foveat,*

in p-

in filii locum adsciscat, cunctisque demùm humanitatis officiis, eò usque prosequatur, donec diligenti virtutum cultu in virum perfectum perducat, luceque publicâ dignum efficiat.

Hanc verò laudem, utcumque mihi comparaturum esse arbitratus sum; Pater Beatissime, *dum* Theatrum Universi Juris *eximii, doctissimique Viri Joannis Baptistæ Argyrò egregium fœtum, optimo Parente viduatum, è mediis tenebris, ubi diù inglorius jacuerat, magno pretio, nec impari diligentiâ redemi: nevè triginta annorum opus summo studio, ac labore confectum, atque Reipublicæ litterariæ tâm utile, tâmque proficuum, unàcum Auctore suo misere deperiret; more quodam adoptionis mihi primùm adrogare, atque Romanis Typis in venustiorem formam expolitum integrumque edere constitui; deinde non solùm adoptionis causam, Tibi, ut Pontifici summo, probandam referre (quod lege Curiata cautum olim fuerat) sed etiam hac ipsa editione, idem opus in Tuam Potestatem, ac Tutelam transferre ausus sum; ne scilicet Invidorum morsibus pateret, dum tanti Principis nomine gloriaretur. Audaciæ profectò, quin & temeritatis insimulari vererer, quod privatæ sortis, nulliusque meriti homo ad supremam Petri Sedem, quam magnitudine virtutis imples, qualecumque tandem munus Pontificiæ Majestati oblaturus accesserim; nisi ab hujusce accusationis metu illa Tua, in primis me clementia liberaret, qua videlicet quorumcumque ordinum homines non modò non rejicere, non refugere, sed & allicere prorsus, & ad Pedes Tuos, atque ad beata colloquia provocare Romana Civitas admiratur. Inaccessa olim privatis hominibus fuerant Principum solia, nec minori, qua solent Imagines Sacræ, raritate, nisi statis per annum horis eorum vultus licebat aspicere, ut ipsa nempe accessuum difficultas, non tàm Dominorum Majestatem, quàm subditorum reverentiam commendaret. Tu verò contrà,* Sanctissime Pater, *solis adinstar, qui, ut ajebat Minucius,*

Cœ-

Cœlo affixus Terris omnibus sparsus est, *tot licèt, tantisque curis undique circumseptus, numquam tamen Paternâ Tui præsentiâ lucere omnibus desinis, Tuæque benignitatis radios in omnes effundere numquam cessas; adeo ut ipsa benefaciendi virtute, ac virtutis oblectamento, senectutis incommoda levare, ac pene reflorescere videaris. Atque utinam floreas diù, diùque vivas; atque* de nostris annis tibi Iuppiter augeat annos; *si enim vix una Imperii tui Olympiade reparatos arcus, & arces, adauctos fontes, strata viarum spatia, excitatas è solo Domos, Templa constructa, Ornatum Capitolium, Adriatici sinus omnium Terrarum Nationibus adapertos, rerumque faciem in melius mutatam, novo quodam quasi prodigio suspicimus; quid, quæso, boni haud erit nobis, Te diù sospite, expectandum? qui semper magna cogitas, majora exequeris, maxima polliceris, nec minima tamen despicis, dum meipsum Tuis Pedibus provolutum admittere neutiquam dedignaris.*

Quæ cum ita sint, oblatum Tibi munus, procliviori benignitate à Te excipiendum esse confido. Qui enim Ecclesiæ Fidem, Hierarchiam, privilegia, libertates, invicto, verèque Apostolico pectore, atque constantiâ tueris, ac promoves; quique, ut moribus ornas, ita sanctissimis legibus non Urbem, non Italiam unam, sed Orbem universum fortiter, ac suaviter emendas; nihil Tibi profectò gratius, acceptiusque esse potest opere illo, quo Catholicæ Fidei dogmata, Romanæ Cathedræ Jura, Ecclesiæ denique gradus, Canones, disciplina ritè, diligenterque digeruntur, atque illustrantur. Quod si meum, de hoc opere edendo, Tibique dicando consilium Tuâ auctoritate probaveris, jam satis me beatum esse, nihilque aliud in Terris optandum omninò arbitror, quàm diutiùs Tuo Judicio, ac Patrocinio frui.

LE-

L E C T O R I

M O N I T U M.

UT Ecclesiasticæ Hyerarchiæ legalis notitia continuaretur, meritò, postquam in priori Volumine actum fuerat de Summo Pontifice, ejusdemque Ecclesiasticis Ministris Superioris Ordinis, in hoc altero Volumine sermo erat habendus de Prælatis inferioribus, cæterisque sæcularibus Clericis secundùm eorum Ordinem, sicuti fuerunt in Ecclesia Dei armonicè dispositi. Horum itaque institutum, species, ministerium, aliæque notabiles qualitates opportunè recensentur. Accesserunt insuper pro majori operis ornatu Summaria ad singulas Disceptationes: quod ad eum finem, Candide Lector, factum putabis, ut nostrum in Te obsequium magis acceptum habeas. Vale.

Vo-

VOlumen Secundum, cui Titulus est: *THEATRUM UNIVERSI JURIS ad singulos Titulos Decretalium, nec non ad diversos Titulos Digestorum, & Codicis, Authore Rev. D. JOANNE BAPTISTA ARGYRO' Castri Veteris in Calabria*: Jussu Rmi Patri Fr: Jo: Benedicti Zuannelli Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Magistri volupè perlegi, nihilque in eo inveni, quod bonis moribus, & sanæ doctrinæ adversetur, sed cuncta Catholicis Dogmatibus, Sacris Canonibus, Civilibus legibus, & Sacrarum Congregationum oraculis consona sunt; Et propterea Typographica luce dignum censeo si videbitur eidem Rmo Patri Magistro Sac: Palatii Apostolici.

Antonius Flavius de Sanctis in Romana Curia Adv.

IM-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

N. Baccari Episc. Bojan. Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr: Joachim Pucci Magister, & Socius Reverendiss. Pat. Mag. Sac. Palatii Apostolici Ordinis Prædicat.

INDEX ARGUMENTORUM DISCEPTATIONUM

HUJUS SECUNDI VOLUMINIS

De Prælatis inferioribus Episcopis, & de Prothonotariis.

LIBER PRIMUS CONTINENS DISCEPTATIONES XIX.

De Vicariis, quicumque illi fuerint, sivè Apostolici, Generales, Capitulares, Foranei, & similes: ubi de illorum dignitate, potestate, auctoritate, atque officio.

LIBER QUINTUS CONTINENS
DISCEPTATIONES XVI.

DI-

De Canonicis, Dignitatibus, & Capitulo tàm Cathedralis, quàm Collegiatæ Ecclesiæ, ubi de illorum Dignitate, Officio, Munere, ac Potestate, suprà cœteros de Clero.

LIBER SEXTUS CONTINENS

DISCEPTATIONES XXXVII.

DISCEPTATIO III.

DISCEPTATIO IV.

DISCEPTATIO V.

DISCEPTATIO VI.

DISCEPTATIO VII.

DISCEPTATIO VIII.

DISCEPTATIO IX.

DISCEPTATIO X.

DISCEPTATIO XI.

DISCEPTATIO XII.

DISCEPTATIO XIII.

DISCEPTATIO XIV.

DISCEPTATIO XV.

DISCEPTATIO XVI.

DISCEPTATIO XVII.

DISCEPTATIO XVIII.

DISCEPTATIO XIX.

DISCEPTATIO XX.

De Parochis, Parochianis, & Parochialibus Ecclesiis, ubi quanta sit Parochorum dignitas, auctoritas, & potestas in eorum Ecclesia, & Populo sibi eisdem commisso: ac pariter quale sit munus, onus, & qualis honor eorumdem. Demum nonnulla circa novam provisionem faciendam de Pastore, ubi Ecclesia eo fuerit viduata.

LIBER SEPTIMUS CONTINENS

DISCEPTATIONES XXXIV.

De Clericis tàm in majoribus, quàm in minoribus Ordinibus constitutis. Ubi qualis debeat esse illorum vita, & honestas? Quænam sint illorum Privilegia? Quænam vitare debeant uti eis illicita, signanter cum mulieribus cohabitare, negotiationem exercere, in duello pugnare, ludere ludis prohibitis, crapulari. Rursus ibi, quid de peculio Clericorum acquisito ex bonis Ecclesiæ: quid de Clerico excommunicato, suspenso, vel interdicto ministrante: quid de Clerico infirmo, an privandus sit Beneficio, vel ei dandus Coadjutor: quid de Clericis Conjugatis: quid de Clericis bigamis: quid de Clericis sub ritu græco: quid de Clericis silvaticis; ad diversos titulos Decretalium.

LIBER OCTAVUS CONTINENS.

DISCEPTATIONES XXXVIII.

DI-

JOAN-

JOANNIS BAPTISTÆ ARGYRÒ DISCEPTATIONES ECCLESIASTICÆ,

De Prælatis inferioribus Episcopis, & de Prothonotariis.

LIBER IV. DISCEPTATIONES XIX.

ARGUMENTUM.

De Prælatis inferioribus Episcopis, ubi quinam comprehendantur sub hoc nomine, sive largo, sive stricto modo sumatur nomen hoc, etiam cum qualitate Nullius.

SUMMARIUM.

1 *Continuatur præcedens Rubrica de Prælatis.*
2 *Prælati ethimologia traditur.*
3 *Verbum* Prælatus *duplici modo accipitur.*
4 *Prælati in triplici specie constituuntur, earumque singularum specierum qualitas expenditur.*
5 *Prælati primæ speciei jurisdictionem habent restrictam intra ambitum Monasterii, vel Ecclesiæ respectivè.*
6 *Tales sunt Prælati Collegiatarum Secularium exemptarum.*
7 *Prælati secundæ speciei territorium dicuntur habere improprium, & cum jurisdictione Ordinarii compatibile.*
8 *Episcopus habet intentionem fundatam super competentia jurisdictionis in Diœcesi, usquequo territorium separatum concludenter probatum non fuerit.*
9 *Prælati tertiæ speciei sunt qui habent territorium separatum ab Episcopo omnino independens.*
10 *Prælati habentes territorium separatum manutenendi sunt in exercitio eorum jurisdictionis adversùs Episcopos.*

DISCEPTATIO I.

1 N præcedenti Tractatu, seù Libro, nonnulla adnotavimus de personis in eminentiori gradu constitutis, videlicet de Patriarchis, Primatibus, Metropolitis, Archiepiscopis, & Episcopis; sequitur pro recto ordine Ecclesiasticæ Hierarchiæ, ut aliquid dicamus de aliis Prælatis, in minori gradu, & dignitate constitutis. His positis: Hoc nomen *Prælatus* ortum habet à verbo *præeo*; eo quia sive
2 fuerit de majoribus, sive de minoribus semper aliis præest, quod vocabulum est commune omnibus illis, qui aliis præsunt. Nomen hujusmodi sumi potest
3 largo & stricto modo; etenim largo modo sumpto, veniunt omnes Archipresbyteri, Parochi, & similes curam animarum habentes, ad *Text. in cap. tua de Clerico ægrotante*, *Fagnan. in cap. cum ab Ecclesiarum num. 6. de Offic. ordin.* Necnon veniunt omnes Superiores Regularium Ordinum ad *Text. in cap. ad aures de tempor. Ordination.*, ubi *Fagnan. n.* 14. Strictè verò sumptum nomen

men hoc comprehendit tantùm Abbates, Præpositos, Priores, & similes habentes jurisdictionem activam in Clerum, & populum, vel in alios eisdem subjectos. Unde pro majori intelligen-
4 tia dicendorum, nota, tres dari species hujusmodi Prælatorum inferiorum, quarum.

Prima est Abbatum, Priorum, aliorumque Superiorum alicujus Ordinis Regularium, ut quisque respectivè est in suo Monasterio, Domo, vel Conventu, cum simplici tantùm exemptione ab Episcopis. Quod pariter videtur dicendum de plerisque dignitatibus Ecclesiarum Collegiatarum Clericorum secularium, qui quidem nullum habent Territorium, nisi illud spatium Monasterii, Collegii, Conventus, & similium; & sic jurisdictionem activam, quoad eosdem sibi subjectos, latè *Card. de Luca de jurisdict. disc.* 1. *Card. Petra ad Constitut.* 4. *Calisti III. sect.* 1. *num.* 6. *lib.* 5. *Rota in recent. part.* 10. *dec.* 343. *n.* 35.

Secunda species Prælatorum inferiorum, quo supra, est illorum, qui habent jurisdictionem spiritualem in Clerum, & populum secularem alicujus loci, seù plurium locorum, cum aliqua impropria separatione, & distinctione, scilicet quantum respectivè ad fines particulares illius loci, vel locorum, ad quæ se protendant; isti verò tales adhuc continentur in Diœcesi, & districtu alicujus Diœcesis: & licèt habeant jurisdictionem activam, quoad illorum subditos, sunt tamen sub passiva jurisdictione Episcopi Diœcesani in quampluribus; ac proinde illorum jurisdictio compatibilis remanet cum Episcopo, & lege Diœcesana, vel per concursum cumulativum, vel cum distinctione aliquorum actuum, vel cum aliqua subordinatione: quæ quidem loca non desinunt esse de Diœcesi, ad literam *Text. in cap. auditis de præscript. Card. de Luc. de jurisdict. d. disc.* 1. *n.* 9. *Card. Petra ubi supra num.* 6.

Et licet olim hujusmodi Prælatorum tàm primæ, quàm secundæ speciei, magna esset exemptio, hodie tamen per Concilium Tridentinum quasi ad nihilum redacta videtur, ob delegatam jurisdictionem, & sic Episcopi nisi ut Episcopi contra hujusmodi Prælatos procedere possint uti delegati Sanctæ Sedis Apostolicæ, ut nos lato calamo in præcedenti libro, ubi *de potestate Episcopi contra exemptos*, latè *Card. de Luca de jurisdict. disc.* 3. *n.* 5.

Tertia species talium Prælatorum inferiorum est maxima inter cœteros Prælatos hujus generis inferiorum: etenim isti in uno, vel pluribus locis habent jurisdictionem activam in Clerum, & populum eisdem subjectum, cum qualitate *Nullius*, territorii separati, & jurisdictione quasi Episcopali auctorizabili mediante separatione territorii; unde habent quamdã speciem distinctam territorii à territorio, & Diœcesi Episcopi; ideoque dicuntur veri Ordinarii locorum, ob jurisdictionem spiritualem privativè quoad Episcopum viciniorem, ut in nostra Calabria de Priore S. Stephani de Nemore, *Fagnan. in cap. relatum de Clericis non residentibus*, *Card. de Luca de jurisdict. d. disc.* 5. *n.* 10. *Card. Petra supra d. n.* 6. His positis de hac brevi distinctione.

Deveniendo ad primam speciem Prælatorum, dicimus eosdem nullam habere
5 jurisdictionem, extra eorum Monasterium, Collegium, Conventũ &c. & Monachos ibi de familia assignatos, ac commorantes, aliosve de familia ejusdem; sed tantùm eorum jurisdictio videtur restricta ad ambitum Monasterii, Col-
6 legii &c. & non ultra: Ut pariter videtur dicendum de Prælatis; seù Abbatibus Collegiatarum secularium exemptarum, jurisdictio quorum non extenditur ultra limites Ecclesiæ Collegialis, & domum illius, habentes primi Monasterium pro Diœcesi, & secundi Ecclesiam pro confini.

Circa verò Prælatos secundæ speciei:
7 horum Prælatorum jurisdictio compatibilis est cum Episcopo, & lege Diœcesana, neque hujusmodi loca licèt exempta, & licèt usurpent impropriam denominationem *Nullius* desinunt esse de Diœcesi, cum sint intra Diœcesim; & quamvis hujusmodi Prælatorum jurisdictio esset aliàs omnimoda: hodie verò per Tridentinum in quampluribus venit limitata, ob delegatam jurisdictionem, quam habent Episcopi in locis *Nullius*

lius secundæ speciei, ac in exemptos, & loca exempta, de quo nos *in tertio libro præcedenti discept.* 26. ubi latè.

Dixi, ut illorum jurisdictio sit compatibilis cum jurisdictione Episcopi, & lege Diœcesana; unde non obstat Episcopo, quin exerceat suam jurisdictionem in loco, ex quo Prælatus inferior habeat omnimodam temporalem jurisdictionem; ac proinde donec, & quousque ipse Prælatus non probet concludenter suam intentionem super Territorii separatione cum jurisdictione quasi Episco-
8 pali in locis ipsis, Episcopus venit manutenendus in suo jure exercendi actus jurisdictionales, uti delegatus Sanctæ Sedis Apostolicæ *Sac. Congr. Concil. in una Clusina Jurisdictionis* 21. *Aprilis* 1703. *Anglonen.* 17. *Novembris* 1714., *Cord. Petra suprà, num.* 14.

Circa illud quod respicit Prælatos tertiæ speciei, videlicet ubi illi habeant Territorium separatum loco Diœcesis,
9 contradistinctum à Territorio, & Diœcesi Episcopi, cum ipsi dicantur veri ordinarii in locis ipsis *Nullius*, hujusmodi Prælati circa actus jurisdictionales habent eamdem facultatem, ac habent ceteri Episcopi in eorum Diœcesi, non tamen circa ea, quæ respiciunt gradum, & dignitatem Episcopalem. In locis igitur separatis, probata concludenter separatione Territorii, vel origine, aut Privilegio Apostolico, vel immemorabi-
10 li præscriptione, non erunt molestandi ab Episcopo viciniore, quin ipsi valeant licitè exercere eorum auctoritatem, & potestatem, ut in sequentibus demonstrabimus.

ARGUMENTUM.

Qualitas Nullius *cum territorio separato, & Nullius Diœcesis, ex quibus contingere possit ostenditur, ubi de tribus modis.* V.G. *Origine, Privilegio, & Præscriptione. Quid & quantum operetur Possessio quadragenaria cum titulo colorato.*

SUMMARIUM.

1 *Territorium separatum acquiritur origine, Apostolico privilegio, vel immemorabili consuetudine secundùm distinctionem antiquiorum.*

2 *Diœcesum distinctio, & respectivè Prælatorum inferiorum jurisdictio, undè duxerint initium, latè traditur*, & num. 3. & 4..

5 *Verior est opinio quod omnia loca in aliqua Diœcesi contineantur; itaut nullus locus adinveniatur veluti acephalus.*

6 *Papa solus potest suo privilegio territorium separatum concedere*, & num. 7.

8 *Dismembratio Fortalitii Urbani ab Archidiœcesi Bononien. recensetur.*

9 *Territorii separatio ex Apostolico privilegio requiritur expressa, nec sufficit eam elicere ex verbis æquivocis.*

10 *Territorium separatum quomodo per immemorabilem possessionẽ acquiratur*

11 *Jurisdictio competens ex privilegio claro statim potest exerceri, quæ verò allegatur ex consuetudine immemorabili, usque dum per rem judicatam firmetur, non retardat Episcopo manutentionem*, & num. 12.

13 *Possessio pro acquirenda jurisdictione quasi Episcopali, debet esse privativa, pacifica, & non clandestina*, & n.15. cum seq.

17 *Actus turbativi, vel suffocati ab aliis per Episcopum gesti, non tribuunt Prælato inferiori possessionem manutenibilem*, & num. 18.

19 *Manutentio debetur Episcopo in exercitio jurisdictionis, quousque territorium separatum concludenter probatum non fuerit.*

20 *In conflictu probationum super exercitio jurisdictionis prævalent probationes Ordinarii.*

21 *Declara, nisi Prælatus inferior habeat privilegium clarum* num. 21.

22 *A confinibus temporalibus non rectè arguitur ad separationem territorii etiam quoad spiritualia*, & num. 23.

24 *Fines Diœcesum constituti sunt per Sedem Apostolicam.*

25 *Ad præscribendam jurisdictionem possessio requiritur cum bona fide.*

26 *Jurisdictio non præscribitur adversus Episcopum per illius non usum in aliquo loco Diœcesis.*

27 *Prælatus inferior non præscribit jurisdictionem adversus Episcopum, nisi*

data illius scientia, ac patientia, & num. 29.

28 *Episcopus conservat sibi jurisdictionem universalem per exercitium in aliquo loco Diœcesis*.

29 *Ad præscribendam jurisdictionem quasi Episcopalem sufficit etiam quadragenaria cum titulo colorato; sed vide* num. 35. & seq.

30 *Quadragenaria cum titulo colorato æquipollet centenariæ*.

31 *Titulus coloratus ad effectum præscribendi jurisdictionem quasi Episcopalem, debet ab eo provenire, qui potest titulum validum tribuere, & redditur ratio* num. 33. & 34.

DISCEPTATIO II.

IN calce præcedentis Disceptationis diximus, magnam esse potestatem Prælatorum tertiæ speciei, videlicet illorum, qui habent territorium separatum pro Diœcesi, & potiuntur in illo dignitate quasi Episcopali in Clerum, & populum: hinc
1 sequitur ut videamus, ex quibus contingere possit ipsa qualitas territorii separati, & demonstrabimus ad materiam contingere posse *Origine*, *Apostolico Privilegio*, & *immemorabili præscriptione*, ubi pariter quid operetur quadragenaria cum titulo colorato, ut latè ad materiam oculatissimus *Card. Petra ad Constitut.* 4. *Calisti III. sect.* 2. *lib.* 5. *per tot.* His positis.

Origine, seù *Nativitate*; hic nota, quia etsi Urbes, & loca, quibus Primates præsidere debent, non à modernis, sed etiam multis ante Christi ad-
2 ventum sint statutæ temporibus, quarum Primates etiam gentiles pro majoribus negotiis appellabant, *cap.* 1. 80. *dist.*, ut illic subnectit *Lucius* Papa; in ipsis Urbibus post Christi adventum Apostoli, & illorum successores, Patriarchas, & Primates posuerunt, ad quos Episcoporum negotia, salva in omnibus Apostolica auctoritate, & majores causæ post Apostolicam Sedem sunt referendæ. Et ut inquit *Clemens* Papa ad *Probum epist.* 1. relatus *in cap. in illis* 80. *distinct.* ibi: *In illis Civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi Flamines eorum, ac primi legis Doctores erant, Episcoporum Primates poni vel Patriarchas B. Petrus præcepit*, & inferiùs ibi: *In illis* (Civitatibus) *in quibus dudum apud prædictos erant Archiflamines quos tamen minoris esse tenebant, quàm memoratos Primates, Archiepiscopos institui præcepit*, ac demum ibi: *In singulis verò Civitatibus, singulos, & non binos, aut ternos, vel plures Episcopos constitui præcepit*; ita *Clemens loco proximè citato*.

At quia in hujusmodi Diœcesum, & Provinciarum divisione contigit, ut quædam loca remanerent omnino extra limites cujusque Diœcesis, ut suprà,
3 Episcopis assignatæ, quæ utcumque adjacentia uni, vel pluribus Diœcesibus, tamen in Nullius finibus apparebant inclusa, & hæc ab initio fuerunt Sanctæ Sedi Apostolicæ immediatè subjecta ad *Text. in cap. nulla* 93. *distinct.* Donec constitutis ibi Ecclesiis, seù Monasteriis, Summi Pontifices deputarunt Presbyteros, seù Abbates, qui illis præessent, & jurisdictionem loco Episcoporum in Clerum, & populum exercerent, ad *Text. in cap.* 1. *de verb. significat. in* 6., *& ex Concil. Carthaginensi* 2. *cap.* 5. relato *in cap. Felix* 16. *quæst.* 1. *Fagnan. in cap. nullus num.* 12. *de Parochis*.

Verum de hac nativa jurisdictione,
4 scilicèt *Origine*, ut suprà, multùm dubitavit Sacra Rota, negando hanc originariam Constitutionem loci *Nullius*, firmans in divisione Diœcesum nequaquam relicta fuisse loca absque capite, sed quoad unam, vel alteram Diœcesim, intra quarum ambitum existunt, illa spectare, & assignata fuisse, ita *Sa-*
5 *cra Rota in una Fulden. seù Nullius* 16. *Februarii* 1703. *coram Molines, & in eadem* 2. *Junii* 1710. *coram Ansaldo*, ubi magistraliter de hac materia.

Privilegio Apostolico. Transeuntes ad secundum modum, quo valet acqui-
6 ri qualitas ipsa *Nullius* cum Territorio separato, & cum jurisdictione quasi Episcopali in illo, dicimus secundo modo hujusmodi jurisdictionem acquiri per Apostolicum privilegium: etenim cum Papæ sit constituere Ecclesias, & unire illas, ubi opus esse judicaverit, tamquam supremi Pastoris, & universalis Ec-

7 Ecclesiæ Episcopi; sicuti valet dividere, & dismembrare illas, dismembrando loca ab Episcopali Diœcesi, ut novissimè fecit fel. record. Clemens XI.,
8 qui dismembravit Diœcesim Bononien. constituendo in Forte Urbano Prælatum *Nullius*, cum territorio separato, de quo Brevi dismembrationis *Emus Petra ad d. Constitut. 4. Calisti III. sect. 2. n. 14. ibi vide.*

Pontificium verò privilegium, aut diploma, debet expressè continere qua-
9 litatem *Nullius* cum territorio separato; nam aliter verba æquivoca, & quæ possunt adaptari ad alium sensum non sufficiunt ad constituendam plenam probationem, & ita *Rota in rec. part. 11. dec. 153. n. 6. & part. 13. dec. 334. n. 4. & part. 14. dec. 483. num. 7. & in una Leodien. Jurisdictionis 23. Jan. 1679. cor. Emerix jun. inter suas est dec. 395. & in altera Leodien. Jurisdictionis 13. Martii 1684. coram Caccia, & in alia Leodien. 11. Aprilis 1698. coram Molines, & in d. Diœces. 17. Junii 1699. coram Scotto, & in una Fulden., seù Nullius Jurisdict. 16. Februarii 1703. & 27. Aprilis 1705. utraque coram Molines, & in eadem 15. Junii 1711. §. Neque cor. Caffarello, Card. de Luca de Jurisdict. disc. 5. n. 12. Rot. cor. Card. Falconerio tom. 2. dec. 6. in una Burgen. Jurisdictionis 19. Februarii 1714.*

De tertio modo, quo valet acquiri qualitas *Nullius* cum territorio separato est *Præscriptio immemorabilis*, videlicet ubi inferior Prælatus in certa
10 parte Diœcesis tanquam in proprio territorio supra hominum memoriam, omnimodam exercet jurisdictionem, & eam exercuerunt sui antecessores Prælati, & sic illam quasi Episcopalem jurisdictionem exercuisset in Clerum, & populum, privativè quoad Episcopum, ad *Text. in cap. auditis de præscript. cap. cum olim eodem titulo, cap. eum personа de privileg. in 6. Archidiac. in cap. cum Episcopus de offic. ordin. in 6. Hostiens. in cap. cum contingat num. 1. de foro compet. Fagn. in cap. nullus n. 22. de Parochis, Gratian. discept. forens. cap. 212. Tondut. resol. benefic. cap. 60. n. 7. Pignatell. consult. Canonic. tom. 1. consult. 116. n. 1. Rota in una Marsicen., seù Nullius jurisdictionis 7. Junii 1700. §. Quinimmò coram Muto, & in alia Fulden., seù Nullius jurisdictionis 16. Februarii 1703. §. Quemadmodum coram Molines, confirmata 27. April. 1705. §. Stantibus coram eodem.*

Inter has duas postremas species, seù modos, qui suprà, acquisitionis quali-
11 tatis *Nullius* cum territorio separato, ea est differentia; nam quatenùs agitur de illa acquisita per Pontificium diploma, & privilegium, quoties illud fuerit clarum in genere suo, ac explicitum, statim meretur executionem, cùm voluntas Papæ habeatur pro inviolabili le-
12 ge. Si verò agatur de alio modo acquirendi per Præscriptionem licèt immemorabilem, ista opus est, ut sit canonizata, per tres sententias conformes, & interim Episcopus loci ordinarius propter Jus, quod ei assistit, manutenendus est in possessione exercendi jurisdictionem in locis controversis, ita *Fagnan. in cap. non potest n. 46. de sentent. & re judicata, Rota in d. Leodien. jurisdictionis 17. Junii 1699. §. Cum igitur coram Card. Scotto, & in d. Fulden., seù Nullius 16. Februarii 1703. coram Molines.*

Ad effectum hujus immemorabilis præscriptionis opus est, ut per ipsum Prælatum inferiorem probetur, se pacificè & nemine contradicente possedisse,
13 ac actus jurisdictionales exercuisse in Clerum, & populum, solitos fieri ab eo, qui plenariam habet jurisdictionem privativè quoad Episcopos; nam
14 aliter leves conjecturæ, & præsumptiones non sufficiunt, ad effectum, de quo agimus. Hinc actus facti ab illo, cui jus resistit, videlicet à Prælato inferiori, in concursu cum aliis factis ab Episcopo cui jus assistit, nihil ponunt in esse ad ejusdem Episcopi præjudi-
15 cium, & ad effectum ut impediri iste valeat in exercitio suæ fundatæ jurisdictionis, *Poss. de Manutent. observ. 45. num. 38. Rota in recent. part. 14. decis. 483. num. 19.*

Eoque magis, ac fortiùs, ubicumque actus, quos gessit Prælatus inferior, non constat fuisse, sciente, & patiente Episcopo loci ordinario factos, quod omninò
16 requiritur, ad hoc ut Prælatus inferior

rior possit dici acquisivisse quasi possessivam jurisdictionem, *Abbas in cap. olim num.*8. *& 12. de Restitut. spoliat. Rota d.dec.*483.*n.*18.*part.*14. *& part.*15.*rec. dec.*540. *num.*22., *& in d. Leodien.*17. *Junii* 1669. *coram clar.mem.Card.Scotto*, *vers. hinc*.

Tantoque fortiùs, ubi actus ipsi jurisdictionales, exerciti per ipsum inferio-
17 rem Prælatum, fuerint clandestini, ac turbativi, & suspecti, seu suffocati ab aliis actibus longè pluribus per Episcopum gestis: in quo casu actus isti gesti
18 per Prælatum inferiorem non valent constituere manutenibilem statum favore ejusdem, in quo Episcopus habet jurisdictionem in omnibus locis suæ Diœcesis; & proinde ob assistentiam juris, quam habet, ei competit manutentio,
19 usquequo non constet concludenter de bono jure ipsius Prælati inferioris, canonizato, ut diximus, per tres sententias conformes *Rot.d.dec.*395.*cor.Emer. jun.in una Leodien.* & in altera quoque *Leodien. super Manutentione* 29. *Aprilis* 1701. *coram Priolo*, *& coram Eminentissimo Falconerio dec.* 2. *num.*2. *tit. de offic.ordinar. tom.*2.

Imò in conflictu testium vicissim examinatorum, per Episcopum ex una, & per inferiorem Prælatum ex altera, super actibus jurisdictionalibus, semper erunt attendendi illi, qui faciunt pro Episcopo, ob juris assistentiam illi debitam; ita magistraliter *Jo:Andr. in d. cap. auditis de præscript. Rota rec. p.*5.*dec.*41.*n.*17.

Sed hoc intellige, nisi pro parte inferioris Prælati doceatur de Privilegio Papæ claro, & nulla indigente decla-
21 ratione, quo constituantur confinia territorii separati, ut dicit *Rota in una Burgen. jurisdictionis* 26. *Junii* 1709. *coram bon.mem. Lancetta, ubi alii DD.*

Neque facit pro ipso Prælato inferiore
22 ad effectum probandi locum esse *Nullius* Diœcesis, ostendere Castrum, Oppidum &c. & similem locum habere territorium separatum, & distinctum. Etenim hæc distinctio finium temporalium dari potest, vel ad effectum jurisdictionis secularis, vel ad effectum pascuorum,
23 vel aliorum jurium Civicorum, atque ut unus populus ab altero distinguatur; quod secùs videtur dicendum quoad territorium spirituale, quod non venit regulandum à singulorum locorum finibus, sed ab illis finibus, qui Cathedrali Ecclesiæ per Sanctam Sedem
24 Apostolicam attributi fuerunt, constituentibus unum, & idem territorium, seu corpus complexivum plurium Oppidorum, *Card. de Luca de jurisdict. disc.*1. *num.*17. *latè ad materiam S.Rota coram Card. Falconerio in una Burgen. jurisdictionis inter ejus impressas tom.*2. *dec.*6.

Ut locum habeat Præscriptio, de qua supra, favore Prælati inferioris, sive agatur de jurisdictione simplici, sive de jurisdictione cum territorio separato,
25 & qualitate *Nullius* Diœcesis, duo copulativè concurrere debent: Factum circa usum, & exercitium jurisdictionis, necnon bona fides ex titulo præambulo, ut notat *Abbas in capit. Auditis de præscript. Gratian. discept. forens. cap.*918. *n.*43. *Lotter. de re benef. lib.*1.*quæst.*24. *num.*209. *ubi alii Doctores*.

Respectu usus, & exercitii, non videtur sufficere non usus Episcopi; & econ-
26 tra usus Prælati inferioris non suffragatur eidem, nisi constet de contradi-
27 ctione ab initio, indeque sit decursum legitimum tempus ad præscribendum, ita *Innocent. in cap. dilectus de præscription.* Etenim eo ipso quod Episcopus exercet jurisdictionem in una parte suæ
28 Diœcesis, videtur saltem animo se extendere ad omnes alias partes illius, per contiguitatem locorum, ut benè ratiocinatur *Lotter. lib.*1.*quæst.*24.*sup. num.* 210.

Ac proindè Prælatus inferior, qui sua jurisdictione usus est in aliqua parte Diœcesis, animo acquirendi possessio-
29 nem, nihil videtur egisse, non data scientia, & acquiescentia Episcopi eandemmet jurisdictionem exercentis in aliis partibus, ut bene *Rota in una Gerunden. jurisdictionis* 5. *Martii* 1692. *coram Molines*, *& in alia Leodien. jurisdictionis* 11. *Aprilis* 1698. §. *prout coram eodem*, *utrobique DD.*

Quo ad secundùm sequitur, ut videamus quid, & quantum operetur possessio quadragenaria cum titulo colorato puta Apostolici privilegii, an videatur
30 sufficere favore Prælati inferioris, ad effectum docendi de suo bono jure, &

qua-

qualitate territorii separati, & Nullius Diœcesis? & certè quod sic: ad *Textum in cap. cum personæ §. quod si tales de Privileg. in 6.* concordat *Text. in cap. auditis, cap. cum olim de præscript.* ubi *Gonzalez num.8. & 9. Rota coram Priolo dec. 434. num. 15. & par. 16. recent. dec. 221. num. 6. & in una Marsicen. seu Nullius jurisdictionis super bono jure 7. Junii 1700. coram Muto, & in alia Nullius, sui Fulden. jurisdictionis super bono jure 1. Januarii 1708. §. verum, coram Ansaldo, Card. Petra ad Constit. Apostolicas lib. 5. fol. 107. num. 27.*

Etenim, uti aliàs diximus, centenaria
31 sine titulo, & quasi centenaria cum titulo colorato inter se comparantur, ad effectum inducendæ præscriptionis, ad literam *Text. in cap. 1. de præscript. in 6. Rota in una Nullius, seu Fulden. jurisdictionis 27. Aprilis 1705. cor. Molines.*

Titulus verò coloratus, quo supra, non suffragatur ubicumque ipse non profluit ab eo, qui dare possit illum, vide-
32 licet ubi exemptio, seu Privilegium Apostolicum territorii separati, non fuerit concessum à Papa, cujus est dividere, vel unire Ecclesias, ac Diœceses, ut notat magistraliter *Lotter. de re benefic. d. lib. 1. quæst. 24. num. 165. cum sequentibus, ubi DD.*

Ratio est, quia titulus minus justus, licèt de se præbeat causam præscri-
33 bendi, hoc venit tenendum in materia, cui jus assistit, non autem in materia, cui jus resistit; cùm Episcopus dicatur habere omnimodam jurisdictionem in Clerum, & populum suæ Diœcesis: accedente præsertim disparitate rationis, quia ubi jus non resistit, satis est
34 malam fidem abesse, quod secus est de materia, in qua jus resistit, quo casu requiritur bona fides positiva; quæ quidem bona fides nunquam inducitur attento juris errore, *Felin. in cap. de quarta n. 3. & 5. de præscript. Lotter. de re benefic. d. lib. 1. quæst. 24. num. 167. ubi alii DD.*

Hinc reclamantibus quamplurimis Episcopis Germaniæ, nonnullos Abba-
35 tes, ac inferiores Prælatos pretendere se habere territorium, cum qualitate & jurisdictione quasi Episcopali, adducentes pro eorum jure quadragenariam cum titulo colorato Apostolici privilegii, Clemens XI. felicis recordationis, annuendo illorum precibus, sub die 3. Augusti 1718. deputavit Congregationem particularem, ex Eminentissimis DD. Cardinalibus, & Prælatis Romanæ Curiæ, qui omnes, benè pensatis, ac consideratis rationibus adductis tàm ab ipsis Episcopis reclamantibus, quàm ab ipsis Prælatis inferioribus legitimè monitis sub die 3. Januarii 1722. statuerunt quadragenariam ipsam non sufficere ad inducendam qualitatem *Nullius* cum territorio separato, ex titulo colorato, ad effectum, de quo agitur, & sic quod locus controversus dicatur extra Diœcesim Episcopi, & *Nullius* cum territorio separato, & jurisdictione quasi Episcopali, nisi verè, & concludenter constet de Apostol. privilegio, mandante dismen-
36 brationem. Quæ resolutio fuit postea confirmata per dictum Pontificem sub die 14. Januarii ejusdem anni, de qua resolutione elaboratissimus? *Card. Petra lib. 5. Constit. Apostol. ad Constit. 4. Calisti III. sect. 3. in fin.*

ARGUMENTUM.

Prælati Inferiores Episcopis an præscribere valeant jura Episcopalia in præjudicium Episcoporum, & quæ jura sibi ipsis præscribere possint, quæ vero secùs?

SUMMARIUM.

1 *Prælatus inferior potest præscribere jura Episcopalia; quænam autem sint hujusmodi jura* num. 6. ad 11.
2 *Præscriptio jurium Episcopalium non currit Sede Episcopali vacante.*
3 *Episcopus dicitur habere intentionem fundatam super jurisdictione in omnibus Ecclesiis suæ Diœcesis.*
4 *Præscriptio jurisdictionis Episcopalis quomodo procedat juxta theoricam* Alexan. de Nevo.
5 *Præscriptio Prælati inferioris interrumpitur ab Episcopo etiam per unicum actum jurisdictionis.*
12 *Præscriptio debet esse legitimè probata, ad hoc ut Prælatus inferior possit manu-*

nuteneri, *aliàs manutentio debetur Episcopo*, & num. 13.

14 *Nuda possessio non tribuit Prælato inferiori manutentionē adversus Episcopū.*

15 *Jurisdictio præscripta à Prælato inferiori quoad certos actus*, *ad alios non porrigitur*.

DISCEPTATIO III.

Non levis est quæstio examinanda in hac præsenti disceptatione, an Prælati inferiores possint sibi ipsis præscribere jura Episcopalia, & quæ respiciunt Epi-
1 scoporum jurisdictionem, atque affirmativè respondendum videtur, ad *Text. in cap. auditis*, *juncto cap. cum olim de præscript.* ubi Canonistæ communiter cum *Fagnan. per totum*; *Card. Petra lib. 5. ad Const. 4. Calisti III. sect. 2. num.* 131.

Præscriptio verò, ut locum habeat, illa debet esse completa in genere suo,
2 de quo nos in præcedenti, sublato tamen tempore, quo Ecclesia Episcopalis erat viduata suo Pastore, ad *Text. in d. cap. auditis de præscript.* undè debet Prælatus inferior probare jus præscriptum per annos quadraginta, cum titulo privilegii, vel saltem centenariam sine titulo, aliàs præscriptio non nocet Episcopo, habenti assistentiam juris in omnes Ecclesias intra suam Diœcesim existentes. Cum omnia jura clament pro Episcopo, cui assistit jus ipsum super jurisdictione Episcopali in omnibus Ec-
3 clesiis, consistentibus intra fines suæ Diœcesis, sive illæ seculares, sive regulares existant, quamdiu non probentur exemptæ *cap. omnes Basilicæ* 16. *q.* 7. *cap. cum venerabilis de Relig. Dom.*, *Fagn. in cap. cum olim num.* 172. *de præscript.*

Sed ut evidentiùs appareat id, de quo loquimur, nobis visum est recensenda esse hic verba *Alex. de Nevo*, qui clariùs quàm cæteri exposuit *Glossam Innoc.*, ac sensum *Text. in d. cap. auditis*, *ubi sub num.* 25. tres constituit conclusiones per hæc verba = *prima sit conclusio* : *Si solus præscribens fuit usus jurisdictione*; *Episcopus autem infra tempus præscriptionis nullum actum jurisdictionis exercuit*; *videtur præscripta jurisdictio excluso Episcopo*. *Secunda conclusio* : *si appareat ex titulo præscribentis*, *quod præscribebat jurisdictionem excluso Episcopo*, *per solum exercitium jurisdictionis factum ab Episcopo interrumpitur præscriptio*, *etiamsi non prohibebat præscribentem uti jurisdictione &c. Tertia conclusio*: *Si ex titulo*, *vel alio modo non appareat præscribentem*, *excluso Episcopo præscribere*, *usus jurisdictionis Episcopi non interrumpsit præscriptionem*; *quia intelligitur præscribere cumulativè*, *& non exclusivè*.

Ad impediendam igitur præscriptionem, intentatam ab inferiori Prælato,
5 contra jurisdictionalia Episcopi, sufficit quod Episcopus intra cursum temporis ad præscribendum actus jurisdictionales exercuerit in loco, vel locis controversis; imò etiam sufficit unicus actus; nam hoc casu, cum præscriptio non dicatur completa; jura Episcopalia non videntur acquisita ipsi Prælato inferiori, ad *Text. in cap. auditis*, *ubi Fagn. n.* 3. *& per totum*, *de præscript. vers. reperi antiquos*.

Posito igitur quod Prælatus inferior legitimè præscripserit jurisdictionalia Episcopi; itaut attenta præscriptione prædicta mereatur nomen Ordinarii; sequitur, ut videamus primò quæ possit facere jure ordinario; deinde quæ nequeat facere, & quæ jura Episcopalia præscribere possit.

Primò præscribere potest ipse Prælatus inferior jus instituendi, & destituen-
6 di in Ecclesiis, & Capellis, ad *Text. in cap. cum olim de præscript.*, *cap. auditis eodem tit. & utrobique Fagn.*

Secundò præscribere valet jus tenen-
7 di fontem baptismalem, ad *Text. in cap.* 2. *de Capell. Monach. Fagn. in d. cap. cum olim*, *num.* 17. *& ibi Canonistæ communiter*.

8 Tertiò per ipsum Prælatum inferiorem præscribi potest jus sepulturæ, idest jus recipiendi aliquem liberè ad sepulturam, ad *Text. in cap. nimis iniqua* §. 1. *vers. & fratres de excus. Prælatorum*, *ubi Canonistæ*, *Fagn. in d. cap. cum olim n.* 25. *de præscript.*

9 Quartò potest per ipsum præscribi quarta decimarum, Episcopo debita, *Fagn. in d. cap. cum olim num.* 26. *de præscript.*

10 Quintò potest præscribi jus celebrandi

di divina in Ecclesiis Episcopo subjectis: *Fagn.* proximè citato *cap. cum olim de præscript. num.27. ubi DD.*

Sextò: Potest præscribere jus excommunicandi, interdicendi, & absolvendi: quod venit intelligendum respe-
11 ctu Clericorum, & Ecclesiarum sæcularium, nam subditos suos potest Prælatus inferior de jure communi excommunicare, interdicere, suspendere, & absolvere in casibus de jure permissis, *ad Text. in cap. cum in Ecclesiis de major. & obed. Fagn. d. cap. cum olim sup. n.28. & num.34. de præscript.*

Prælatus tamen inferior, ut juvari possit beneficio præscriptionis prædi-
12 ctæ, opus est, quòd probet, se legitimè præscripsisse jura ipsa Episcopalia, ad hoc ut obtineat contra Episcopum manutentionem ad *Text. in cap. cum olim de præscript. ubi Fagn. num.35.*, & concordat *Text. in cap. cum personæ de privil. in 6.* Nam aliter Episcopus manute-
13 nendus est in sua possessione, seu quasi possessione exercendi omnia jura Episcopalia sibi de jure competentia, *Fagn. in d. cap. cum olim num.46. de præscript.* & nos latiùs in præcedenti, ubi vide decisiones allegatas.

Inferior enim non potest juvari sola possessione nec obtinere contra Episco-
14 pum in interdicto retinendæ, ut ait *Bart. in l.1. §. hujus autem sub num. 3. ff. uti possidetis, Fagnan. d. cap. cum olim num.50. de præscript.*

Ubi verò Prælatus inferior ex privilegio, vel præscriptione non est in statu *Nullius* Diœcesis cum territorio separato, sed est simpliciter exemptus, vel præscripsit jura Episcopalia in aliquibus tantum casibus; tunc ipse non valet
15 absolvere à casibus Episcopo reservatis; quia cum inferior hoc casu adhuc remaneat subjectus Episcopo Diœcesano, nec ipse inferior possit quoad subditos casus sibi reservare, obstat illi reservatio Episcopi Diœcesani; undè ab ipso tantum absolutio petenda est, *Fagn. in d. cap. cum olim num.23. de Præscript.*

ARGUMENTUM.

Prælati inferiores Episcopis, & Nullius Diœcesis cum territorio separato an dicantur Ordinarii in ipsis locis Nullius? Vigore suæ Ordinariæ jurisdictionis an valeant contrahere debita, aut alienare bona Ecclesiæ eorum sub gubernio commissæ, & similia.

SUMMARIUM.

1 *Prælati inferiores cum territorio separato verè Ordinarii dicuntur*, & num.2.
3 *Territorium separatum debet concludenter probari.*
4 *Episcopus habet intentionem fundatam super jurisdictione in omnibus locis suæ Diœcesis*, & num. 6.
5 *Exemptio non est admittenda, nisi concludentibus probationibus justificetur.*
7 *Actus jurisdictionales exerciti per Prælatum inferiorem destruuntur per alios gestos ab Episcopo, nec sufficiunt ad obtinendam jurisdictionem.*
8 *Maximè non probata scientia, & patientia Episcopi* num. 8.
9 *Prælati inferiores cujuscunque speciei nequeunt alienare, seu alios actus facere suis Ecclesiis præjudiciales*, & num. 10. 11. & 12.
13 *Monasterium non tenetur observare factum Prælati sibi præjudiciale; nisi constet de utili versione*, & n.14. & 15.
15 *Prælatus ut obliget Monasterium ex suo facto debet utilem versionem concludenter probare.*
16 *Prælatus diffamatus de dilapidatione bonorum Monasterii, cogi potest ad redditionem rationis; atque interim ab administratione potest suspendi*, & num. 17. *Declara*, ut num.18.
19 *Prælatus Monasterii si de aliquo crimine gravi diffamatus existat, debet ab administratione omnino removeri.*
20 *Prælatus Monasterii ut ab administratione removeri possit propter dilapidationem illius bonorum, dilapidatio probari debet saltem per conjecturas legitimas*, & num. 21.

DISCEPTATIO IV.

PRælati inferiores Episcopis, & Nullius Diœcesis cum territorio separato an dicantur veri Ordinarii; ita ut possint exercere omnimodam jurisdictionem? & affirmativè respondendum
1 videtur, ad *Text. in cap. cum olim de præscript.* ubi *Fagn.num.*8. & sequentibus, & ibi Canonistæ communiter, *Geminian. in cap.cum Episcopus num.*4. *de Offic.Ordin.in* 6. *& DD. passim*.

Unde sequitur, ut ipsi valeant exercere in eorum districtu, & loco separato à jurisdictione Episcopi omnimodam
2 jurisdictionem, sicuti valent exercere Episcopi in eorum Diœcesi,ut nos in sequentibus. Unde quoad munus jurisdictionis Prælatus inferior, & Episcopus æquiparantur *Fagn. in cap.accedentibus num.* 29. *de excessib. Prælat. Abbas in Clem. Diœcesanis de vita, & honest. Cleric.Lotter.de re benef.lib.*1.*quæst.*24. *num.* 127. *Barbosa de jure Eccles.lib.*1. *cap.*17. *num.*94. *Card.de Luca de jurisdict.disc.*96. *num.* 19. *Rota rec.par.*17. *dec.*220. *num.*20. *& dec.*274. *num.*2.

Allegans verò habere jurisdictionem quasi Episcopalem, cum territorio separato,
3 non ex hoc liberatur ab onere probandi concludenter, ei competere talem jurisdictionem, vel origine, vel Pontificio privilegio, aut immemorabili præscriptione, aut quadragenaria possessione cum titulo putativo, aut centenaria sine titulo, ut demonstravimus supra *discept.*1. cum ex juris præsumptione omnia bona existentia intra fines alicujus Diœcesis, dicuntur de jurisdictione Episcopi Diœcesani *DD. communiter*.

Meritò etiam, asserenti suam Ecclesiam esse exemptam, & habere jurisdictionem
5 cum territorio separato, non est præstanda fides, nisi id doceat concludenter *Card. de Luca de jurisdict.disc.*3.*num.*4. *Rota in rec.par.*15.*dec.*340.*num.*17.

Nam, uti diximus, Episcopus habet intentionem fundatam exercendi suam jurisdictionem in omnes Ecclesias, & subditos suæ Diœcesis, utpote in suo
6 territorio existentes ad *Text.in cap.cum personæ de privileg. in* 6. *cap.conquerente de Offic. Ordin. Rota d. dec.* 340. *n.*1. *Fagnan.in cap. Nullus de Parochis, Barbosa de Episc. alleg.*127. *num.*23.

Hinc actus jurisdictionales gesti ab inferiore Prælato, ut illi prosint, cum facti fuerint ab eo, cui Jus resistit, in
7 concursu cum illis exercitis per Episcopum, cui Jus assistit, nihil ponunt in esse in præjudicium Episcopi, ut per ipsum Prælatum inferiorem dicatur acquisitum bonum Jus ipsius jurisdictionis *Bald. in cap. querelam n.*7. *de elect.Post. de manuten. obs.*45.*n.*38.*Rot.d.dec.*340. *num.*21.*par.*15. *rec.*

8 Maximè ubi non constat, actus jurisdictionales fuisse gestos sciente, & patiente Episcopo: quod omnino requiritur ad hoc ut Prælatus inferior intra fines Diœcesis ordinarii possit acquirere jurisdictionem *Rota d.dec.*340. *num.*22. *par.*15.*rec.*

Quoad secundum, sequitur, ut videamus, an inferiores Prælati, quicumque illi fuerint, valeant alienare bona Ecclesiæ eisdem sub gubernio com-
9 missæ, non impetrato Apostolico beneplacito? & negativè respondendum videtur. Etenim ipsi cum dicantur administratores, non autem domini bonorum Ecclesiæ, ut ex *Fagnan. in cap.*4.*n.*56. *de Transl. Episc.* diligenter tenentur custodire illa, ac omni studio curam illorum habere, ne dilapidentur; aliàs ipsi non erunt immunes à pœnis de jure latis contra alienantes bona Ecclesiæ, *Card. de Luca de alienat. bonorum Ecclesiæ disc.* 20. *num.*3. *& nos latè sub titulo de alienat.bonorum Ecclesiæ*.

Prælatus ergo inferior non solùm tenetur custodire bona sua Ecclesiæ, & non alienare illa, sed neque valet illa
10 concedere in feudum,emphyteusim &c. ut nos *d. titulo*, item neque potest mu-
11 tuam pecuniam accipere nomine suæ Ecclesiæ, & in præjudicium illius; nam superior Monasterii tenetur utilia agere, & inutilia prætermittere ad instar Procuratoris, ita *Bald. in l. licet C. de procurat. Cyriac.controv.*278. *num.*8.*& controv.*452. *n.* 7. *Rota recent. par.*15. *dec.*42. *num.*7.*,& * 227. *num.*6. *Card.de Luca de credito, & debito disc.*82. *n.*2.

Ita pariter non potest contrahere debita sub usuris, & hypotheca bono-
12 rum sui Monasterii: *Card. de Luca de regul.*

Regul.disc.55.n.1., & nos sub *titulo de Regularibus*.

Unde in casibus prædictis superior
Monasterii contrahendo debita vel alia
præjudicialia agendo, Monasterium non
tenetur observare facta ab ipso superio-
re, ubi aliquid gestum fuerit, non ser-
13 vatis de jure servandis; Etenim licet
superior dicatur Prælatus, & superior in
loco ipso, non tamen potest pro libito
suæ voluntatis, ea peragere, quæ præju-
dicialia sunt Monasterio, & bona illius
alienare, mutuò pecuniam accipere, &
similia peragere; Monasterium verò te-
netur per mutuam pecuniam acceptam
à superiore, ubicumque probatur illam
14 fuisse versam in utilitatem Monasterii,
vel ad illius utilitatem applicatam ad
*Text.in cap. quod quibusdam de fidejus-
sor. Auth. hoc jus porrectum C. de Sa-
crosanctis Eccles. Rota in rec. part. 15.
dec.42.num.3. & dec.227.num.2.*

Etenim ubi constet de utili versio-
ne pecuniæ, mutuò, vel sub usuris ac-
ceptæ, eam scilicet fuisse acceptam ad
utilitatem Monasterii, tunc Monaste-
rium tenetur restituere illam, ne Eccle-
15 sia, quæ est cultrix justitiæ, dicatur
velle locupletari cum aliena jactura,
quod esset scandalosum, ad *Text.in cap.1.
de solut. Rot. d.dec.227.n.2. par.15.rec.*

De versione tamen ipsa requiritur
concludens probatio, facienda per ipsum
met superiorem Monasterii, qui debi-
tum contraxit sine consensu Religioso-
rum ejusdem Monasterii, quod secus vi-
detur dicendum ubi consensus Religio-
sorum accessit *Mascard. de prob. concl.
1161. n.2. Rota d. dec.227.n.3.par.15.
rec.* ubi DD.

Sequitur, ut videamus quid agen-
16 dum sit de Prælato, seu superiore
Monasterii, qui diffamatus existit de
dilapidatione bonorum sui Monaste-
rii: & Doctores nostri communiter af-
firmant posse compelli ad reddendam
rationem administrationis; nam ex ea
cognoscitur, an verè dilapidator sit. Et-
enim legitur apud sacras paginas, quod
villicus ille, qui diffamatus fuerat pe-
nes dominum suum, quasi bona ipsius
dissipasset, audivit ab illo: quid hoc
17 audio de te? redde rationem villicatio-
nis tuæ; jam enim non poteris amplius
villicare: facit *Text.in cap. qualiter de
accusat.* ubi *Fagn. num.2.& seqq.*

Potest verò ipse Prælatus, & superior
Monasterii, pendente judicio inquisitio-
18 nis super ipsa dilapidatione bonorum,
removeri ab administratione, dum nego-
tium agitur, probata prius saltem suspi-
cione dilapidationis ad *Text. in cap. li-
cet Heli vers. quia verò, cap. per tuas
cap. fin. de Simonia.*

Et si crimen fuerit grave, tunc ipse
19 superior totaliter ab administratione
est removendus, ad literam *Text. in d.
cap. qualiter* ibi: *quatenus si fuerit gravis
excessus, & si non degradetur ab ordine,
ab administratione tamen removeatur
omninò*, & ibi *Fagn. num.74.& 75.*

Requiritur verò, ut probetur dila-
pidatio, ad hoc ut superior Monaste-
rii, quò suprà, vel quilibet alius Eccle-
20 siæ Prælatus, ab administratione remo-
veri possit saltem per conjecturas, &
præsumptiones, *Host. in cap. licèt He-
li num.9.de Simon.* & ibi *Jo:Andr.n.14.
Soccin.num.14.Fagn.n.11.*

Conjectura, & præsumptio fortis erit,
21 si probetur Monasterium per prius ha-
buisse magnas divitias, & tunc esse de-
bitis adstrictum, & ære alieno gravatum
*Fagn.d.cap.licèt Heli sup.num.13.& 14.
de Simon.*

ARGUMENTUM.

Prælati inferiores Episcopis, quocumque nomine vocentur, habentes jurisdictionem quasi Episcopalem cum territorio separato, quæ possint facere in eorum Diœcesi, & territorio cum qualitate* Nullius, *ubi per casus viginti tres.

SUMMARIUM.

1 *Prælatus inferior habens jus convocandi Synodum potest etiam literas dimissorias concedere.*
2 *Itidemque potest approbare Confessarios ad audiendas confessiones sæcularium.*
3 *Examinare testes super statu libero.*
4 *Denunciationes matrimoniales remittere.*
5 *Dispensare, atque absolvere in omnibus casibus, in quibus possunt Episcopi*

B 2 & 7.

& num. 7. *Contrarium sentientes recensentur* num. 6.

8 *Potest insuper licentiam concionandi concedere.*

9 *Prælatus inferior habens jus convocandi Synodum potest beneficia etiam curata prævio concursu conferre.*

10 *Nec non publicas supplicationes indicere.*

11 *Prælati inferiores habentes territorium separatum admitti debent ad Generale, sive Provinciale Concilium, in quo votum habent decisivum. Referuntur auctoritates in contrarium* n. 12.

13 *Possunt hujusmodi Prælati admittere resignationes, & permutationes beneficiorum.*

14 *Atque unire beneficia in suis territoriis consistentia.*

15 *Sunt Executores ultimarum piarum voluntatum instar Episcoporum.*

16 *An autem visitare possint Ecclesias suæ jurisdictioni subjectas privativè quoad Episcopum.*

17 *Possunt licentiam concedere Episcopo, ut Pontificalia in suo territorio valeat exercere.*

18 *Casus sibi possunt reservare ut Episcopi reservant.*

19 *Nec non licentiam alienandi bona Ecclesiæ concedere in casibus Episcopo permissis.*

20 *Possunt decimas exigere.*

21 *Atque exequi literas expeditas in forma* Significavit.

22 *Possunt insuper Ecclesias curatas perpetuò Monasterio unitas providere absque concursu.*

23 *Et quemcunque Episcopum benevisum vocare ad effectum administrandi chrisma in suo territorio, vel Ecclesias consecrandi.*

24 *Licentiam quoque Clericis suis concedere, ut à residentia possint abesse.*

25 *Ac demum absolvere subditos ob levem Clerici percussionem.*

DISCEPTATIO V.

PRælati inferiores Episcopis cum qualitate *Nullius*, & jurisdictione quasi Episcopali, cum dicantur Ordinarii in eorum Diœcesi & districtu; ut aliàs demonstravimus *sup. discept.* 4. meritò cum sint independentes ab Episcopis circa jurisdictionalia, plura exercere valent, ut ex infra demonstrandis.

Primò: Prælatus quo supra, quoties habuerit jus convocandi Synodum, privativè quoad Episcopum viciniorem, potest concedere suis subditis sæcularibus literas dimissoriales ad ordines suscipiendos *Barbosa de Episc. alleg.* 7. *n.* 8. *Tamburinus de jure Abbatum tom.* 1. *disp.* 11. *q.* 26. *num.* 1. *Campanilis diversi juris Canonici Rub.* 9. *cap.* 8. *num.* 4. *Gratian. discept. forens. cap.* 212. *num.* 48. *& seq.* quidquid in contrarium sentiat *Pignatell. tom.* 8. *cons.* 59.

1

Secundò: Possunt hujusmodi Prælati inferiores intra suos terminos, & Diœcesim, approbare Confessarios ad sæcularium confessiones audiendas, *Suarez tom.* 4. *disput.* 28. *sect.* 5. *num.* 3. *Campanil. divers. juris Canonici rub.* 12. *cap.* 13. *n.* 26. *Barbosa de potest. Episc. alleg.* 25. *num.* 5. *& seq. Tamburin. de jure Abbat. disput.* 10. *quæst.* 11.

2

Tertiò: Prælati inferiores possunt examinare testes pro statu libero probando suorum subditorum, matrimonium contrahere volentium, itaut illorum attestatio debeat ubique admitti *Panimolla decis.* 30. *annot.* 2. *n.* 19. *Pignatell. consult. Canon. to.* 1. *consult.* 371. *Sac. Congr. Concil. in una Papien.* 3. *Junii* 1651.

3

Quartò: Possunt hujusmodi Prælati denunciationes matrimoniales remittere vigore *Trident. sess.* 28. *cap.* 1. *de Reform. matrim. Sanchez de matrim. lib.* 3. *disp.* 7. *num.* 4. *Gratian. discept. forens. cap.* 83. *num.* 15. *Molina de ritu nupt. lib.* 2. *diff.* 11. *num.* 60. *Tamburin. supr. tom.* 2. *disp.* 8. *quæst.* 4. *Barbosa de Episc. alleg.* 32. *n.* 32. *Sac. Congr. Concil. in una Baren.*, *seu Nullius* 2. *Martii* 1624.

4

Quintò: Possunt hujusmodi Prælati absolvere, & dispensare in omnibus casibus, in quibus possunt Episcopi Ordinarii locorum vigore *Trident. sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform. Sayrus in Clavi regia lib.* 6. *cap.* 11. *n.* 83. *Avila de Cens. part.* 7. *disp.* 10. *dub.* 6. *Sanchez in Præcept. Decalogi lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 5.

5

Licet alii contrarium putent, moti ea ratione, quia *Trident. loc. cit.* cum videatur in hac parte derogare Juri com-

6

communi, meritò strictè sit accipiendum: itaut loquendo ibi de Episcopis, non videatur posse ad alios inferiores extendi *Ricc. in praxi decis.532. num.1. Barbosa de Episc. alleg.39. num.17. Fagnan. in cap. cum illorum num. 33. de Sent. Excomm.*

Sextò: Possunt hujusmodi Prælati
7 *Nullius* dispensare in omnibus casibus, in quibus dispensare possunt Episcopi, *Barbosa de Jure Eccles. lib. 1. cap.17. n.100. Flor. de Mena var. resol. lib.3. quæst.24. num.10. Gamb. de Legatis de Latere lib.10. num.432.*

Septimò: Prælati quo supra possunt
8 dare licentiam Concionatoribus, prædicandi verbum Dei in eorum Diœcesi *Nullius*, & approbare illos, cum dicantur veri Ordinarii in eorum Territorio separato, *Barbosa de Jur. Eccles. d. cap.17. n.101. Flor. de Mena d. lib.3. quæst.24. num.19.*

Octavò: Prælati hujusmodi, dum-
9 modò habeant Jus convocandi Synodum, conferre valent beneficia curata, ac concursum facere in illis providendis, *Riccius decis.424. aliàs resol.361. Massob. in praxi habendi concursum Requisito 1. dub.8. 11. & 21. & Requisito 2. dub.4. Sac. Congr. Conc. apud Garz. de Benefic. part.9. cap.2. num.131.*

Nonò: Prælati quò supra possunt
10 publicas processiones indicere: etenim licet jus indicendi publicas processiones sit de Jure Episcoporum; quia Prælati *Nullius*, habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, veniunt sub nomine Ordinariorum; ideò pariter videtur eisdem permissum publicas processiones indicere, *Rota rec. part.14. decis. 71. num.11. & 12. ubi DD.*

Decimò: Prælati quò supra cum qua-
11 litate *Nullius* possunt ad Concilium generale, seù Provinciale admitti, citari, & vocari, & in illo habent votum decisivum ratione jurisdictionis, *Campeg. de Conciliis cap.7. num.1.*

Licet contrarium teneat *Jacobat. eo-*
12 *dem tract. lib. 2. artic. 2. à num. 38. Alban. in simili tract. part.1. cap.6. n.3.* & ita servari in praxi docet *Flor. de Mena d. lib.3. quæst.24. num.38.*

Undecimò: Possunt Prælati quò su-
13 pra eorum auctoritatem interponere in permutationibus, & resignationibus beneficiorum purè, & simpliciter in eorum manibus factis, *Flor. de Mena d. lib.3. quæst.24. num.21. Barbosa de Episcopis allegat.69. num.4.*

Duodecimò: Possunt Prælati quò
14 supra unire beneficia existentia in eorum Diœcesi, & Territorio cum qualitate *Nullius*; *Barbosa de Episc. allegat.66. num.14. Vivian. de Jurepatronat. lib.14. cap.5. num. 34. Riccius decis.361. Fagn. in cap. sicut unire n.17. de Excess. Prælatorum*; ubi latè quando, & quoties. Nos latè de materia hac *sub titulo de Beneficiis*.

Decimotertiò: Possunt Prælati quò
15 supra exequi ultimas piorum fidelium dispositiones, sicuti possunt facere Episcopi, eo quia actus isti sunt actus simplicis jurisdictionis, *Covarr. in cap. Joannes de testamentis, Panimolla decis.12. annot.6. num.10. ubi DD.*

Decimoquartò: Possunt Prælati quò
16 supra visitare eorum Subditos privativè quoad Episcopum viciniorem, etiamsi Episcopus vicinior voluerit visitare illos jure extraordinario, & tamquam delegatus Sanctæ Sedis Apostolicæ vigore *Trid. sess. 24. cap. 9. de Reform. Flor. de Mena d. lib.3. q.24. num. 13.*

Quidquid contrarium habetur, ex *Trid. proxime d. c.9.* per *Rot. rec. par.15. dec. 340. num. 10.* quoad Ecclesias existentes in territorio Nullius.

Decimoquintò: Prælati quo supra
17 dare possunt licentiam alieno Episcopo ut valeat exercere Pontificalia in eorum Diœcesi, & territorio separato cum qualitate Nullius, *Flor. de Mena d. lib.3. qu.24. n.17. & DD. passim.*

Decimosextò: Prælati quo supra in
18 eorum Diœcesi, & territorio separato possunt sibi reservare casus, sicuti permissum videtur cuilibet Episcopo in sua Diœcesi: *S. Congr. Concil. in una Nullius 5. Febr.1650. lib.19. Decr. fol.26.*

Decimoseptimò: Prælati quo supra
19 possunt concedere licentiam eorum subditis alienandi bona Ecclesiæ in omnibus casibus, in quibus hoc videtur permissum Episcopis, *Corrad. in praxi dispens. Apostol. lib.9. cap.4. n.46. Panimolla decis. 30. annot. 2. num. 23. ubi alii DD.*

Deci-

Decimooctavò: Prælati quò supra
20 ratione plenariæ jurisdictionis in Clerum, & populum possunt exigere decimas, ratione Curæ, sicuti facere possunt Episcopi, quisque respectivè in sua Diœcesi, ubi adest consuetudo exigendi illas, *Rota rec. part.* 18. *decis.* 437. *num.* 14. *ubi DD.*

Decimononò: Prælati quo supra pos-
21 sunt exequi literas Apostolicas expeditas tàm per Datarium, quam Secretarium brevium, literas in forma *Significavit*, vulgò dictas *Scomuniche Papali*, & similes literas *Fagn. in cap. accedentibus num.* 37. *de excessibus Prælat.*

Vigesimò: Prælati ipsi inferiores quo
22 supra, sivè Sæculares, sivè Regulares illi fuerint, sivè quoque Commendatarii, possunt providere de Parochiali Ecclesia, nullo requisito concursu, quoties ipsa Parochialis Ecclesia fuerit perpetuò unita, & annexa ipsi Ecclesiæ Abbatiali, *Barbosa de Episc. alleg.* 60. *num.* 24. *& sequent. Gratian. discept. forens. cap.* 273. *num.* 48. *Pignatell. consult. Canonic. tom.* 10. *cons.* 70. *n.* 6. Et de Abbate Commendatario Nullius, seu S. Severinæ Parochialis *Rota* 12. *Jarii* 1660. *coram Bevilaqua, ubi DD.*

Vigesimoprimò: Prælati quo supra,
23 quisque in suo territorio, & Diœcesi respectivè, convocare potest Episcopum, quam ipse maluerit, pro administrando Sacramento Chrismatis populo loci, necnon ad effectum consecrandi Ecclesias, & similia *Fagnan. in cap. cum venissent de Sacra Unctione nu.* 8. *& in cap. Nullus de Parochis num.* 51. *Tondut. resol. benefic. lib.* 1. *cap.* 60. *num.* 3. *Rota in una Nullius, seu Marsicen. jurisdictionis* 7. *Julii* 1700. *cor. Muto. Card. Petra lib.* 5. *ad Constitut.* 4. *Calisti III. sect.* 2. *num.* 9.

Vigesimosecundò: Prælati quo supra,
24 datâ legitima causâ, possunt impertiri licentiam Clerico subjecto, ut à sua Ecclesia abesse possit; *ad Text. in cap. relatum de Clericis non resident. ubi Fagnan. num.* 5.

Vigesimotertiò: Prælati inferiores quo
25 supra habent in facultate potestatem absolvendi eorum subditos ab excommunicatione ob levem Clerici percussionem, *Abbas in cap. Monachi sub n.* 3. *de sent. excom. Franchus in cap. Religioso eodem titulo in* 6. *Fagn. in cap. pervenit n.* 10. *eodem titulo.*

Ratio est, quia Prælati inferiores habentes jura quasi Episcopalia cum territorio separato, gaudent omnibus privilegiis, quæ de jure competunt Episcopis, quoad jurisdictionem. Absolutio autem ab excomunicatione Canonis: *Si quis suadente Diabolo*, non est Ordinis Episcopalis, sed tantum jurisdictionis, ut docet *Cardin. cons.* 42. *num.* 3. Meritò quoque facultas ipsa videtur competere ipsis Prælatis inferioribus jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus, itaut valeant absolvere excomunicatum à Canone, quando Canon non reservat absolutionem, *Fagn. d. cap. pervenit num.* 13. *& seqq. ad finem de Sentent. excommun.*

ARGUMENTUM.

Quænam videantur interdicta de jure posse fieri à Prælatis inferioribus, primæ, vel secundæ speciei, quænam verò permissa, ubi nonnulla de Prælatis tertiæ speciei.

SUMMARIUM.

1 *Prælatus inferior non habens territorium separatum nequit alienum Episcopum vocare pro ministrando Sacramento confirmationis in sibi subjectos. Amplia* ut num. 2.

3 *Episcopo non licet Pontificalia exercere in alterius Diœcesi, absque expressa licentia Ordinarii.*

4 *Prælatus inferior jurisdictionem quasi Episcopalem non habens cum territorio separato, nequit casus sibi reservare in Sacramento Pœnitentiæ. Limita in Prælatis supremis Regularibus respectu ad suos subditos Regulares* num. 5.

6 *Item nequit cognoscere causas matrimoniales, sive criminales ipsius subditorum.*

7 *Neque approbare Confessarios ad audiendas confessiones subditorum laicorum. Hoc tamen Prælato licebit, quatenus habeat territorium separatum* num. 8.

8 *Rur-*

9 *Rursus nec potest licentiam concionandi concedere, nisi territorio separato fruatur*, & num. 10.

11 *Num verò possit hujusmodi facultatem præscribere per observantiam immemorabilem, Rota variavit.*

12 *Prælatus inferior cujuscunque fuerit speciei, nequit relaxare literas monitoriales, vulgò* Cedulones *excommunicationis, contra scientes, & non revelantes, & traditur praxis servanda in territorio* Nullius num. 13.

14 *Dispensationum matrimonialium executio non committitur Prælatis territorium separatum non habentibus, quamvis præscripserint jurisdictionem in causis matrimonialibus.*

15 *Quicunque Prælatus inferior potestatem sibi usurpare non potest concedendi indulgentias instar Episcopi. Item nec Vicarius Capitularis* num. 17.

16 *Facultas, qua pollent Episcopi, concedendi indulgentias, est actus jurisdictionis non verò ordinis Episcopalis.*

18 *Prælati inferiores quales, & quando jus habeant Synodum convocandi, expenditur*, & num. 19.

20 *Territorium separatum arguitur ex facultate Prælati inferioris convocandi Synodum.*

21 *Prælatus inferior sine territorio separato, nequit concedere institutionem auctorizabilem, quamvis ad ipsum spectet Beneficii collatio*, & n.24. & 25.

22 *Institutio, alia collativa, alia auctorizabilis nuncupatur.*

23 *Prælatus inferior acquirere potest jus concedendi eam institutionem, quæ dicitur collativa.*

26 *Prælatus inferior habens jus instituendi, & destituendi, potest deputare Vicarium pro administratione Curæ Ecclesiæ pleno jure Monasterio unitæ.*

27 *Nequit tamen curam formaliter committere.*

28 *Hujusmodi Prælatus an valeat literas dimissorias concedere, & quomodo.*

29 *Prælatus inferior etiam cum jurisdictione in subditos, sine tamen territorii separatione, nequit Ordinario impedire, quin valeat ibidem deputare Vicarium Foraneum.*

30 *Nec Sede Episcopali vacante, potest constituere Vicarium Capitularem.*

DISCEPTATIO VI.

Continuando materiam actuum competentium Prælatis inferioribus, vel illis prohibitorum, primo loco videre est an dicti Prælati primæ, & secundæ speciei, possint vocare quemlibet Antistitem, ad ministrandum Sacramentum Confirmationis, & Sacramentum Ordinis in proprio territorio exempto, & negativè respondendum videtur: Et-
1 enim ipsi cum non habeant verè qualitatem *Nullius*, ut nos in præcedenti; certum est, non posse sine licentia Episcopi, in cujus Diœcesi illi existunt, alium Episcopum vocare pro administrando Sacramento Confirmationis, *Barbosa ad Trid. sess.6. cap.3. num.13. de Reformat. idem de Epist. alleg. 30. n.15. & DD. passim, Sac.Congreg.Concil. in una Anglonen.* 30. *Januarii* 1717.

Quod videtur habere locum, etiam ubicumque Prælatus esset Episcopus titularis; nam absque licentia Episcopi veri Ordinarii, proximè relatos actus facere nequit, *Barbos. ad Trid. d. sess.6.*
2 *cap.5. n.15.* ex resolutione *Sac.Congreg. in una Veronen.* ibi = *Commendatarium Abbatiæ existentem intra fines alicujus Diœcesis etiam exemptæ, & habentis jura quasi Episcopalia non posse vocare quam maluerit Episcopum, pro administrando Sacramento Confirmationis suis populis, nisi de consensu & licentia Episcopi in cujus Diœcesi est Abbatia; ut sancitum est decreto Concilii sess. 6. cap. ultimo. Tom.1.Decretorum fol.*170.& ita *in una Lucana Castri Facuti tom.1. Decret. fol.*128.

Ratio ea est, quia isti actus spectant ad proprium Episcopum, nam alienus Episcopus in alterius Diœcesi, etiam in Ecclesia Prælati exempti, Pontificalia exercere nequit, ut expressum habetur in Conciliari decreto *Trid. sess.6.*
3 *cap.5. de Reform.* illis verbis = *Nulli Episcopo liceat, cujuscumque privilegii prætextu, Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci, expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subjectas tantùm*; ubi de pœnis contra aliter facientes. Secus verò est circa Prælatos tertiæ speciei, qui possunt

sunt convocare quemlibet Catholicum Antistitem, pro ministrando Confirmationis Sacramento, populo, ut nos in *præcedenti Disceptatione num. 23.* demonstravimus.

Juxta eamdem distinctionem Prælatorum, non valent Prælati primæ, vel secundæ speciei, reservare sibi casus in
4 Sacramento Pœnitentiæ, sed tantùm hoc facere possunt Prælati tertiæ speciei, & non immeritò quoad hujusmodi Prælatos tertiæ speciei; quia isti dicuntur veri Ordinarii in sua Diœcesi; ac proinde Prælati primi ordinis puta primæ, vel secundæ speciei hoc agere non valent, sed tantùm Episcopus loci Ordinarius facere hoc potest, ad disposita per *Trid. sess. 14. cap. 7. de Sacram. Pœnit.* quod procedit etiam quoad loca exempta, & *Nullius* impropriè *Sacra Congreg. Conc. in una Aquilana 14. Junii 1673.*

Quo verò ad Regulares, supremi
5 Prælati possunt sibi reservare casus, quia quoad ipsos Regulares animarum cura illorum est penes eosdem, *Quaranta in Summ. Bullar. verb. casus reservati n. 2. P. Matthæuc. in Offic. Regulari cap. 38. num. 39.* ubi DD.

Quoque Prælati primæ, vel secundæ speciei, quò supra, nequeunt cognoscere causas matrimoniales, seu criminales eorum Subditorum, scilicet existentium in territorio eorumdem, nihil obstantibus privilegiis, indultis, aut concessionibus; cùm hæc facultas videtur eisdem adempta per *Trid. sess. 24. cap. 20.* undè solius Episcopi est, in cujus Diœcesi existunt isti, cognoscere de causis criminalibus, vel matrimonialibus, amota quacumque consuetudine etiam quadragenaria; *Sac. Congr. Conc. in una Theatina 1614. Rota in Theatina Jurisdictionis 18. Februarii 1707., & 14. Maji 1708. coram Scotto, Emus Petra lib. 5. fol. 11. num. 47. & 48. ad Constit. 4. Calisti III. sect. 2. Sac. Congr. Concil. in una Anglonen. 30. Jan. 1717. ad dub. 3.*

Pariter videtur dicendum, hujusmodi Prælatos primæ, vel secundæ speciei, non posse sibi præscribere facultatem approbandi Confessarios ad audiendas Confessiones Sacramentales Fidelium laicorum; nam hoc tantùm spectat ad Episcopum, in cujus Diœcesi est ipsa
7 Abbatia *Nullius*, impropriè dicta, non obstantibus privilegiis, indultis, vel consuetudinibus in contrarium; undè quadragenaria cum titulo colorato non sufficit, imò derogatum extat consuetudini immemorabili, per literalem dispositionem *Concilii Tridentini sess. 23. cap. 15. de reform. ut dixit eadem S. Cong. Conc. in una Theatina anno 1612. & in altera 26. Septemb. 1615. Sublacen. jurisdictionis 10. Octobris 1676. in Beneventana jurisdictionis 4. Septembris 1677. & Burgi S. Sepulchri jurisdictionis 9. Septembris 1679.*

Hinc pendente judicio, super probatione immemorabilis, & qualitate verè *Nullius* tertiæ speciei, usque ad tres sententias conformes, vel unam transactam in rem judicatam, Episcopus manutenendus est in jure suo & non Prælatus inferior, de cujus jurisdictione controvertitur, ut notat *Barbosa ad Trid. d. cap. 15. n. 23. Pignatell. consult. Canonic. tom. 2. consult. 26. n. 25. Rot. cor. Zarat. dec. 10. num. 19. & coram Dunoz. jun. dec. 457. num. 8. & in Theatina jurisdict. 14. Decemb. 1708. §. qui cor. cl. me. Card. Scotto, & in una Valven. seu Sulmonen. jurisdictionis super Manutentione 2. Julii 1714. §. probata coram Card. Falconerio inter suas impressas est dec. 7. lib. 2. nu. 5. de Offic. Ordinar. tom. 2.*

Quæ tamen dixi, ut non liceat Prælatis inferioribus concedere dictam licentiam audiendi Confessiones Sacramentales personarum laicarum, sed id spectet ad Episcopum, procedunt in Prælatis primæ, vel secundæ speciei, non autem
8 in Prælatis tertiæ speciei, videlicet de habentibus territorium separatum cum jurisdictione quasi Episcopali, cum isti tales in eorum districtu, & Diœcesi habeantur ut veri Ordinarii; undè peragere debent omnia ea, quæ spectarent ad Episcopum circa jurisdictionem, *Rota coram Dunozz. Jun. dec. 988. n. 4. & in una Marsicen. seu Nullius jurisdictionis 7. Junii 1708. coram Muto; & in Theatina jurisdictionis 14. Maji 1708. §. Ponderabant cor. clar. me. Scotto.*

Succedit alius actus, qui juxta *Tridentini dispositionem*, *quo supradicto cap. 15.*

cap.15. nequit ab inferiori Prælato præscribi, sed privativè pertinet ad Episcopum, nempè actus concedendi litteras
9 concionandi, ex *Sacr. Concil. Trident. sess.24. cap. 4. de Reform.* ubi dicitur, munus prædicandi præcipuum esse Episcoporum, & quod per se, vel per alios de eorum licentia exerceri debeat, & nullus Sæcularis, sine Regularis etiam in Ecclesiis sui ordinis, contradicente Episcopo, prædicare præsumat, *& Congreg. Concil. in Calaguritana* censuit debere obtineri licentiam ab Episcopo, quoad concionare volentes in Ecclesiis subjectis Abbati Monasterii S. Mariæ Regalis dictæ Civitatis, qui Ordinarius in ea existit, ordinariam in Rectorem, Beneficiatos, atque Clericos jurisdictionem exercet, & ab Abbate, Episcopo offerendos, ut *lib.2. Decr.Sac. Cong. pag.260. & in Militen. in Oppido Drosi Nullius Diœcesis ad* 4. requiri Episcopi approbationem, quoad Confessarios, ut *lib.Decret.tom.4. fol.259.Card. de Luca de jurisdict. dec.21, n.29.*

Supradicta locum habent, quoad Prælatos primæ, vel secundæ speciei, non autem quoad Prælatos tertiæ speciei, scilicet habentes veram qualitatem *Nullius* cum territorio separato,
10 & jurisdictione quasi Episcopali *Sacra Cong. Conc. in una Vulturarien.* de qua *Pignatell. consult.canonic.tom.2.consf.26. num.25. Rota in Theatina jurisdictionis* 14. *Maji* 1714. *coram Scotto* §. *Ponderabant, & plenitis in eadem* 18. *Februarii* 1707. *&* 14. *Decembris* 1708. *coram eodem, & in una Valven. seu Sulmonen. jurisdictionis super manutentione* 2. *Julii* 1714. *cor. Emo Falconer. inter ejus impressas d. dec. 7. la 2. n.7. tom.2. tit.23.*

Sed numquid suffragari possit favore Prælatorum primæ, vel secundæ speciei immemorabilis præscriptio, & dubitavit
11 Rota; eo quia Concilium in hoc non derogavit dictæ consuetudini *in dicta Theatina* 14. *Maji* 1714. §. *insistentia coram Scotto.* Quamvis precedenter supposuerit non suffragari immemorabilem *in decisione ejusdem causæ* 14. *Decembris* 1708. §. *pari difficultate cor. eodem,* & hanc priorem opinionem sequuta fuit *Rota in d. Valven. seu Sulmonen. jurisdictionis super manutentione* 2. *Jul.* 1714. §. *Sanè coram d. Card. Falconerio d. dec. 7. la 2. num.6. tit. de Offic. Ordinar. tom.2.* ex ea ratione, quia cum talis actus respiciat curam animarum residentem penes Episcopum, respectu suarum ovium, non est acquisitum ab alio tale jus, nisi constituatur territorium verè separatū.

Succedit quoque & alius actus qui nequit præscribi ab ipso Prælato inferiore, cujuscunque qualitatis ille fuerit
12 sive primæ, sive secundæ, vel tertiæ speciei, videlicet ne valeat concedere litteras monitoriales, pro rebus deperditis, ac occultis revelandis, sub pęna excomunicationis, cum hoc tantum videatur reservatum Episcopis per *Trid. sess.25. cap.3. de Reform.* ibi = *à nemine prorsus concedantur præter quam ab Episcopo.* Quicumque igitur fuerint, nequeunt illas concedere, ut dixi, & inquit *Barbosa ad citatum cap. 3. Trid. num.3 & 8. & de potest. Episc. Alleg.96. num.12. Campanil. divers. juris rub.11. cap.15. num.109.*

In materia de qua agimus, ubicunque quis vult obtinere dictas monitoriales litteras in forma *Significavit* tenetur recurrere ad Datarium (posito quod
13 agatur de subditis Nullius Diœcesis) quoniam illę tantùm solent concedi pro dictis locis à S Sede, & habetur *ex Sac. Cong. Conc. lib.7. Decret. pag.* 24. ibi = *non posse Abbatem prætensæ qualitatis verè* Nullius *concedere excommunicationem ad finem revelationis; quod si ejus subditi sint Nullius Diœcesis, obtinendæ sunt à Sede Apostolica* = & ita in altera Nullius *Tom.* 10. *Decr. pag.* 75.

Prosequendo materiam rerum interdictarum hujusmodi Prælatis primæ, vel secundæ speciei, nota, eisdem non esse committendas literas Apostolicas
14 matrimonialium dispensationum, quacumq; consuetudine in contrarium non obstante, licet ex consuetudine habeant jurisdictionem in causis matrimonalibus; sed illæ veniunt juxta stylum Datariæ committendæ Episcopo, in cujus Diœcesi est locus exemptus, *Corrad. in praxi dispensat. lib.7. cap.4. num.59. cum seq. Sacra Cong. Conc. in una Lucana* 7. *Augusti* 1649. *& in una Abbatis Ordinis Cisterciensium* 29. *Januarii* 1709.

Circa facultatem, & potestatem conceden-

cedendi Indulgentias,quas possent con-
cedere Episcopi certis temporibus in
15 eorum Diœcesi, necnon Legati à La-
tere, licet non Sacerdotes, eas con-
cedere nequeunt Prælati inferiores,
sive fuerint non solum primæ, vel secun-
dæ speciei, sive etiam tertiæ, juxta men-
tem *D.Thom.in 4.disc.20.art.3.q.2.ad* 1.

Nam licet id verè non dependeat à
16 potestate Ordinis, sed tantum jurisdi-
ctionis, ut notat *Navarr. de Indulgent.
in resol.*31. *n.*3. *cum seq. & Passerin. de
Indulgent.q.*4. *Fagn.in cap.accedentibus
num.*10. *cum seq.de Excess.Prælatorum.*

Nihilominus quia respicit dispensa-
tionem thesauri Ecclesiæ, meritò di-
stributio ipsa reservata fuit Summo Ro-
17 mano Pontifici, & ex ejus permissio-
ne Episcopis, uti Pastoribus, & Eccle-
siæ Præsulibus, quod non videtur di-
cendum de Prælatis inferioribus, *ad
Text.in d.cap.succedentibus, juncto cap.
cum ex eo de pænit. & remiss.*

Ex eadem ratione, nequit Vicarius
Capitularis concedere illas, licet omnis
potestas jurisdictionis fuerit translata
in illum ut docet *Sac.Cong.Conc. in* . . . .
ad dubium propositum 13. *Novem.*1688.
Quidquid contrarium dicat *Pellegrin.
in prax.Vicar.p.*1. *sect.*4.*subsect.*2.*n.*38.
*Marchet. de Vicar. Capit.p.*2 *tit.*24.*n.*3.
Non videtur enim recedendum ab eo,
quod responderunt Eminentiss. Patres
Sac.Cong.quo supra.

Sequitur ad materiam præsentis di-
sceptationis ut videamus, an hujusmodi
Prælati inferiores valeant convocare
Synodum. Et prænotandum videtur,
an hujusmodi potestas procedat à lege
Diœcesana, vel à lege jurisdictionis,
quod multùm confert ad discussionem,
& declarationem articuli propositi. Et
18 quod procedat à lege Diœcesana,tenet
*gloss. in c.dilectus de Offic.Ordin.Lotter.
de re benefic. lib.*2.*qu.*31.*n.*76. *Rota in
una Militen. Jurisdictionis* 1.*Jul.*1716.
§.*eadem coram Emo Falconerio inter ejus
impressas tom.*2. *dec.*17. *de Offic. Ordin.*

Sed procedere à lege jurisdictionis
dixit *gloss.in d.cap.dilectus,ubi Hostiens.*
& alii, *Lotter.d.q.*31.*num.*76. *Rota in
d. Militen. loco proximè citato.* Quam
quæstionem vocat nodosam *Rot.cor.An-
sald. in una Fulden. jurisdictionis* 1. *Ju-
lii* 1708. *num.*66. unde *Rota in d. Mili-
ten suprà* dixit participare de utraque.

Posita distinctione prædicta videre
est, an Prælati primæ, vel secundæ spe-
ciei possint convocare Synodum, & ab-
solutè videtur respondendum, non pos-
se, licèt habeant Clerum, & Populum
19 eisdem subjectum. Prælati verò tertiæ
speciei, videlicet habentes territorium
separatū,hoc facere valent: tribus tamen
copulativè concurrentibus; scilicet ter-
ritorio verè separato cum jurisdictione
quasi Episcopali in Clerum, & Popu-
lum, & speciali indulto Apostolico cum
subsecuta consuetudine *Barbosa ad Trid.
sess.*24. *cap.*18. *num.*45.*de reform.Card.
de Luca ad Concil. disc.*30.*num.*12.*Lot-
ter.de re benefic.lib.*2.*q.*31.*sup.num.*88.
*Rota in Militen.jurisdictionis super jure
congregandi Synodum* 31.*Januar.*1716.
*in princip. coram Card.Falconerio inter
ejus impressas tom.*2. *dec.*14. *n.*1. *tit.*23.

Unde probata facultate congregandi
20 Synodum,elicitur qualitas ipsa Nullius
*Rota in Nullius, seu Fulden. jurisdictio-
nis* 28. *Junii* 1700. *coram clar.me.Card.
Tremoille,& coram Eminentiss.Falcone-
rio dec.*15. *num.*1. *tit. de Offic. Ordinar.
tom.* 2.

Videndum quoque est, an Prælati
inferiores primæ, vel secundæ speciei
quò supra, habeant jurisdictionem au-
21 ctorizabilem, circa beneficia confe-
renda: & regulariter negativè respon-
dendum videtur. Sed prænotandum est
ad materiam, duplicem esse institutio-
nem, alteram collativam, alteram au-
ctorizabilem. Prima est collatio tituli
beneficii, seu illius provisio, cujus est
subjectum ipsum beneficium.Secunda est
collatio Curæ in Populum, quæ venit
exercenda ab ipso beneficiato, cujus su-
biectum est ipsa cura animarum, ita *Lot-
22 ter. de re benefic. lib.* 1. *q.* 25. *n.*13. *&
quæst.*33. *num.* 99. *Fagnan. in cap. cum
& plantare n.*6.*de Privileg.*, *Piton. di-
scept. Ecclesiast. Tom.*1. *discep.*20. *n.*30.
*cum seq.Rota rec.p.*7.*dec.*5.*num.*8.*&* 2.
Burgen. jurisdictionis 11. *Junii* 1708.
§.*neque cor.Ansaldo,& in eadem* 23.*Fe-
bruar.*1714. *coram Card. Falconerio in-
ter ejus impressus dec.*7. *tit. de Offic. Or-
dinar. tom.*2. *confirmata cor. Crispo* 26.
*Jun.*1715.*& DD. passim*: his positis.

Quod

Quod respicit primam Institutionem puta Collativam tituli, illa valet acquiri per quoscumque Prælatos inferiores,
23 eo modo, quo aliàs dixi, aut Privilegio, aut Præscriptione saltem quadragenaria: etenim licèt Episcopus habeat intentionem fundatam in jure, super omnes Ecclesias sæculares suæ Diœcesis: nihilominus Privilegio Apostolico alteri acquiri potest jus ipsum Instituendi, sicuti pariter & Præscriptione, *cap. cum olim de Præscript. cap. cum novissent de Institut. cap. referente de præbendis, Gonzalez in cap. cum satis n.4. de offic. Archid. Fagnan. in cap. cum te num.7. de ætate, & qualitate.*

Devenientes ad alterum genus Institutionis, nempè auctorizabilis, scilicèt
24 quoad curam animarum, utpotè illa procedens à munere Episcopali, videtur tantum Episcopis reservata, quibus est commissa populi cura; & licèt ad Abbatem pertineat institutio collativa beneficii; cęterum commissio Curæ, & institutio auctorizabilis spectat ad Episcopum, in cujus Diœcesi est populus sub dictis Capellis existens, ad *Textum in cap.1. de verb. significat. in 6.* ibi: *Eosque cum suis plebibus per suos Clericos idoneos gubernent, qui ratione plebium examinandi Episcopis præsententur, ut ab eis curam recipiant animarum, cum plebes Episcopis sint subjectæ: Abbas in cap. cum & plantare num.6. de Privileg. Fagnan. in d. cap. cum te num.3. de ætate, & qualit.* latè ad materiam *Lotter. d. re benefic. lib. 2. qu.12. n.32. Rota in d. Burgen. jurisdictionis 11. Junii 1708. cor. Ansaldo §. Authumarunt, & coram Emo Falconerio d. decis.7. n.1.*
25 *de offic. Ordinar.* Ipsos consulas, ubi quid juris, quando Cura fuerit pleno jure unita Abbatiæ Prælati inferioris.

Et quamvis non desint, qui dicant, etiam hoc casu unionis plenariæ, Episcopum ibi debere instituere præsentatum
26 Institutione auctorizabili; Attamen ubi Ecclesia, nedum fuerit pleno jure unita Prælato inferiori primæ, & secundæ speciei, existenti in Diœcesi, verùm etiam talis Prælatus habeat ex privilegio in dictam Ecclesiam jus instituendi, & destituendi, & sic omnimodam jurisdictionem, tunc videtur pariter habuisse facultatem comittendi Curam, *Rota rec. part.15. decis.49. n.27. & part.16. dec.93. num.11.* latè *in d. Burgen. jurisdictionis 11. Junii 1708. §. cæterum coram Ansaldo, & cor m Emo Falconerio d. dec.7. de Offic. Ordinar. tom.2. confirmat coram Rmo Crispo d. die 26. Junii 1715. §. Quartò.*

Cęterùm ubi agitur de Institutione facienda formaliter ad Curam gerendam,
27 non tantùm per viam deputationis Sacerdotis alicujus pro gubernio Parochialis, hoc casu cũ ipsa Cura sit providenda per concursum, quia isti Prælati primæ, & secundæ speciei non habent Jus convocandi Synodum, uti habent Prælati tertiæ speciei: hoc casu concursus faciendus erit coram Episcopo intra cujus Diœcesim existit Ecclesia Abbatialis, ut habetur ex *Constit.33. S. Pii V. Card. de Luc. ad Trid. disc.32.* & ita passim *Sac. Congr. Conc.* ut lato calamo *Emus Petra ad Constitut.4. Callisti III. sect.2. à num.136. cum seqq. tom.5.* ubi refert quamplures Resolutiones.

Rursus non valet ipse Prælatus *Nullius* impropriè dictus secundæ speciei
28 quò supra, concedere suis subditis dimissorias pro recipiendis ordinibus, nec non super vita, & moribus, quàm titulo patrimonio, vel titulo beneficii, *Sacr. Congr. in una Anglonen. 30. Jan. 1713. ad dubium sextum.*

Nec valet ipse Prælatus inferior secundæ speciei, prohibere, quin Episcopus deputet suum Vicarium foraneum
29 in loco *Nullius* quo supra, cum sit in facultate Episcopi suum Vicarium retinere in ipso loco, sicuti in aliis suæ Diœcesis *Sac. Congr. in d. Anglonen. ad dubium septimum.*

Demum non valet Clerus loci *Nullius* secundæ speciei vacante Sede Præ-
30 lati, constituere Vicarium Capitularem, ut ex *d. Sac. Congr. sup. ad dub.8. in d. Anglonen.*

C 2 AR

ARGUMENTUM.

Inter Prælatos inferiores cum qualitate Nullius & Territorio separato, ubi adsint controversiæ super jurisdictione cum Episcopis vicinioribus, qualiter sint definiendæ, ubi, quinam dicatur Episcopus vicinior Abbatiæ Nullius, & ex quo desumatur vicinitas ipsa?

SUMMARIUM.

1 *Prælatus inferior, propter juris resistentiam, territorium separatum tenetur concludenter probare*, & num. 2.

3 *Privilegium territorii separati debet esse clarum, atque expressum, aliàs minimè suffragatur.*

4 *Territorium separatum acquiritur etiã præscriptione immemorabili*, & n. 8.

5 *Prælatus inferior cum territorio separato jurisdictionem exercet privativè quoad Episcopum.*

6 *Privilegium concedens jurisdictionem cum clarum fuerit, atque expressum, promptam meretur executionem*, & num. 7.

9 *Territorium separatum ex præscriptione immemorabili usquedum per tres sententias conformes canonizatum fuerit, manutentio competit Episcopo.*

10 *Quænam requiruntur ad probationem territorii separati vigore immemorabilis observantiæ*, & num. 13.

11 *Actus jurisdictionales exerciti per inferiorem Prælatum, destruuntur per alios ab Episcopo in contrarium gestos. Maximè non concurrente scientia, & patientia Episcopi* num. 12.

14 *Territorium separatum non concluditur ex sola distinctione finium temporalium.*

15 *Prælatus inferior habens territorium separatum venit appellatione Ordinarii.*

16 *Prælatus inferior potest aliquos actus præscribere in Diœcesi Episcopi.*

17 *Episcopus vicinior quinam dicatur?*

DISCEPTATIO VII.

Quia non semel oriuntur controversiæ inter Episcopos, & Prælatos inferiores, & *Nullius* cum territorio separato, ac jurisdictionem quasi Episcopalem habentes in Clerum, & populum; meritò de illorum bono jure, & quale illud sit, sunt nobis hic aliqua adnotanda, ad opportunitatem materiæ, de qua agimus.

Ubicumque igitur Prælatus inferior, ratione suæ Prælaturæ prætendat in loco, vel locis, habere integram jurisdictionem in spiritualibus, super Clerum, & Populum, cum qualitate *Nullius*, & territorio separato, quia juris assistentia stat pro Episcopo, ex clara dispositione juris, & resistentia contra eum-
1 dem Prælatum; tenetur per documenta concludentia probare suum bonum Jus, aliquo ex modis aliàs adductis. V. G. Origine, Pontificis Privilegio, Præscriptione Immemorabili, vel Quadragenaria cum titulo colorato.

Qui sanè modi juxta dictam novissimam Rotæ sententiam ad duo reducuntur, videlicet ex Privilegio Apostolico, & Præscriptione immemorabili, ut nos infra. Hinc ubi Prælatus prætendat habere omnimodam jurisdictione super Clerum, & populum alicujus loci, vel plurium locorum tamquam de sua Diœcesi, & districtu, &
2 sic privativè quoad Episcopum viciniorem, tenetur ad statim, & concludenter docere de suo bono jure, ob juris resistentiam in illo, & assistentiam juris in Episcopo, cum præsumatur hunc habere omnimodam jurisdictionem in omnibus locis suæ Diœcesis, nisi aliter probetur illa esse exempta.

Qualitas prædicta *Nullius* cum sit odiosa, non præsumitur; sed talis venit concludenter probanda ab allegante, altero ex modis prædictis, V. G. Privilegio, vel Præscriptione, vel alio modo, ut putant alii, quadragenaria cum titulo colorato. Privilegium verò Apostolicum ad effectum prædictum debet esse
3 clarum, & expressum, continens separationem territorii cum qualitate Nullius, ut bene *S.Rota in rec. par. 15. decis.* 340.

ciſ.346. num.16. & in una Leodien. juriſdictionis 11. Aprilis 1698. coram Molines, & in alia Nullius, ſeù Fulden. juriſdictionis 16. Febr. 1703. coram eodem Card. de Luca de jurisd. diſc. 1. num. 12.

Alter modus eſt Prçſcriptio immemorabilis, quç ubi concludenter fuerit probata, tunc manus Epiſcopi vicinio-
4 ris veniunt reſtrictæ, quin ullam juriſdictionem ſpiritualem exercere poſſit in loco ipſo exempto, vel in locis *Nullius*;
5 undè omnimoda juriſdictio in illis ſpectat ad Prçlatum inferiorem, privativè quoad alios, *Rota in rec.p.11. dec.153. num.6. & par.13. dec.334. num.16. & par.14. dec.483. num.13. & in una Leodien. juriſdict. 23. Januarii 1679. §. exclusum, coram Emerix jun. inter ſuas eſt dec.395. & in altera Leodien. juriſdict. 19. Junii 1699. §. minuſque, coram clar. mem. Card. Scotto.*

Ea tamen eſt differentia inter unam, & alteram ſpeciem probationis qualitatis *Nullius* cum territorio ſeparato, ut ubi agitur de probatione per Apo-
6 ſtolicum privilegium, poſito quod illud fuerit undique clarum, & explicitum, ſtatim mereatur executionem, cum faciat probationem probatam; undè eo oſtenſo, manus Epiſcopi videntur ligatç, quin juriſdictionem exercere valeat contra Prçlatum ipſum inferiorem.

Quod autem Privilegium Apoſtolicum, ad hoc ut poſſit juvare Prçlatum illud allegantem, debeat eſſe clarum, & concludens qualitatem *Nullius* cum territorio ſeparato, docet *Sac. Rot. in rec.*
7 *par.11. dec.153. num.6. & par.13. deciſ.334. & par.14. dec.483. num.13. & in una Leodien. juriſdictionis 23. Januarii 1674. coram Emerix jun. inter impreſſas, d. dec.395. & in alia Leodien. 13. Martii 1684. coram Cocein. & 11. Aprilis 1698. coram Molines, & in alia Leodien. juriſdictionis 17. Junii 1699. cor. clar. mem. Card. Scotto, in Nullius, ſeù Fulden. juriſdictionis 16. Febr. 1703. & 22. Aprilis 1705. utrobique coram Molines, Card. de Luc. de juriſd. diſc. 1. n. 12.*

Ubi verò qualitas ipſa *Nullius* cum territorio ſeparato probanda venit per immemorabilem prçſcriptionem; licèt per immemorabilem prçſcriptionẽ probetur qualitas *Nullius*, ad effectum habendi juriſdictionem privativè quoad
8 Epiſcopum viciniorem, *ad Text. in cap. auditis de præſcript. cap. cum olim eod. tit. cap. cum perſonæ de privil. in 6. & in dictis deciſionibus coram Molines Fulden. 1703. & 1705. utrobique alii DD.*

Nihilominus, ut Prçlatus juvari poſſit hoc beneficio legis, opus eſt, ut Prçſcriptio fuerit canonizata per tres ſen-
9 tentias conformes, & uſquequo talis non fuerit declarata, & canonizata Epiſcopus vicinior cui jus aſſiſtit, venit manutenendus in ſuo jure exercendi juriſdictionem in loco, vel locis, qui prçtenduntur Nullius, cum territorio ſeparato; *Fagn. in cap. non poteſt num.46. de Sentent. excommunic. Rota in d. Leodien. juriſdictionis 17. Junii 1699. verſ. cum agitur coram Scotto, & in alia Nullius, ſeù Fulden. juriſdictionis 16. Febr. 1703. cor. Molines §. quemadmodum, & coram eodem in d. Fulden. 27. Aprilis 1705. §. ſtantibus.*

Quamplura probanda ſunt pro parte ipſius inferioris Prçlati adducentis exemptionem ſuç Eccleſiç, cum qualitate *Nullius*, & territorii ſeparati, poſito quod non conſtet de Pontificio diplomate ad ſui favorem, ſed tantum adducat pro ſe immemorabilem prçſcriptionem. Et

Primò probare tenetur ſuam pacificam poſſeſſionem, nemine contradicen-
10 te, & ſic illum exercuiſſe actus juriſdictionales in Clerum & populum illius loci controverſi, qui actus nequeant fieri ab alio non habente plenariam juriſdictionem: nam aliter ſi doceat de ſuo jure per actus non concludentes, uti præſumptionibus, vel conjecturis, ex contra Epiſcopum, cui jus aſſiſtit, nil faciunt. Hinc actus facti ab illo, puta ab ipſo Prçlato inferiore, cui jus reſiſtit, in concurſu cum aliis factis ab Epiſcopo, cui jus aſſiſtit, nihil ponunt in eſſe,
11 ad ejuſdem Epiſcopi prçjudicium, & ad effectum, ut ipſe Epiſcopus impediri valeat in exercitio ſuç juriſdictionis, ob juris aſſiſtentiam ad iſtius favorem concurrentem, ut benè ad caſum notat *Poſt. de manutent. obſerv.45. n.38. Rot. in rec. part.14. dec.483. n.19. ubi DD.*

Quod quidem magis videtur procedere ubicumque actus facti ab ipſo Prçlato

lato inferiori, non fuerunt facti, sciente, & patiente ipso Episcopo, quod omninò requiritur, ad hoc ut Prelatus
12 inferior intra fines Diœcesis Episcopi loci Ordinarii possit acquirere quasi possessionem jurisdictionis, ut notat *Abbas in cap.cum olim num.8. & 12. de restitut. spoliat. Rota in recent. par.14. d.dec.483. num.28. & par. 15. dec.540. num.22. & in d. Leodien. jurisdictionis 17. Junii 1669. §.hinc,coram clar.mem. Card.Scotto.*

Secundò, probare tenetur ipse Prelatus inferior, quò supra, actus ab eodem factos, vel à suis prędecessoribus gestos, fuisse factos palam, & non clam: etenim actus clandestini, eoque magis
13 ubi illi suffocati fuerint ab actibus longe pluribus per Episcopum factis, non constituunt favore ipsius Prelati statum manutenibilem, ea ratione, quia Episcopus habet juris assistentiam pro se quoad omnia loca suę Diœcesis; ac proinde ob hanc juris assistentiam, manutenendus erit in jure exercendi actus jurisdictionales, usque quo ipsę Prelatus, non docuerit de suo bono jure, canonizato, ut supra demonstravimus, per tres sententias conformes, ut benè *Rota cor. Emerix in una Leodien. jurisdictionis 23. Januarii 1679. inter ejus impressas decis.395. & in altera Leodien. jurisdictionis super manutentione 19. Aprilis 1700.cor.Priolo, & 29.Aprilis 1701. coram eodem.*

Neque distinctio finium temporalium importare potest separationem territorii etiam quoad spiritualia; quippe quia hujusmodi divisio finium temporalium dari potest, vel ad effectum jurisdictio-
14 nis secularis, vel ad effectum pascuorum, aliorumque jurium civicorum, atque ut unus populus distinguatur ab altero, quod non ita ad effectum ut in loco ipso Prelatus inferior possit pretendere sibi competere jurisdictionem spiritualem in ipsum populum, & Clerum privativè quoad Episcopum, ita de more suo ratiocinatur *Card. de Luca de jurisdict. disc.1. num.17.*

Quare concludendo in summa, seù compendio, hujusmodi theoricam, de qua in nostro pręsenti discursu, dico, quod, ubi constat de vero, ac proprio territorio separato, cum qualitate *Nullius*, non autem secundum quid, seù territorio improprio, & intellectuali, tunc Episcopus, cui hujusmodi territorium est adiacens, consideratur tamquam vicinior tantum, non autem ut Ordinarius, sub cujus nomine ad omnes effe-
15 ctus venit ipse Prelatus inferior, habens legem Diecesanam in eo territorio, cum jurisdictione quasi Episcopali, & sic tamquam species Diœcesis stantis de per se, DD.comuniter cum juribus supra citatis.

Ubi verò non constat de dicta qualitate *Nullius*, tunc dicitur Prelatus inferior in aliena Diœcesi, cujus Episcopus venit sub nomine Ordinarii loci, tàm quoad jurisdictionem à Tridentino, & Sacris Constitutionibus delegatā, quàm quoad alios actus Ordinario loci com-
16 petentes, exceptis illis, qui à dicto inferiori Prelato legitimè fuerint prescripti, cum non sit dubitandum jura Episcopalia circa jurisdictionem posse non semel prescribi à Prelato inferiori, & nos latè supra *Discept.2.* ubi vide.

Videndum est, quinam dicatur Episcopus vicinior, & ex quo desumatur ipsa vicinitas Episcopi loco *Nullius*, vel exempto; sępè namque sępius accidit nobis agere de ipsis Episcopis vicinioribus, regulariter ad effectum visitandi loca *Nullius* secundę speciei, vel comissione Sanctissimi, vel *Sac.Cong.* & quibus non semel committitur aliqua causa sub hac formula *Episcopo viciniori.*

Vicinior autem Episcopus, signanter ut ipse servet mandatum *Trid. sess. 24. cap.9.* ubi de Episcopo viciniori circa fa-
17 cultatem visitandi loca exempta, jure delegato, videlicet uti delegatus S.Sedis Apostolicę, vel alia causa, ille dicitur, cujus Ecclesia est proxima Ecclesiæ Cathedrali ipsi Abbatiali, & *Nullius*, non respectu territorii *Nullius*, licet intersit territorium alterius Diœcesis, & quidem per vias magis frequentatas, non per vias, ut dicitur *di scortatura*, *S.Cong.Conc.in una Minerbien.& Acerrarum, seu Puteolana 26.Aprilis 1686. Fagn. in cap. Nullius num.25. de Parochis, Barbosa de Potest. Episc. alleg.74. Ciarlin. controv. forens. lib. 1. cap. 46. num. 4.*

AR-

ARGUMENTUM.

Prælati inferiores cum qualitate Nullius *Diœcesis an valeant dispensare super Irregularitate proveniente ex delicto occulto? An possint cognoscere causas matrimoniales, & criminales? An possint concedere literas monitoriales pro rebus deperditis, & de aliis ad materiam ipsam.*

SUMMARIUM.

1 *Prælatus inferior minimè facere potest ea, quæ sunt* Ordinis *Episcopalis*, &. num.3.

2 *Prælatus inferior nequit dispensare super irregularitate proveniente ex delicto occulto.*

4 *Cardinales in Ecclesiis titularibus non pollent iis omnibus facultatibus, quibus Episcopus in sua Diœcesi.*

5 *Prælatus inferior cum territorio separato num possit cognoscere causas matrimoniales, & criminales?* & n.6. cum seq.

8 *Prælati inferiores cum territorio separato jurisdictionem exercent privativè quoad Episcopum.*

9 *Et veniunt appellatione Diœcesani.*

10 *Correctio legum vitanda est.*

11 *Interpretatio ea sumi debet, quâ leges conciliantur.*

12 *Prohibitio, quæ loquitur de Prælatis simplicibus, non extenditur ad eos, qui habent territorium separatum, cum jurisdictione quasi Episcopali*, & num.13.

12 *Discretivus modus loquendi indicat diversitatem dispositionis.*

15 *Episcopus in locis Nullius, præter delegatam, alia jurisdictione uti nequit*, & num.16.

17 *Causarum matrimonialium, ac criminalium cognitio, postposito antiquiori stylo, hodie committuntur etiam Prælatis inferioribus habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem*, & n. 18.

19 *Prælati inferiores, quamvis territorium habeant separatum, nequeunt concedere literas monitoriales pro revelatione rerum occultarum, sed eædem impetrandæ sunt à Sede Apostolica.*

DISCEPTATIO VIII.

Plura sunt nobis adnotanda in hac præsenti disceptatione. Et quoad primum nobis est demonstrandum, an Prælati inferiores cum qualitate Nullius, & jurisdictione quasi Episcopali, possint dispensare super irregularitate proveniente ex delicto occulto, ad normam facultatis impertitæ Episcopis super hoc *per Tridentin.sess.24. cap.6.* & ad illius intelligentiam, prænotandum est, irregularitatem esse impedimentum canonicum, quo prohibetur promotio ad Ecclesiasticos Ordines, vel eorumdem executio, ut patet in descriptione, quam ponit Speculator *in tit.delegati §.juxtà, Jo:Andr. in cap.1. de Regul. juris in 6. Soccin.in cap.ad audientiam num.12. de homicid. & DD. passim; ac per tot.ubi de Irregularitate, lato calamo.*

His positis, sequitur, utpotè quia dispensatio super irregularitate, non videtur esse simplicis jurisdictionis Episcopalis, cujus capaces sunt inferiores Prælati, habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, neque ad ea, quæ Sacris Ordinibus sunt annexa, vel illos concernunt, refertur
1 illa generalis adæquatio, de qua *per Abbatem in cap. & si Cleric., n.13. de Judiciis, & in cap. sicut unire, n.3. de excess. Prælat. Butrius cons.19.n.10.*

Meritò videtur dicendum, non posse Prælatos ipsos dispensare, super ipsa irregularitate proveniente ex delicto occulto, ut decisum & resolutum habemus *per Sac. Congr. Conc.* quemadmo-
2 dum tradit *Fagn. in cap.cum illorum, in fin. de sent.excom.* Ea verò facultas, quæ solis Episcopis est concessa, aliis non videtur posse tribui, & sic *Tridentinum loc.supra citat.* non videtur intelligendum, ut comprehendat omnes jurisdictionem quasi Episcopalem habentes; quod suadetur ex illo verbo *Episcopis*, quod videtur strictè interpetrandum, pro solis Episcopis, & non largè sumendum pro illis, qui potiuntur jurisdictione quasi Episcopali.

Ad hæc facit, quòd si omnia Episcopalia essent communicanda istis inferioribus

ribus Prelatis, passim introduceretur
3 usus Corepiscoporum, & auctoritas Episcopi vilesceret; ut benè docet *Butrius d.consf.19.*

Huc etiam pertinet, quod cum aliàs dubitatum fuerit in Sacra Congregatione Concilii, an Cardinales, qui habent titulos Ecclesiarum Urbis, possint in suis Ecclesiis titularibus, & eorum subditis, uti illis facultatibus, quę à Concilio Tridentino tributę sunt Episcopis in suis Civitatibus, & Diœcesibus, & specialiter illis, quæ comprehenduntur *sess.24.c.6.* facta relatione Gregor. XIII. Sanctitas Sua dixit nolle; ut ea, quę Epi-
4 scopis concessa sunt à Concilio, competant Cardinalibus in suis titulis: quia licet habeant quasi Episcopalem jurisdictionem, tamen verè, & propriè non sunt Episcopi; *ita Sac. Cong. penes Fagn. in cap. cum illorum circa finem, de sent. excomm.*

Quoad secundum, sequitur videre, an Prelati *Nullius*, cum territorio separato, & jurisdictione quasi Episcopali in Clerum, & populum, possint causas matrimoniales, & criminales cognoscere? & negativè videtur respondendum. Ratio desumitur *ex Trid. sess. 24. cap. 20. §. ad hæc*, ubi disertis verbis statuitur,
5 ut causę matrimoniales, & criminales relinquantur examini Episcopi tantùm, ac illius jurisdictioni relinquantur, & non judicio inferiorum, & clarius per *dict. Tridentinum d. loco, ubi Barbosa.*

Causę enim matrimoniales voluit *Trident. suprà*, ut tractandę sint per judices discretos, & penes quos residet notio sacrorum Canonum, *ad Text. in cap.1. de consanguinit. & affinit.* ubi Canonistę:
6 cum illę inter causas graves annumerentur *cap. causam matrimonii de Offic. delegati, ubi Abbas, cap. si pro debilitate ubi Dec. n.35. eodem titulo, Ferret. consil.196. Fagn. in c. accedentibus de Excess. Prælat. num. 20.* Et ob hanc rationem Curia Romana habet in usu delegare causas matrimoniales Episcopo viciniori.

Verum his non obstantibus contraria opinio est verior; nam omissa disputatione, an hujusmodi Prelati inferiores, cum qualitate *Nullius*, possint acquirere jurisdictionem, ac facultatem cognoscendi causas matrimoniales, & criminales, in vim præscriptionis, seu consuetudinis, in quo Canonistę non conveniunt,
7 ut constat *ex Alex. in cap. cum contingat de foro compet. nu.18.* Attamen indubitati juris est, hujusmodi territorium, cum jurisdictione quasi Episcopali, privativè quoad Episcopum, posse acquiri ex privilegio Papę, ut nos supra *Discep.1.*

Cui quidem Privilegio nulla ex parte derogavit *Trid. Synodus d. cap.20. §. ad hæc*, quia non eadem ratione Abbates sunt inferiores Episcopis, sicut Decani, & Archidiaconi, quorum meminit Concilium, cum inferiores Prelati de quibus agitur, habeant dignitatem excel-
8 lentem, & primam post Episcopalem; *Bald. in c. Pastoralis in Gloss. V. Superiores de Offic. delegati*, atque Abbates, & cęteri Prælati, de quibus agimus, cum habeant in proprio territorio jurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem privativè quo ad Episcopum, veniunt
9 appellatione Diœcesani, etiam in materia nova, & prejudiciali, *Abbas in Clement. Diœcesanis de vita, & honest. Cleric. glossa in Clem. I. §. volumus V. Diœcesanis, ubi Imola n.28. & Abbas n.15. de foro compet. Fagn. in d. cap. accedentibus num.28. & 29.*

Tridentina enim Synodus non censetur sustulisse sacrorum Canonum dispositionem: legum enim correctio quan-
10 tum fieri potest videtur vitanda *l. sancimus C. de testam.* Ita ut nisi expresśè facta esset, induci non debeat *l. præcipimus C. de appellation.* Unde neque per subauditos intellectus inducenda est le-
11 gum correctio, *Glossa in cap. capientes de Elect. in 6.* & quia jura juribus sunt
12 concordanda, *ad Text. cap. cum expediat de Elect. in 6.* meritò concordanda videntur jura, ut illa, quę loquuntur de simplicibus Prelatis, non valeant extendi ad Prelatos habentes ordinariam jurisdictionem cum territorio separato, *Fagn. in cap. accedentibus num.31. de Excessibus Prælat.*

Accedit quod ex stylo Tridentini, ubi fit mentio de Archidiaconis Decanis, & aliis inferioribus, non videntur comprehensi Prelati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, & Ordinariam in loco, exclusis Episcopis, *ut patet sess.24. cap.3.*

*cap.*3; ubi loquitur per eadem met verba quibus loquitur *in d.cap.ad hæc* ibi =
13 *Archidiaconi autem, Decani, & alii inferiores, in iis Ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitimè consueverunt, debeant quidem assumpto Notario de consensu Episcopi, deinceps tantum per se ipsos ibidem visitare* = *& sess.* 25. *cap.* 14. *de refor.* ibi = *supradictorumque omnium cognitio* (ideſt contra Clericos concubinarios) *non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat* = Neutrum enim ex prędictis decretis comprehendit Pręlatos nullius Diœcesis, jurisdictionem quasi Episcopalem habentes in Clerum, & populum, privativè quoad Episcopum: *Fagnan. d.cap.accedentibus num.*32. *de excess.Prælat.*

Confirmatur secunda hęc sententia. Etenim ubi Concilium voluit comprehendere loca Nullius Diœcesis, illa disertis verbis expressit, ut habetur *sess.*23. *cap.*10. *sess.*24. *cap.*9.

Ergo, cum id non fecerit *in d. cap.*20. §.*ad hæc*, censetur noluisse *ad Text. in*
14 *cap. ad audientiam de Decimis l. unica* §. *Sin autem C. de caducis tollendis*.

Ad hęc: in locis Nullius Dięcesis Episcopo nulla per Concilium tribuitur jurisdictio, nisi quoad jurisdictionem jure
15 delegato, ut patet *ex d. cap.* 9. *sess.*24.

Nam & si *in cap.*10. *sess.*23. possit Episcopus ordinare personas Nullius Diœcesis, eisque dimissorias concedere: ta-
16 men in locis ipsis Nullius Dięcesis nullam prorsus auctoritatem Episcopus exercere potest, excepta visitatione jure delegato.

At verò causas criminales, & matrimoniales, in vim *d.cap.*20.§.*ad hæc*. Episcopus cognoscit jure Ordinario, & totum illud decretum loquitur de Episcopo tanquam Ordinario, nec ullibi fit mentio de potestate delegata: absurdum autem esset, ut causas hujusmodi Episcopus cognoscere posset, ac definire tanquam Ordinarius in locis Nullius Diœcesis: hinc ad vitandum hoc inconveniens, dicendum videtur dictum §.*ad hæc*, non pertinere ad Pręlatos, aut loca Nullius Diœcesis, ut hęc ex Fagnano collecta *ad Text. in cap. accedentib. sup. num.*34. *de excess.Prælat.*

Et licet de stylo Romanæ Curiæ causæ matrimoniales, & criminales, olim non committerentur Pręlatis inferioribus, sed tantùm Episcopis, ut testatur *Speculator de Rescript.* §.*Ratione*
17 *Abbas, & alii in cap. ne pro dilatione de officio delegati*, & ibi *Dec.n.*10.&11. *cap.venerabilis de confirm.utili, vel inutili, cap.ex literis de Constitut. Glossa in Clem.*1. §.*actus de concess. præbendæ, Jo: Andr. in cap. unico de rerum permutat. in* 6.

Verumtamen, quidquid sit in aliis inferioribus, certè in Prælatis Nullius cum territorio separato, & jurisdictione quasi Episcopali, cessat omnis difficultas; quia Sacra Congregatio ita declaravit, Prælatis inferioribus cum prædicta qualitate Nullius, territorio separato, ac jurisdictione quasi Episcopali, esse committendas dispensationes ma-
18 trimoniales, literas in forma *Significavit*, aliaque hujusmodi quoad eorum subditos, & de pluribus Prælatis Nullius docet *Fagn. in cap. accedentibus n.* 37. *de excessibus Prælatorum*.

Quoad tertium, sequitur, ut videamus, an hujusmodi Pręlati inferiores cum qualitate Nullius, & territorio separato qui suprà, possint concedere literas monitoriales pro rebus deperditis, ad finem revelationis habendę? & dicimus non posse, sed illæ petendæ erunt à
19 Sede Apostolica, ut docet *Fagn. in d. cap. accedentibus n.* 25. *ubi DD. de excess.Prælat.*

ARGUMENTUM.

Prælati inferiores Episcopis, an facultatem habeant eligendi sibi Confessarium, ubi nonnulla notatu digna ad materiam.

SUMMARIUM.

1 *Prælati inferiores Confessarium sibi eligere valent, duabus tamen concurrentibus circumstantiis*, & num. 2.

Quomodo autem hujusmodi conclusio sit recipienda, num.3. 7. 9. & 10.

4 *Episcopus nequit in Confessarium eligere sibi non subditum, atque ab ejus* Ordi-

Ordinario minimè approbatum.

5 *Duobus concurrentibus impedimentis, non sufficit unum removere.*

6 *Sacerdos potestatem absolvendi exercere nequit, nisi Ordinarii accesserit auctoritas, vel beneficium curatum obtinuerit*, & num. 8.

8 *Judex prorogatus dicitur jurisdictionem exercere jure proprio.*

DISCEPTATIO IX.

NUm ipsi Prælati inferiores valeant sibi ipsis eligere Confessarium, hic nobis est breviter demonstrandum: Et regulariter dicimus, posse Prælatos inferiores exemptos, sine alia licentia, sibi
1 eligere Confessarium, ad literam *Text. in cap. ne pro dilatione, de pœnit. & remission. ubi Canonistæ cum Fagn. num.* 1.

Regula tamen ipsa generalis patitur intelligentiam, nimirum, ut locum habeat duobus concurrentibus, alterum est, ut sint Abbates, Præpositi, Priores, & sic, Prælati inferiores primæ speciei, de quibus nos *Disc.* 1. undè ipsi valent sibi eligere Confessarium ad *Tex. in c. in singulis de statu Monachorum*. Alterum
2 est, ut sint exempti, idest immediatè subiecti Sanctæ Sedi Apostolicæ, ut docet *Hostiens. in d. cap. ne pro dilatione n.7. vers. inferiores verò, & ibi Fagn. num.* 3. *& 35. de pœnit.* Quamobrem Prælatus inferior, non exemptus, hac permissione non valet uti, ut per dictum *Hostiensem d. num.7. vers. Minoribus, Fagn. d. num.* 3.

An verò ipsi Inferiores Prælati possint sibi eligere Confessarium non approbatum ab Ordinario loci: & procedendo cum distinctione prędicta: aut sunt simpliciter exempti, aut sunt immediatè subjecti S. Sedi, cum qualitate *Nul-*
3 *lius*, territorio separato, & jurisdictione quasi Episcopali. In primo casu, nulli dubium est, non posse sibi eligere Confessarium non approbatum ab Ordinario (quod secus est de subdito sibi Regulari). In secundo tamen casu, ubi est Prælatus cum qualitate *Nullius*, & jurisdictione quasi Episcopali, tunc valet eligere sibi Confessarium ab ipso approbatum, nam ille habet facultatem approbandi quem voluerit ex suis subditis; cum Prælatus *Nullius* habeat jurisdictionem in Clerum, & populum sibi subditum; undè illum sibi eligendo in Confessarium videtur tacite eumdem approbare *Fagn. in d. cap. ne pro dilatione n.20. de Pœnit.*

Extrà verò supradictos casus non valet ipse Prælatus inferior sibi eligere Confessarium non approbatum ab Ordinario loci ad Confessiones audiendas ad præscriptum *Trid. sess.23. cap.15.* Quod
4 idem videtur dicendum de Episcopis qui nequeunt eligere in Confessarium sibi non subditum, & ab ejus Ordinario non approbatum, ad Confessiones audiendas, juxtà præscriptum *Concil. Trid. d. cap.15. sess.23. Fagn. d. cap. ne pro dilatione num.5. & 6. de Pœnit.*

Quod patet ex pluribus: Et primò, nam *Text. in d. cap. ne pro dilatione* exigit, ut eligatur Confessarius providus, & discretus; sed talis non videtur posse intelligi is, qui ab ipso Tridentino suprà declaratur non idoneus, ad audiendas Confessiones, ergo neque in vim hujus decretalis est eligibilis.

Secundò: In duobus impedimentis ad actum, uno sublato, & altero remanente, actus expediri non valet, *ad Text.*
5 *cap. pastoralis de Privileg. cap. ex tuarum de usu pallii.*

Sed duo impediunt, quominus Sacerdotes, quamvis in sui ordinatione absolvendi potestatem receperint, absolvere pænitentes possint, quorum unum personam respicit ipsorum Sacerdotum, videlicet, si non sint approbati ab Ordinario, vel Parochiale bene-
6 ficium non obtineant, *ad Concil. Trid. d. cap.15. sess.23.*

Alterum, quod pœnitentes respicit, idest si in eos jurisdictionem non habeant *cap. placuit dist.6. cap. omnis de pęnit. & remiss.*

Ergo quamvis ex privilegio hujus *Text.* sublatum sit impedimentum, ex defectu jurisdictionis; quia tamen remanet alterum ex inhabilitate Confessoris, non poterit actus absolutionis expediri, ut dicit *Glossa in d. cap. omnis verb. alieno Sacerdoti.*

Tertiò licèt alicui data fuerit facultas eligendi sibi Confessarium, non potest eligi nisi is, qui habet executionem, ut

ut puta Curatus, vel alius approbatus ab Ordinario, ad Confessiones audien-
7 das, *Abbas in d. cap. omnis num.*14. *de Pœnit.Gloss.in Clem.*1.*V.Speciali de privileg.*, *& ibi Card. q.*33. *idem Card.in Clem.*1.*quæst.*14. *de Offic. Vicarii*, *Fagn. d.cap.ne pro dilatione num.*10. *&* 13. *de Pœnit.* Ergo idem, quando à jure hujusmodi licentia tribuitur.

Quartò facit ratio adducta à *Glossa*, & *Abbate suprà*: Etenim eligere Confessorem, est prorogare jurisdictionem ejus; undè Judex prorogatus cognoscit jure proprio; at Sacerdòs non appro-
8 batus juxtà *Trid.d.cap.*15., licet habeat jurisdictionem illam habitu, attamen non habet illam Actu; meritò itaque non poterit illius jurisdictionis executio per eligentem prorogari *Fagn.d.cap. ne pro dilatione n.* 11. *& seq. de Pœnit.*

Unde concludendum videtur cum *Abbate in d. cap. ne pro dilatione*, *in fine*, talem eligendum per Episcopum, vel inferiorem Prælatum, debere esse Curatum, vel aliàs approbatum ab Ordinario loci. Quod multo magis vide-
9 tur tenendum post *Trid.ut ex d.cap.*15. per quod inhabilitati sint omnes ii, qui aut parochiale beneficium non habent, aut alias approbati non sunt.

Non obstat ratio, ob quam præcipuè *Hostiensis ubi suprà. Et Abbas in d. Clement.* 1. *de privileg.* & plerique alii, qui ante Tridentinum scripserunt, putant, sufficere, ut solus Sacerdos habitu potestatem habeat absolvendi, ad hoc ut illius executio per electionem
10 prorogetur; quia, ut dictum est, id procederet, nisi subesset aliud impedimentum, quàm ex defectu subditorum, vide de omnibus *Fagn. in d. cap. ne pro dilatione per tot. de Pœnit.*

ARGUMENTUM.

Prælati sive Regulares, sive Sæculares, quomodo se gerere debeant erga eorum subditos, ubi nonnulla remissivè.

SUMMARIUM.

1 *Prælati quomodo sese gerere debeant in subditos.*

2 *Prælatus debet esse vita integer, misericors, ipsiusque subditorum exemplum.*

3 *Prælatorum Regularium nimia severitas subditos in apostasiam quandoque impulit.*

4 *Prælati Regulares non debent suis Religiosis publicam injungere pœnitentiam pro culpis etiam publicis?*

5 *Minusque eisdem, vel aliis Sæcularibus Prælatis fas est subditos condemnare ut fame pereant, vel talis generis carceribus mancipare, quo brevi intereant.*

DISCEPTATIO X.

PRælati sive Regulares, sive seculares illi fuerint, cum ipsi sint destinati tanquam pastores, & non tanquam percussores, & mercenarii, debent se uti patres gerere erga illos; juxta monitum Apostoli *ad Timoth.* 3. Et licet ibi Apostolus loquatur de Episcopis, at-
1 tamen valent verba illa adaptari etiam Prelatis, ipsis Episcopis inferioribus, nam sicuti Episcopi alios regunt, & gubernant; ita quoque, & inferiores Prelati alios habent sub eorum gubernio.

Prælati igitur debent esse præditi bonitate vitę, ut aliis eorum vita sit in exemplum; nam aliter non possunt queri
2 de malis subditis; vita enim Principis debet esse speculum subditorum, juxtà illud vulgare dicterium.

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Tenentur quoque maximam adhibere prudentiam in gubernio, undè non valent pro levi culpa maximam imponere pęnam; nam sæpè sepiùs severitas Superiorum est causa magnæ perniciei: & oh calamitas nostri temporis (narro, quæ ego met expertus fui) quàmplures Religiosos vidi, ad effectum aufugiendi in-
3 dignationem eorum superiorum, apostatasse à Religione, & fide: de apostatis à Religione oh quot reduxi iterũ ad obedientiam suorum majorum superiorum, & à Sacra Pœnitentiaria Urbis pro eis obtinui gratiam, illos reconciliando ad Deum! De apostasia à fide, hoc testantur hi, qui in partibus hæreticorum fuerunt: Civitas Genevra hoc scit.

Debet igitur in Prælatis, signanter Re-

Regularibus, prçfulgere benignitas erga eorum subditos, & in corrigendis illis adhibenda est justitia cum misericordia conjuncta, juxtà monitum Christi Domini: *Estote misericordes, quoniam Pater vester misericors est*. Hinc Prçla-
4 ti Regulares juxta Tridentinum non valent eorum subditos, etiam pro manifestis culpis, gravare publica pçnitentia, sed tenentur eos corrigere intra septa Monasterii, ita *Fagn. in cap. manifesta, de pænit. & remiss. num.* 20.

Undè nefas est, quod ii condemnent suum subditum, ut fame pereat, prç-
5 cipiendo aliis, ne cibos deferant, *Fagn. in cap. novimus num.* 14. *de verb. signific.* contra *Suar. de Relig. to.* 4. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 10. & 11.

Illi verò, qui condemnant aliquem in perpetuum carcerem, non debent condemnatos ponere in tali carcere, in quo breviter morituri essent: sicuti in Francia sunt multi carceres Episcoporum destinati pro Clericis de atroci carcere damnatis, ubi non vivunt ultra octo
6 dies, quorum pœna, seù mors, est gravior patibulo suspensorum, cùm pejori morte, magis languendo, intereant. Unde Seneca inquit: acerbissima est crudelitas, quæ pçnam trahit: *Fagn. d. cap. novimus, num.* 9. & *sequentibus, de verb. signific.*

Quoad reliqua respicientia vitam, & mores Prælatorum, sive sçcularium, sive Regularium, vide quç diximus in prçcedenti tractatu de Episcopis *Disceptat.* 15., ubi per Paragraphos quindecim, explanavimus citatam Epistolam Apostoli *ad Timotheum* 3., quæ licet de Episcopis loquatur, nihilominus omnia illa verba adaptari valent ad Prçlatos inferiores Episcopis.

ARGUMENTUM.

Prælati sive Regulares, sive Sæculares, qui pçnas à jure statutas contra Reos, commutant in pœnam pecuniariam, quam grave scelus committant.

SUMMARIUM.

1 *Prælatus, quatenus alia pœna statuta in jure fuerit, nequit eam in pecuniarium convertere.*

2 *Prælatus, qui proclivis est ad infligendas pœnas pecuniarias, suspicionem præbet avaritiæ.*

3 *Ecclesiastici nec avaritiam sectari, nec de ea ullam minimam suspicionem preseferre debent.*

4 *Prælati Ecclesiastici, quantum fieri poterit, à pecuniariis mulctis sese debent continere.*

5 *Justitiam vendit Prælatus, qui pecunia criminosos, vel confovet, vel tolerat.*

6 *Prælati Ecclesiastici in quem usum erogare debeant pœnas pecuniarias, quo absit ab eis avaritiæ suspicio, remissivè.*

DISCEPTATIO XI.

PRælati sive Sçculares, sive Regulares illi fuerint, pro excessibus subditorum, corporalem pçnam de jure statutam commutantes in pecuniariam, an rei criminis illi sint, nobis hic breviter est demonstrandum; Et dicimus, eos esse in culpa; nam videntur criminosos sustinere, potius castigando crume-
1 nas, quàm personas: consideratur in eis cupiditas auri, & argenti, quod damnatum existit; ad notata per Apostolum *ad Timotheum* 3., ibi: *Non turpis lucri cupidum*, cujus verba per nos commentata sunt *in prçcedenti tractatu discept.* 15., & ita ex *Textu in cap. licet de pœnis*, inquit *Fagnan. ibi num.* 1. & *seqq.*

Adversùs Prælatos, qui ita agunt, summoperè conqueritur *Alexander III. in d. cap. licèt*: undè cum Prælati ipsi, crebrò, & facilè pçnas pecuniarias infligunt, ex hoc oritur vehemens præ-
2 sumptio avaritiæ, cujus suspicio ab Ecclesiastico ordine abesse debet, *cap. ea,*
3 *quæ, de Censibus, cap.* 1. *de Decimis*, & ita *ex Trid. sess.* 21. *cap.* 1.

Undè *Hostiens. in cap. ut Clericorum num.* 7. *de vita, & honest. Clericorum*,
4 ita inquit: *delinquentes non sunt in pecunia puniendi*, idem *in d. cap. licèt*, & *in cap. irrefragabili, de Offic. Ordin.*, concordat *Text. in Auth. ut judicum*, §. *Agitatio, Auth. de mandat. Principum* §. *Oportet, Auth. ut nullus* §. *Quoniam*.

Præ-

Prælatus igitur, qui mediante pecu-
5 nia, sustinet, vel tolerat criminosos, justitiam vendere videtur, ad *Text. in cap. irrefragabili de Offic.Ordinar.* ibi = *Provideant itaque diligenter Ecclesiarum Prælati, ne hoc salutare statutum, ad quæstum pecuniæ, vel gravosum aliud non convertant, sed illud studiosè, ac fideliter exequantur, si canonicam velint effugere ultionem*, ubi *Fagn. n.* 2. & 14. concordat *Textus in cap.licèt de pœnis*, ubi pariter *Fagn. n.*6.

Circa materiam hanc de mulcta, & in quem usum illa convertenda sit, latè nos in præcedenti tractatu de Episco-
6 pis, ubi de auctoritate Episcopi, quoad pœnas pecuniarias, ibi vide.

ARGUMENTUM.

Prælatus ubi fuerit Putativus, gesta per illum an dicantur valida? Beneficia ubi collata fuerint à Prælato putativo, collatio an sustinenda sit?

SUMMARIUM.

1 *Gesta à judice putativo sive Ordinario, sive delegato; num valida existant?* & num.2.& 3.

4 *Et an id procedat etiam in spiritualibus, in quibus non resistat jus Divinum.*

5 *Indulgentiæ, quas concedit falsus Prælatus, communi reputatione pro vero habitus, suffragantur*, & num.9.

6 *Matrimonium celebratum coram Parocho putativo, validum censetur.*

7 *Gesta per Ministrum putativum valent, quatenus titulum ipse obtinuerit ab eo, qui auctoritatem habet illum conferendi*, & num.8.

10 *Beneficium validè confertur per putativum Prælatum, quatuor tamen concurrentibus circumstantiis, de quibus in corpore disceptationis.*

12 *Validitas actus gesti per Prælatum putativum, fundatur in acquisitione tituli ipsius Prælati, à legitimo Superiore facta.*

13 *Beneficium reservatum nulliter confertur à Prælato putativo, propter decretum irritans in reservationibus Apostolicis contentum.*

14 *Communis reputatio pro validitate actus neutiquam prodest scienti nullitatem tituli.*

15 *Lex succurrens errantibus, non suffragatur scientibus.*

16 *Ignorantia juris non excusat, sed ea quæ versatur circa factum.*

DISCEPTATIO XII.

Non levis est quæstio hic examinanda, an Prælati putativi, sive Ordinarii, sive Delegati, gesta, sint vali-
1 da: de Judice ordinario patet ex *Textu in vulgata lege Barbarius ff.de offic.Prætoris*, ubi DD. communiter. De delegato patet ex *Textu in cap.infamis §. Verumtamen*, 3.*qu*.7. ubi DD.

Verùm licèt dispositio *Textus in d. l. Barbarius* tantùm videatur habere lo-
2 cum in Judice Ordinario per adducta ab *Innoc.in cap.cum dilectus de Rescript.* quem sequitur *Bart. in l.2.C.de Senator.*

Tamen communis sententia est in
3 contrarium, cujus sententiæ est *Angel. Salicet.*, & alii *in d. l.2. Imola in l. quidam consulebant ff. de re judic. Abbas in cap. gratum n.*11. *de Offic. delegati.*

Quæ conclusio videtur habere locum etiam in spiritualibus, in quibus Jus di-
4 vinum non repugnat, ut censet *Innoc. Hostiensis, Card.*, & alii *in cap. nihil de Elect.*, idem *Innocent. in cap. veritatis num.*2. *de dolo, & contum. Sylvester in Summa, V. Confessor* 2. *num.*15. *Navarr. in cap.placuit, de pœnit., & remiss. disc.*6. *num.*177.

Ideoque Indulgentias concessas à fal-
5 sis Prælatis, ob communem errorem, putat Jason *in l. præscriptione num.*26. *C. si contra Jus*, illas esse validas.

Et matrimonium contractum coram
6 Parocho carente legitimo titulo, ob vitium aliquod latens, esse validum putat *Henricus lib.*11. *de Matrimon., cap.*3. *num.*4.

Attamen ad hoc ut actus gesti ab eo, qui auctoritatem non habet, sustineri valeant, cum errore communi requiritur etiam titulus collatus à superiore, licèt
7 titulus ipse sit revera invalidus, ob vitium aliquod occultum, ad *Text. in d.cap.*

d. cap. infamis ibi = *Si servus cum putaretur liber, ex delegatione sententiam dixit*, & ex *d. l. Barbarius*, facit quoque *Glossa in d. cap. nihil*, & ibi *Innoc. num.* 4. *Joann. Andr. num.* 28. *Butr. num.*27. *Fagnan. in cap. super eo, sub num.*8. *de crimine falsi*.

Neque ad hoc satis est, ut titulus conferatur à quocumque superiore, sed conferendus est à legitimo, & auctori-
8 tatem habente, ut docuit *Compost. in d. cap. nihil num.*4., quem sequitur *Butrius ibidem num.*24. *Bald. in d. l. Barbarius num.*29., & ibi *Jason. num.*48. *&* 51. *Gabriel. com. conclus. tit. de probat. lib.*3. *conclus.*8. *Fagn. in d. cap. super eo n.*9. *de crimin. fals.*, ubi alii DD.

Verum ne decipiaris, ò amice Lector, ab eo, quod dicit *Jason suprà*
9 Indulgentias concessas à falsis Prælatis, esse validas, & eas non minus operari, quoad salutem animarum, quàm si essent concessæ à vero Prælato: adverte, *Jasonem* in eo sensu recipiendum esse, nimirum quod sit meritorium dare eleemosynam falsò quæstori, cum spe recipiendi Indulgentias: Alioquin, si idem auctor sentiret, Indulgentias esse validas, ejus opinio esset erronea: hinc Indulgentiæ concessæ à Prælato cum falsis bullis non valent, ita *Ancharar. in Clement. Abusionis de pœnit. & remiss. Felin. in suo tract. de Indulgentiis column. ultim. vers. cæterùm de Indulgent. Episcop. Fagn. d. cap. super eo num.*11. *de crimin. fals.*

Rursus videndum est, an beneficia collata per Prælatum putativum susti-
10 neantur, ex quo habeatur ex communi existimatione pro vero Prælato; & ad intelligentiam nota, opus esse, ut quamplura concurrant copulativè, ut collatio ipsa sustineatur.

Primò requiritur, ut titulus putativus proveniat à vero, & legitimo supe-
11 riore, ut patet ex *dict. l. Barbarius, ff. de Offic. Prætor.* ex qua patet, quod ille servus, qui putabatur liber, habuit officium non à superiore putativo, sed à legitimo, *Compost. in cap. nihil n.*17. *de Elect.*, & ibi *Butr. num.*24. *Bald. in d. l. Barbarius num.* 29., & ibi *Jason n.*48. *Gabriel com. conclus. tit. de probat. lib.*3. *conclus.*8.

Ratio ea videtur, nam titulus putativus, non est verus, sed præsumptus
12 titulus, cum proveniat à superiore putativo, & sic actus fictus non generat fictionem, unde individuum non generat aliud individuum, ut docet *Bald. cons.*130. *num.* 2. *lib.*3. *Alex. cons.*13. *num.*3. *lib.*1., & alii adducti à *Fagnano in cap. quod à Prædecessore num.*130. *de Schismaticis*.

Secundò requiritur, ad hoc ut valeant collationes beneficiorum factæ à Prælato putativo, ut beneficium, quod
13 ab illo confertur, non sit reservatum, alioquin quamvis Prælatus putativus conferat ratione publici officii, non valebit collatio, etiam facta personæ alias habili, propter decretum irritans in reservatione appositum, *Falcon. de Reservat. quæst.*4. *effect.* 26. *Simonet. in eodem tract. quæst.*44. *Fagn. d. cap. quod à Prædecessore de Schism. suprà n.*133. ubi DD. & nos lato calamo *sub titulo de Beneficiis*.

Tertiò requiritur, ut error sit communis, etiam quoad eos, quibus beneficia conferuntur, vel Sacramenta admi-
14 nistrantur, nam respectu illorum, qui sciunt impedimentum, gesta per Prælatum putativum, non sustinentur, ad *Text. in d. l. Barbarius* ibi = *quamdiù latuit*, & pariter ibi = *propter utilitatem eorum qui apud eum egerunt*.

Ecclesia enim clam tribuens jurisdictionem habentibus titulum putativum, illa
15 videtur succurrere tantum errantibus, undè beneficium ignorantiæ non prodest scientibus, *Joannes Andr. in cap.*1. *de Rescript. in* 6. *Abbas in cap. ad probandam num.*15. *de re judicata*, latè *Fagn. sup. num.*134.

Quartò requiritur ad validitatem eorum, quæ fiunt à Prælato putativo, ut error communis sit facti, non autem ju-
16 ris, patet hoc ex *d. l. Barbarius*, ubi ille servus putabatur liber, & sic factum servitutis ignorabatur, concordat *Text. in cap. infamis* 3. *quæst.*7. ibi = *si servus, cum putaretur liber, ex delegatione sententiam dixit*, latè nos in primo quæsito, *Fagn. sup. n.*135. & nos latè *sub titulo de Schismaticis*, ibi vide.

AR-

ARGUMENTUM.

Prælati inferiores Episcopis sive Seculares, sive Regulares illi fuerint, habentes usum Pontificalium, quatenus, & quibus servatis possint illa exercere?

SUMMARIUM.

1 *Usus Pontificalium indulgetur Abbatibus, certis designatis temporibus, certoque determinato modo*, & n.2. & 3.

4 *Paramenta Sacra, an, & quando liceat Abbatibus de Altari suscipere.*

5 *Recensentur plura decreta S.Congregationis Rituum, confirmata per Alexandrum VII. circà modum, ac formam, quibus conceditur Abbatibus usus Pontificalium, & Sacrarum functionum celebratio* usque ad num 36.

36 *Eorundem decretorum declaratio quoad Abbates Cassinenses.*

37 *Abbates pro usu Pontificalium exhibere debent Apostolicum indultum, nec consuetudo eisdem suffragatur.*

38 *Abbates, etiamsi usum habeant Pontificalium, nequeunt Populo benedicere, nisi eis hoc sit specialiter à S. Sede indultum.*

DISCEPTATIO XIII.

Quanta sit potestas Abbatum, cæterorumque Prælatorum inferiorum habentium usum Pontificalium, circa illorum usum, & quo tempore, aut loco possint ea exercere, hic nobis demonstrandam erit; cum non sit pro libito voluntatis cujusque Abbatis exercere illa, sed certis temporibus, & non nullis designatis, & in eorum Ecclesia
1 Abbatiali, nulla requisita licentia, sed propria auctoritate, ut ex *S.Congr.Conc. in quadam Papien.3. Junii 1651.* & ita DD. apud *Pignatell. tom.1. consult.370.*

Dixi *certis temporibus*; etenim in tribus anni festivitatibus, juxta antiqua decreta noviter confirmata, valent ipsi Abbates Missas solemnes pontificaliter persolvere cum usu baldachini, sine tamen auro, & pompa, cum assistentia unius Pre-
2 sbyteri, ac duorum Monachorum, ultrà Diaconum, & Subdiaconum, & aliorum paratorum, ad summum, non excedentium numerum senarium, ut ex quadam *Constit. Urbani VIII. in ordine Bullarii novi la 97. & 101. Card. de Luca de praemin. disc.15.*

Ipsi autem, pontificaliter celebrando, debent habere sedem in plano Presbyterii, absq; ullo gradu, vel suppedaneo suggesto, vel baldachino, sed tantum aliquo postergali ex serico levi, cum solo Diacono, & Subdiacono paratis, & alio assistente cum pluviali, adhibitis tantum sex candelabris, & parvo Abaco, ac bireto nigro; sedes autem dictorum sex
3 paratorum, permanere debet extra thorum, itaut in scabellis sedeant: *Gavant. in Manuali Episcoporum V. Abbas n.11. & 12. & ex citatis Constitutionibus Urbani VIII. suprà.*

Abbates ipsi, cum pontificaliter celebrant, sumere possunt paramenta de Altari; secùs tamen videtur aliis diebus, quia tunc nihil differunt ab aliis; proinde debent sacra paramenta induere in Sacristia, sicut cæteri, & ubi desit Sacristia, in cornu Evangelii, ad distinctionem Episcoporum, qui semper accipiunt paramenta de medio altaris,
4 sive solemniter, sive privatim celebrent, ut ex decreto *S.Cong.Rituum apposito in principio Missalis novi reformati à d.Urbano VIII. & DD. communiter.*

Verùm quia perperam à multis, constitutiones Urbani loco suprà citato interpretabantur, emanavit novum decretum circa usum Pontificalium, à Sac. Congr.Rituum ordinaria habita, coram Alex.VII. sub die 27.Septembris 1659. tenoris sequentis

5 *Sacrorum Rituum Congregatio tollendis, ac eliminandis circa Ecclesiasticos Ritus, qui irrepserunt, abusibus, sedulò intenta, post Episcoporum ceremoniale evulgatum, idem quoad Inferiores Prælatos, qui Pontificalium usu fruuntur, præstandum, curam necessariam existimavit, ut excessus aboleantur, uniformisque inducatur sacrorum Ritus in omnibus, eo præsertim tempore, quo privilegia ipsi perperam interpetrantur, & obtendentes, parum obsequi student decretis in hac met re, aut ipsa ignorare præ-*

*prætexunt. Quamobrem omnia simul,
ut unico conspiciantur obtutu, cogere,
perque capita digerere constituit, quo
faciliùs observentur.*
6 *§.1. Super Altari, in quo sacra
erunt facturi, septimum nequaquam ap-
ponatur candelabrum.*
7 *§.2. Cathedram, seu Sedem fixam,
& permanentem, in eorum Ecclesiis ne
detineant, sed tribus ipsis diebus, qui-
bus ex antiquis decretis tantummodo
pontificaliter celebrare est iis permissum,
mobili sede, seu cathedrâ utantur, quam
nihilominus simplici serico panno coloris,*
8 *festivitati congruentis, obducere pote-
runt, non verò contexto, aut phrigio, seu
basilico opere exornato.*
*§.3. Baldachinum adhibere supra sedem
poterunt non pretiosum, aut aureum,*
9 *& eo quod altari superimponitur, ma-
teriâ, & opere inferiùs: ad ipsum au-
tem per duos tantùm gradus in presby-
terii superficie stratus ascendatur.*
*§.4. Non Abacum alium, præter parvam
mensam & in cornu Epistolæ ponere fa-
ciant, in qua duo candelabra cum cande-*
10 *lis, necnon mitra, calix, missale,
thuribulum, naviculla, & reliqua ad cele-
brationem necessaria collocentur; propè
verò mensam eamdem, parieti hærens,
baculus pastoralis aptetur.*
*§.5. Dies verò, in quibus ipsis solemniter
operari conceditur, sint de præcepto fe-
stivi, vel alii, in quibus ipsis pontifica-
liter celebrare festivitatis ratio exigat,*
11 *nempe, Patroni loci, Fundatoris ordi-
nis, Tituli, & dedicationis Ecclesiæ. Ab-
stineant autem ab hujusmodi pontifica-*
12 *lium usu in Officiis, & Missis defun-
ctorum, quocumque die, etiam festivo,
& de præcepto.*
*§.6. Ad Ecclesiam accedentes, licèt pon-
tificaliter divina peracturi, iisdem abso-*
13 *lutis, de Altari recessuri, à suis Cano-
nici, vel Monachis (ut mos est Episcopo-
rum) ne associari se, sinant.*
*§.7. Præter duos Sacrificii ministros, Dia-
conum nempè Evangelii, & Subdiaconum
Epistolæ; duo alii tantùm Diaconi cum
dalmaticis, & unicus presbyter cum*
14 *pluviali, eis assistant; duo insuper Ca-
pellani, qui pro mitra, & baculo, ac to-
tidem acoliti, pro candelabris, inserviant.
Præterea sex alii Monachi, vel Canonici,
duo scilicet pluvialibus, duo, planetis, to-*
15 *tidemque tunicellis induti, divinis hu-
jusmodi interesse valeant; qui tamen non
in sedibus, seu stallis choralibus, sed in
scamnis, absque postergalibus, panno
viridi laneo coopertis, situ congruo ac-*
16 *commodatis, moxque illinc removendis,
considant.*
*§.8. Mitram pretiosam, nisi illis ex-
pressè à S. Sede indultum fuerit, non ad-*
17 *hibeant: sub mitra pileolum nigri co-
loris tantùm induant: baculum pastora-
lem, albo velo appenso, deferant: abiisque,
& aliis pontificalibus, etiam de Ordina-
riorum licentia, extra Ecclesias sibi sub-
jectas, prorsus abstineant; & neque in
processionibus, quæ ab eorum Ecclesiis*
18 *per vias extra ambitum, vel paro-
chiam ducuntur, insigniis prædictis utan-
tur, vel penes se perferre faciant.*
*§.9. Regulares Rocchettum non defe-
rant, nisi ex tali Ordine fuerint, cui in-*
19 *dumentum hujusmodi competat.*
*§.10. Invitati ad Ecclesiam exemptam,
nec in illa Pontificalibus uti valeant; nec
ii, qui non fuerint Abbates perpetui,*
20 *vel benedicti, in propriis Ecclesiis uti
possint privilegio perpetuis Abbatibus,
vel aliàs benedictis indulto.*
§.11. Sacras vestes ex altari non su-
21 *mant, nisi Pontificaliter divinis vaca-
turi.*
§.12. Indulgentias impertiri, vel
22 *publicare non audeant, absque expresso
Sanctæ Sedis indulto.*
§.13. Pontificales benedictiones cum
23 *trina Crucis productione in Missis tan-
tùm Pontificalibus, necnon Vesperis,
& Matutinis Pontificaliter itidem cele-
bratis, licere sibi tantùm meminerint.
Privatim verò, populis, quamvis ple o
jure subjectis, nisi expressè ipsis permis-*
24 *sum fuerit: etiam Pontificalibus indu-
ti, per Ecclesiam incedentes, benedice-
re non præsumant.*
*§.14. Præsente Episcopo, sine spe-
ciali Sedis Apostolicæ permisso, etiam*
25 *Pontificaliter celebrantes, à benedictio-
nibus cessent.*
*§.15. Si Episcopus aderit, ipsius Se-
des in cornu Evangelii, uno saltem gradu
eminentiori Abbatiali, est erigenda: hæc-*
26 *que altero gradu humilior, ut dictum
est, in cornu Epistolæ collocetur. A la-
tere*

tere Episcopi Canonici Cathedralis; propè Abbatem Canonici, vel Monachi Monasterii, & Abbatialis Ecclesiæ con-
27 *sideant. Confessionem cum celebrante Episcopus faciat, isque thus thuribulo imponat, Evangeliorum Textum osculetur, & populo solemniter (quamvis Abbas ipse Pontificaliter celebret), benedi-*
28 *cat. Episcopus præterea, trino ductu, & immediatè Canonici Cathedralis, duplici, moxque Abbas (nisi celebret) pariterque duplici, & subindè Canonici, vel Monachi Abbatialis Ecclesiæ, unico tantùm ductu, thurificentur.*

§. 16. *Abstineant tamen Episcopi, ubi consuetudo contraria non viget, à frequenti hujusmodi accessu ad Ecclesias*
29 *exemptas, in similibus actibus, ut liberius Abbates uti possint suis privilegiis.*

§. 17. *In ordinationibus Canonicorum, Clericorum, Monachorum, necnon in Vestitionibus Monialium, & emissione professionis earumdem, etiam pleno sibi jure subjectarum, in benedictionibus sacræ Supellectilis, cęterisve actibus, Missarum, Vesperarum, Matutinorum solemnitatibus, tantùm in anno, ut præfertur, exceptis, neque in Ecclesiis,*
30 *Oratoriis, aliisque locis, tàm publicis, quàm privatis quantumvis exemptis, eisdemque Abbatibus pleno jure subjectis, mitram, baculum, & quævis alia Pontificalia insignia, nisi de expressa Sedis Apostolicæ concessione, adhibeant.*

§. 18. *Ecclesiasticam Supellectilem*
31 *pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum, benedicant.*

§. 19. *Reliqua Pontificalia, extra loca ipsis Abbatibus subjecta, vel pro servitio alienæ Ecclesiæ, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum, exercere non valeant, puta*
32 *Campanarum benedictiones, Calicum, & similium, in quibus sacra adhibetur unctio, necnon minorum ordinum collationes.*

§. 20. *Concionatoribus, qui eorum subditis verbum Dei prædicandi onus acceperint, benedictionem elargiri non*
33 *præsumant, sed Episcopis, quibus hujusmodi Jus privativè competit, omninò dimittant.*

§. 21. *In Missis privatis, quoad indumenta, cæremonias, Ministros, Altaris ornatum, & benedictionis largitionem, à simplici Sacerdote non discrepent: ac proindè sacras Vestes induant*
34 *in Sacristia, neque utantur Cruce pectorali, unico sint contenti Ministro, aquam cum pelui, & urceolo argenteis, sibi ministrari non sinant, duasque tantùm candelas super Altari, adhibeant.*

Supradicta decreta fuerunt approbata à Papa Alexandro VII. de eo tempore regnante, qui pro observatione eorum, commisit Episcopis locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apostolicæ
35 possint, imò debeant præfatos Abbates, ubi illi renitentes fuerint, ad hujusmodi decretorum observantiam, etiam per censuras Ecclesiasticas, compellere. Mandavit etiam Nunciis Apostolicis, ubi aderint, sin minus, Episcopis, vel Archiepiscopis, in cujus Diœcesi, vel propè, aut in quorum Provinciis existant Monasteria, quæ dicuntur exempta, & nullius Diœcesis, ut ubicumque Abbates non observaverint hujusmodi decreta, de quibus suprà, ut possint cogere eosdem, tamquam à S. Sede delegati, ad illorum observantiam, ut ibi *vers. his autem*, & *vers. cumque*.

His generaliter habitis à Sacra Congregatione Rituum, quo suprà; reclamantibus Monachis, ac Procuratore Generali Congregationis Cassinensium, pro declaratione nonnullorum dubio-
36 rum, remissis precibus à dicto Pontifice ad eamdem Sacram Congregationem Rituum, respondit ad id quod fertur in §. 5. *Posse Abbates prædictos Monasterii Montis Cassini, in exequiis nobilium virorum, uti Pontificalibus.* Necnon ad id quod fertur §. 6. concessit Abbati Pontificaliter peracturo divina, ut possit associari à Monachis, modò non extra, sed intra septa Monasterii, sese ad Ecclesiam conferat. Ad id quod fertur §. 7. circa usum Ministrorum, Sacra Congregatio censuit, indulgendos alios quatuor Ministros cotta indutos, ultra expressos in decreto. Ad id quod fertur §. 8. circa mitram, Sacra Congregatio censuit, servandam esse dispositionem *cap. ad Apostolicæ, de privileg. in 6.*

Ad id quod fertur §.17. quo prohibetur usus Pontificalium, extra tres anni festivitates, quo suprà, Sacra Congregatio indulsit, ut in conferendis ordinibus, in consecrationibus cum sacro oleo, Abbates mitram adhibeant. In reliquis mandavit Sacra Congregatio, servanda esse decreta.

Demum in materia prædicta, de usu Pontificalium, scias, quod Abbates, aliique Prælati inferiores Episcopis, non
37 possunt illa exercere, nisi docto de privilegio, ac Apostolico indulto, circumscripta quacumque consuetudine, *Fagn. in cap. tua nos, de auctoritate, & usu pallii, Sac. Congr. Conc. in una Nullius, Causæ maximæ 6. Martii 1673. confirmata 26. Januarii 1686.*

Ipsi verò Abbates, tàm Sæculares, quàm Regulares, habentes ex indulto Apostolico, usum mitræ, & baculi, aut usum insignium Pontificalium, debent
38 impetrare à S. Sede Apostolica munus benedictionis, ad hoc ut in functionibus valeant benedicere populo: *Sac. Congreg. Concil. in una Pennen. 23. Martii 1658.*

ARGUMENTUM.

Prælati Regulares, quàm habeant auctoritatem, & potestatem in eorum subditos Regulares, demonstratur.

SUMMARIUM.

1 *Abbas eandem habet potestatem in suos Regulares, quam Episcopus in Clericos sibi subjectos.*

2 *Abbas absolvere potest suos subditos Regulares ab omnibus peccatis, & censuris, quæ non reperiantur specialiter reservatæ.*

3 *Atque etiam à censura, ob levem clerici percussionem*, & num. 4.

5 *Dispensare itidem potest cum subdito apostata à Religione, ut in ordinibus ante apostasiam ritè susceptis, valeat ministrare, sive etiam ad majores ascendere.*

6 *Rursus dispensare potest super irregularitate cum subdito regulari, qui ignoranter ordines suscepisset in excommunicatione.*

7 *Itemque potest similiter cum sibi subdito dispensare super jejunio, ac ciborum delectu.*

8 *Jure utitur Abbas, habens usum Pontificalium, suis subditis Regularibus Tonsuram, atque ordines minores conferendi, juxta declarationes, de quibus* num. 9. 10. 12. 13. 14. 15. & 16.

11 *Novitius juvari nequit Privilegio, Religiosis concesso.*

13 *Oblati, sub Regularium indultis non continentur.*

16 *Negatio præposita verbo, actum in contrarium gestum, nullum reddit, atque irritum.*

17 *Ordines ab Abbate non licet suscipere ei, qui Abbatis subditus non existat; suscepti tamen non reiterantur, sed obtenta à Papa rehabilitatione, possunt exerceri.*

18 *Abbas pro majoribus ordinibus mittere debet subditos Regulares ad viciniorem Episcopum, ne vagentur.*

19 *Prælatos constituit Christus Dominus tanquam speculatores gregis; ideoque vigiles esse debent, benigni, nec non paterna charitate imbuti.*

20 *Abbas tenetur suorum subditorum mores reformare, appellatione postposita:* & num. 24. *quod intellige*, ut num. 21. 22. & 23.

24 *Prælato non sufficit quod bonus sit, nisi munus suum, subditos corrigendi, non impleat.*

25 *Abbates, aliique inferiores Prælati subditos, à suorum graduum exercitio, possunt ex justa causa suspendere.*

26 *Abbates inobedientiam subditorum possunt, etiam per censuras Ecclesiasticas, coercere.*

27 *Et possunt eisdem subditis interdicere etiam propter occultum crimen, ne ad superiores ordines ascendant.*

28 *A susceptis ordinibus nequeunt illos tamen suspendere, ex causa occulta.*

DISCEPTATIO XIV.

QUæ sit auctoritas, & potestas Prælati Regularis in suos subditos Regulares, hic nobis est demonstrandum. Et generaliter dicimus, tantam aucto-

auctoritatem, & potestatem habere
1 Abbatem in Subditos Regulares, quantam habet Episcopus in Clericos sibi subjectos:. *Doctores communiter*. Hinc.

Primò: Potest absolvere suos subditos Regulares ab omnibus peccatis, &
2 censuris, dummodo alteri superiori non fuerint specialiter reservatæ à Jure, *Suarez.tom.4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap.20. n.2. Tamburin. de Jur. Abbat. tom. 2. disp.14. quæst. 12.*

Locum habet supradicta conclusio, etiam ubi agitur de censura, ob Clerici percussionem, cujus absolutio licèt vi-
3 deatur reservata Papæ; nihilominus Abbas, suos absolvere potest subditos, *ad Text.in cap.Monachi,de Sent.excom.Suarez tom.5. de Censuris disp. 22. sect. 1. num.73. Tamburin. sup. tom.2. disp.14. quæst.10.Fagn.in cap.cum inter,de Sent. & re judicata num.18.*

Dummodo tamen excessus non fuerit
4 enormis, idem *Fagn.in cap.cum illorum, de Sententia excomm. n.11.*

Secundò: Dispensare potest cum suo subdito apostata à Religione, ut mini-
5 strare possit in ordinibus ritè susceptis, necnon ut ad majores promoveri valeat, dummodo in apostasia non fuerit ordinatus, quo casu solus Papa dispensat *ad Text. in cap.fin. de apostatis, Decian. tract.crim. lib. 5. cap.73. num.18. Suarez tom. 5. de Censuris, disput. 31. Sayrus eodem tract. lib. 4. cap.13. num. 16.*

Quartò: Dispensare potest cum suo subdito Regulari, quatenus irregularitatem contraxerit, accipiendo ordines in excomunicatione, dummodo igno-
6 ranter hoc egerit; secùs verò, ubi scienter hoc ab eo peractum fuerit: *ad Text. in cap.in illorum,de Sententia excom.ubi Hostiensis, Panormitanus, & alii DD.*

Quintò: Dispensare potest cum suis subditis Regularibus, in jejunio, & delectu ciborum, *ad Text. in cap. cum non*
7 *mediocriter, cap. carnem, & cap. nunquam, de consecrat. dist.8. cap. cum ad Monasterium, de statu Monachorum*, ubi *Fagn. num.18.*

Sextò: Potest conferre *suis subditis Regularibus*, primam tonsuram, ac minores ordines tantum, quatenus habeat usum Pontificalium, *Concil.Trid.sess.24.*
8 *cap. 17. de Ref. Ciarlin. controv. forens. cap. 220. Barbosa de Episc. Alleg.3. n.7. 67.& 68.Pignatell.consult.Canon.tom.1. consult. 365. Sacra Cong. Conc. in una Panormitana 16. Martii 1647. Fagn. in cap. cum contingat, de ætate, & qualit. Rota cor. Seraphino dec. 985. & in una Cabilonen.Cisterciensium 10.Junii 1702. coram Molines.*

Abbas verò, quò suprà, non potest devenire ad collationem ordinum, nisi tribus concurrentibus; primò, quod ipse
9 sit Sacerdos; nam ut diximus, aliquando potest eligi in Abbatem, non Sacerdos, ex dispensatione Papæ: Secundò quod benedictionem receperit, vel saltem, quod in ea petenda, negligens non fuerit: Tertiò, quod proprio subdito Regulari ordines conferat: ita *Franciscus Marcus dec.1082. tom.2.*

Dixi *suis subditis Regularibus*: hinc videndum est, an illos conferre possit nondum professis. Et negativè respondendum videtur: ratio est, quia Novi-
10 tius, & nondum professus, licet dicatur in via ad professionem emittendam, attamen non dicitur verè Religiosus; cum
11 ad sui libitum habitum, quem gestat, dimittere valeat; ac proindè, uti diximus, non potest ordinari, *Tamb.de jur.Abbat. to.2.disp.2. q.27. Gratian. discep.forens. c.741. & 791.n.6.Sayr.de censuris lib.4. cap.13. n.5. Barbosa d. alleg.3. tom.8.*

Dixi, post quam fuerit benedictus: Etenim ante benedictionem non potest conferre ordines, etiam suis subditis regularibus, absque incursu censura-
12 rum, ac nullitatis collationis ordinum (nisi habeat privilegium particulare) *Sac.Cong.Conc. in una Calaguritana 13. Februarii 1639. & in altera Panormitana 16. Martii 1647. Fagn. in cap. quarto, de consuetud.n.21. & sequentib. Pignatell.tom.1. consult.364.*

Nomine subditorum Regularium, de quibus supra, non veniunt oblati; etenim ipsi, licèt omnia sua bona dederint
13 Monasterio, ac vitam ducant sub obedientia Abbatis; quia non dicuntur professi in ipsa Religione, proinde Abbas ipse non valet eos promovere ad ordines, quo supra; neque eis literas dimissoriales concedere, quatenus voluerint ad ordines majores ascendere, *Sac.Cong. Conc.in una Monachorum Cisterciensium*

15. *Novembris* 1664. *lib.* 24. *Decret.*
*fol.*296.

Caveant itaque Abbates, ne ordines
conferant eorum non subditis, quo suprà,
nam aliter non erunt liberi à pœnis, li-
cèt ipsi habeant jura Episcopalia, usum
mitræ, & baculi, ac facultatem benedi-
cendi, & conferendi primam tonsuram,
& minores ordines: Etenim iidem Ab-
14 bates, ordines prædictos conferre non
valent, nisi eorum subditis Regulari-
bus, non autem Regularibus alterius
ordinis, congregationis, vel instituti;
etiamsi habeant literas dimissorias suo-
rum superiorum; & multò minus con-
ferre illos possunt Clericis Sæcularibus,
etiam habentibus dimissorias proprii or-
dinarii. Quod si Abbas secus fecerit,
tam concedentes literas ipsas, quàm or-
dinantes, à collatione ordinum viden-
15 tur de jure suspensi: *Sac. Cong. Conc.* 23.
Novembris 1641. *approbata ab Urba-
no VIII.* 17. *Januarii* 1642. *eadem Sac.
Cong. Conc. in una Panormitana* 16. *Mar-
tii* 1647. *& in altera* 26. *Junii* 1655.
relata à Card. de Luca de Pens. disc. 81.,
eadem S. Cong. Conc. in una Catanien. 10.
Maji 1658. *Pignatell. tom.* 1. *consf.* 367. *&
tom.* 4. *consf.* 158. *Fagn. in cap. aqua n.* 19.
in fin. de consecrat. Ecclesiæ.

Abbas, finito officio, non potest con-
ferre ordines quò suprà, licèt sit Pro-
curator Generalis in Curia Romana:
16 etenim negatio, præposita verbo, cum
sit negatio potentiæ, reddit actum de ju-
re nullum: *Bonacina de Sacram. disp.* 5.
quæst. 7. *part.* 4. *num.* 7. *Sacra Congreg.
Conc.* 5. *Aprilis* 1636.

Licet, his non obstantibus, eadem *Sac.*
Congr. Conc. 26. Junii 1655. declarave-
17 rit, sic ordinatos ab hujusmodi Abbati-
bus, non esse iterum ordinandos, sed
quod tantum ipsi debeant rehabilitatio-
nem obtinere à Sanctissimo.

Tantùm, ut dixi, valet Abbas or-
dines minores conferre suis subditis Re-
gularibus; etenim, cum ad majores
ascendere voluerint, tunc debet illos
mittere ad Episcopum, intra cujus Diœ-
18 cesim existit Monasterium, & hoc in-
troductum fuit à Jure, ne detur ansa Re-
gularibus ipsis, vagandi: ad tradita per
Tamburin. de jur. Abbat. tom. 2. *disp.* 2.
quæst. 6. *num.* 1. *Trid. sess.* 23. *cap.* 8. *de
Reform. Fagn. in cap. cum olim num.* 15.
& 16. *de Præscript.*, & nos latè de ma-
teria ista, suis locis, ubi de ordine.

Assumptus ad munus Abbatiale sui
Monasterii, tanquam bonus pater fa-
milias, debet curam habere suorum
19 subditorum; nam Prælati à Christo
domino fuerunt instituti, ut speculato-
res gregis; proinde debent esse vigilan-
tes, præcipuè circa Dei cultum, ac mu-
tuam fraternitatem inter ipsos; debent-
que animos subditorum æque timen-
tium, & renuentium, sibi conciliare; &
quatenus opus sit, mortem subire, ut
Dei honorem, & subditorum salutem
conservent, juxta illud Christi domini:
*Bonus Pastor dat animam suam pro ovi-
bus suis.*

Potestatem habent ipsi Abbates, cor-
rigendi eorum subditos, ac illorum mo-
20 res reformandi, quacumque consuetu-
dine, vel appellatione non obstante,
ad *Text. in cap. irrefragabili de Offic.
Ordin.* ibi: *Irrefragabili Constitutio-
ne sancimus, ut Ecclesiarum Prælati,
ad corrigendum subditorum excessus,
maximè Clericorum, & reformandos mo-
res, prudenter, ac diligenter intendant,
ne sanguis eorum de suis manibus requi-
ratur: ut autem correctionis, & refor-
mationis officium liberè valeant exerce-
re, decernimus, ut executionem ipso-
rum, nulla consuetudo, vel appellatio
valeat impedire, nisi formam, in talibus
excesserint, observandam*, ubi *Fagnan.
n.* 1. *& pluribus seqq. concordat Text.
in cap. ad nostram de Appellat.* ibi: *quia
verò remedium appellationis non ideò est
inventum, ut alicui à Religionis, &
Ordinis observantia, exorbitanti debeat
in sua nequitia patrocinium exhibere;
mandamus, quatenus, si quando quili-
bet subditorum tuorum ad remedium ap-
pellationis convolaverit; non ideò minus
eum, juxtà tenorem mandati, quod in
prædicta regula continetur, & institu-
tionem Ordinis, corrigas, & castiges*,
ubi *Fagn. num.* 1. *& seqq.*

Supradicta procedunt quoad effectum
suspensivum, nam quoad devolutivum,
21 datur appellatio, etiam à correctione,
ut habetur ex *Trid. sess.* 13. *cap.* 1., ubi
statuitur, ut in causis visitationis, &
correctionis ab Episcopos, seu illius Vi-
cario,

cario, ante diffinitivam sententiam, ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine, non appelletur, ut nos suis locis infra.

Cęterùm, si Prælatus, vel Abbas Regularis modum excedat in corrigendo,
23 tunc videtur licitum subdito appellare ad utrumque effectum, ad *Text. in d. cap. irrefragabili*: concordat *Text. in cap. de priore de appellat. Fagnan. in d. cap. ad nostram de appellat. num.* 11., & nos suis locis, ubi de visitatione, & procuratione, sermonem habebimus.

Tale est onus Abbatum, cęterorumque Prælatorum sive Secularium, sive Regularium, corrigendi eorum subditos,
24 ut aliter facientes, videantur eos occidere, ut habetur ex Divo Gregorio, ad *Textum in cap. Ephesiis* 43. *dist. Fagn. in d. cap. irrefragabili, num.* 22. ac proindè, licet ipsi boni sint, non videntur immunes à pœnis apud Deum, ad *Text. in cap. licet Heli, de Simonia* ibi = *Licèt Heli Summus Sacerdos in se bonus existeret; quia tamen filiorum excessus efficaciter non corripuit, & in se pariter, & in ipsis, animadversionis Divinæ vindictam excepit; dum filiis ejus in bello peremptis, ipse de sella corruens, fractis cervicibus, expiravit*: undè Abbatis antiqui versus:

Funere crudeli, fractis cervicibus, Heli
Corruit à sella, tristi veniente novella.

Pariter isti Abbates, quod videtur dicendum de quibuscumque Prælatis Regularibus, habent in facultatibus jus
25 suspendendi eorum subditos, à gradibus, & dignitatibus, data legitima causa, etiam extrajudicialiter habita, *Fagnan. in cap. cum dilectus num.*7. *de consuetud. Trid. sess.* 14. *cap.*1. *de Reform.*, ubi *Barbosa*.

Necnon procedendi ad sententiam excommunicationis contra illos, ubi
26 contumaces, & inobedientes fuerint eorum mandatis, ad *Text. in cap. cum in Ecclesiis, de major. & obed. Fagn. in cap.*4. *num.*12. *de Offic. Ordin.*

Tanta est auctoritas, & potestas Abbatis, alteriusque Prælati Regularis erga suos subditos, ut valeat interdicere illis ascensum ad Superiores ordines etiam ob occultum crimen, ad *Textum in cap. ad aures, de temporibus ordinat.*
27 ubi *Fagn.* Prælatorum, seu Præpositorum nomine, hic intellige Abbates, vel Priores *cap. ea quæ de statu Monach.* vel Ministros, aut Custodes, *cap. nimis parva de excessibus Prælator.* vel Guardianos, aut alios, qui Religiosis præsunt, quoquo titulo nuncupentur *cap. petitio, de Procuratoribus, Fagnan. in d. cap. ad aures, num.*3.

Non videtur tamen eisdem permissum, ex occulta causa illos suspendere ab ordinibus, & dignitatibus jam susceptis, cùm id non videatur jure cautum,
28 *Innoc. in cap. ex tenore, de temp. ordin.* ibi = *à beneficio tamen non credimus eum debere abstinere, Fagn. in cap. ad aures num.*12. *eodem titulo.*

De Protonotariis Apostolicis, tàm de Collegio, & numero Participantium, quàm Honorariis, qui dicuntur extra Collegium, ubi prius de Protonotariis de Collegio, deinde de aliis.

ARGUMENTUM.

Protonotarius unde nomen, & quotupliciter illud consideretur: videlicèt ut alii dicantur de Collegio, & numero participantium, alii Honorarii? Protonotarii primi generis undè habuerunt originem, & ad quem effectum, & quonam numero.

SUMMARIUM.

1 *Protonotarii Apostolici, alii de numero participantium, alii honorarii nuncupantur*, & num.3.
2 *Protonotarii ethymologia expenditur.*
4 *Protonotariorum Participantium institutio habuit originem usque à tempore primitivæ Ecclesiæ, & ad quod ministerium* num.5.
6 *Protonotarii Participantes primæva origi-*

origi...c sex erant constituti, quos deinde Sixtus V. adauxit ad duodecim.

7 *Horum septem antiquiores, aliquid majus habent emolumenti, atque privilegii*, & n.8. *eorumdemque prærogativæ, atque exemptiones, recensentur* num.9. 10. & 11.

DISCEPTATIO XV.

POsitis in præcedentibus, de Prælatis inferioribus Episcopis, quicumque illi fuerint, sivè Sæculares, sivè Regulares; ad materiam ipsam putavimus adnectere cognitionem de Protonotariis Apostolicis, sivè illi considerentur uti de Collegio, & numero Participantium,
1 sive extra Collegium, qui aliàs honorarii nuncupantur: ubi de utrisque, tàm in hac, quàm in sequentibus, quæ respiciunt illorum institutum, dignitatem, privilegia, & similia, demonstrabimus.

Nobis præn otandum videtur, unde desumpse rit originem hoc nomen *Protonotarius*. Et videtur dicendum, ut idem sonet, ac primus Notarius, à verbo
2 Græco *Prothos*, quod idem significat, ac *primus*., & *Notarius*, ita *Cassaneus in Cathalogo gloriæ Mundi part.* 4. *conclus.*29.

Protonotarii, alii dicuntur de Collegio, & numero participantium, qui
3 sunt Prælati Romanæ Curiæ; alii verò extra Collegium, & sic Titulares, vel Honorarii tantum: de primis primo loco erit agendum, & de illorum numero, dignitate, auctoritate, & potestate; de cæteris uti honorariis, ac illorum dignitate, & similibus, in sequentibus.

Protonotarii primi generis, qui dicuntur Notarii S. Sedis Apostolicæ, & sunt de Collegio, & numero Participantium, ortum habuerunt, ab initio nascen-
4 tis Ecclesiæ, & sic de tempore, quo regnabat in Cathedra Petri Clemens primus. Is enim cum videret non paucos, qui fidem Christi fatebantur, sæpè sæpius duci ad Martyrium; & sic varia tormentorum genera pati, ac subire, non pertimescebant, non sine afflatu Sancti Spiritus, ne tantorum virorum, ac mulierum, ac eorum virtutum, quibus hodiè Christiana Religio resplendet, ullo umquam tempore, memoriâ hominum excideret: Clemens, qui supra, Anno Christi 98. septem Notariis, Regiones Urbis totidem distribuit, ut eorum cura esset, Martyrum res gestas, literis mandare æternis: ut notat *Lotterius de re benefic.lib.*2.*quæst.*28. *num.*33. ubi DD.

Hoc idem mandavit ex posteà Anterus Pontifex primus, qui occasione cujusdam Maximi, qui Martyrio affectus fuit, curavit diligentissimè, ut gesta Mar-
5 tyrum conquisita, atque per dictos Notarios descripta, in Ærario Ecclesiæ custodirentur, ne memoria benè operantium amitteretur simul cum vita, quam pro Christi gloria perdiderunt; Et sicuti Clementis, & Anteri Pontificum, fuit illa tam sancta, & celebris institutio: ita evenit, ut successorum incuria, intermissa, posteà per Julium I. Romanum Pontificem fuit renovata, qui non solum SS. Martyrum gesta, sed omnia ad rem sacram pertinentia per eosdem septem Notarios, literarum monumentis mandanda, curavit, ut notant *Ciacconus, Platina, Ceccarellus, & alii in vita Pontificum, & Polidorus Virgilius de Inventoribus lib.*4. *cap.*11. *& Jacobatius de Conciliis lib.* 1. *art.* 5. *num.*5.

Protonotarii de Collegio, & numero Participantium, sunt Prælati Romanæ
6 Curiæ, quorum numerus antiquitus non erat plusquam septem, & sic juxta primum institutum: quem quidem numerum auxit Sixtus Papa V. usque ad duodecim; ut habetur ex Constitutione ejusdem, incipiente: *Romanus Pontifex*; adeò ut numerum duodecim Protonotariorum expleverit, qui omnes in Collegium, pretio decem millium, aureorum de Camera, cooptantur, & nuncupantur de numero Participantium, eo quia ex fructibus eorum officii, partem in Romana Curia percipiunt. *Sà in thesauro fori Eccles. part.*1.*cap.*2. *num.*34. *cum sequentibus, & DD. passim.*

Ad hoc Almum Collegium Protonotariorum semper assumuntur viri ex nobilibus, & insignibus familiis, pro ut mihi notum est; & hodie patet esse nobilissimos viros assumptos ad hanc dignitatem. Redeuntes ad numerum, quo supra, videtur notandum, ut licèt omnes

nes

nes constituant numerum duodenarium, licèt omnes quoad dignitatem sint pa-
7 res; nihilominus, ex dicto numero septem tantum primi, & antiquiores, aliquid amplius, circa privilegia obtinent, præ illis quinque: nempè in obitu, & creatione novi Pontificis, scuta 434. monetæ, pro habitu nigro, & violaceo, illis solvuntur, quæ inter illos septem tantum dividuntur; cęteri verò alii quinque nihil obtinent de distributione prædicta, ut apparet in M. 8. dicti Collegii.

Habent quoque iidem septem antiquiores exemptionem sex lagenarum vini tàm ripalis, quàm alterius generis,
8 quod non videtur dubitandum, stante inveterato privilegio, & apparet ex notis ejusdem Collegii.

Idem Sixtus V., cupiens in sua antiquitate, & nobilitate conservare Protonotarios Apostolicos, ut æquum est, & majoribus etiam favoribus, & gratiis prosequi volens, motu proprio, & non ad illorum instantiam, prædictis septem Protonotariis, & eorum cu-
9 juslibet nunc, & pro tempore existentibus privilegia in primis, gratias, exemptiones, facultates, libertates, immunitates, favores, præeminentias, decreta, declarationes, indulta quæcumque, per quoscumque Romanos Pontifices concessa, confirmavit, & innovavit, & insuper eum extensione ampliavit, ut ex *Constit. edita per ipsum, nonis Februarii* 1568.

Prædictis septem Protonotariis Sixtus sua *Constit. quo suprà* §. *Et insuper*, concessit privilegium recipiendi taxam
10 expeditionum, quæ in Curia Romana de Ecclesiis Cathedralibus, & Metropolitanis, necnon Monasteriis tàm Consistorialibus, quàm per supplicationem, tàm in Cancellaria, quàm in Camera Apostolica, etiam in partibus infidelium, & etiam per viam secretam, gratis ubique: & etiam si pro Clericis Cameræ Apostolicæ privilegiatis expediantur; nihilominùs semper integram taxam debitam eisdem Protonotariis, solvendam esse, voluit.

Ratione dignitatis, qua fruuntur, Protonotarii de Collegio, & numero Participantium, quò suprà, sunt exempti à quorumcumque Ordinariorum locorum, & illorum judicum, jurisdi-
11 ctione, potestate, & superioritate, ac dominio. Sixtus enim, quo suprà, prædictos exemit, & omninò liberavit, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjecit; itaut Officiales, & Vicarii, & quicumque alii Judices, nullam in eos etiam ratione delicti, contracti, aut rei, de qua agi contigerit, superioritatem, potestatem, jurisdictionem, vel dominium exercere valeant, aut excommunicationes, vel alias sententias, censuras, & pœnas proferre, nisi Romani Pontificis mandato, aut ipsi in fragranti aliquo delicto deprehendantur: ita ex *dicta Constitut. Sixtina* §. *Eosdem Notarios*.

ARGUMENTUM.

Protonotariorum de Collegio, & numerum Participantium, quæ sit dignitas? Quæ sit hujusmodi Protonotariorum auctoritas, facultas, & potestas, ostenditur.

SUMMARIUM.

1 *Protonotariorum Participantium insignia describuntur.*
2 *Iidem per Constitutionem Leonis X. exempti sunt ab Ordinariorum jurisdictione.*
3 *Quem locum obtineant hujusmodi Protonotarii in Capellis Pontificiis, & quam honorificentiam* num.4.
5 *Interveniunt in Consistoriis publicis, itemque in semipublicis, ubi de conficiendo instrumenta rerum ibi gestarum rogantur*, & num.6.
7 *Rerum notabilium Summi Pontificis consueverunt dicti Protonotarii authentica conficere monimenta; adeout quidam ajunt, eosdem successisse in locum Evangelistarum; alii appellant Secretarios Papæ* num.8.
9 *Præcedentiam supra Episcopos hodiè amplius non obtinent, ut antea.*
10 *In publicis equitationibus quonam utantur indumento, & quo loco incedant* num.11.

12 *Di-*

12 *Dictorum Protonotariorum Participantium quænam sit auctoritas, quænam privilegia*, & num. 13. & 16.

14 *Facultatem habent disponendi de bonis Ecclesiasticis quæsitis, itemque pensiones transferendi, usque ad certam summam*, & num. 15.

17 *In quibus versetur munus dd. Protonotariorum, circa Canonizationes Sanctorum*, & num. 18. 19. & 20.

DISCEPTATIO XVI.

PRosequentes materiam, de qua loquimur, hoc primo loco nobis est demonstrandum, quanta sit dignitas hujusmodi Protonotariorum de Collegio, & numero participantium. Hujusmodi Prælati gaudent dignitate, ut, quoad omnes, & quoscumque alios Prælatos, fruantur jure deferendi pileum nigrum, cordulis violaceis circum ornatum, & etiam serico violaceo suffultum,
1 *Sacra Congr. Rituum in una Urbis 17. Febr. 1617. Panimolla decis. 1. annot. 7. num. 1. Card. de Luca ad Relationem Romanæ Curiæ disc. 44.*

Præfatos Notarios, seù Protonotarios de Collegio, quo supra, hodie per quamdam excellentiam, non abs re vocitat consuetudo, ut dixit Pius II. in illa Constitutione *cum servare* (ut in-
2 ferius dicemus) Exercentes, inquam, Officium Protonotariatus, & gestantes habitum, & rocchettum, tàm in civilibus, quàm in criminalibus, ab Ordinariorum jurisdictione exemit Leo X. sua Constitut. incipiente *Regimini* §. 4.

In Cappella Pontificia Protonotarii, quo suprà, locum habent, & resident in scamno cooperto aulæis, post Cardinales, & ibi antecellunt omnes Prælatos Curiæ Romanæ, exceptis Episco-
3 pis, Auditore Cameræ Apostolicæ, Gubernatore Urbis, Thesaurario Generali, *Cassaneus in Cathalogo gloriæ Mundi, part. 4. consid. 29. Card. de Luca ad Relat. Cur. d. disc. 44.*

Insuper iidem, in eadem Cappella, habent immediatè post Episcopos, pacem, thurificationem, candelam, & palmam, & alia, & sic ante omnes
4 Generales Ordinum, ante Oratores Bononiæ, & Ferrariæ, & etiam ante Subdiaconos Apostolicos, Auditores Sac. Rotæ, & ante omnes alios Prælatos Curiæ Romanæ, *Cassaneus ubi suprà Card. de Luca d. disc. 44. Panimolla sup. num. 2.*

Ipsi Protonotarii, qui suprà, in Concistoriis publicis retinent locum, ut in Cappella Pontificia, & possunt ibi intervenire, prout consueverunt qua-
5 tuor ex eis rogari, ut de rebus, quæ ibi geruntur, instrumenta authentica conficiant, & secundum eorum institutionem, juxtà gradum Apostolici Solii, honorabiliorem locum obtinent, Sedique Pontificiæ proximiores assident: ita habetur ex citata *Constit. Pii II. cum servare, Card. de Luca d. disc. 44.* Supra-
6 dictum locum habent in Concistoriis semipublicis, quando in eis occurrit fieri aliqua singularis actio, super qua faciendum erit instrumentum.

Immò, si quid umquam memoria dignum Pontifices faciant, per istos Protonotarios authenticum fieri consueverat instrumentum. Unde nonnulli
7 rectè dixerunt, Protonotarios successisse locò Evangelistarum; nam sicuti illi opera Christi scripserunt, ut dixit *D. Hieronymus in Prologo Evangel.* ita isti, ad scribendum acta, & gesta Pontificum, subrogati fuere: ita *Jacobat. de Concil. lib. 1. art. 5. num. 5. Cassaneus suprà d. consid. 29. §. Et illud*, ubi vocat
8 Prntonotarios Apostolicos, Secretarios Domini Nostri Papæ.

Licèt antiquitus Protonotarii de Collegio &c. tàm in Curia, quàm extra, ubique gentium, atque terrarum, Episcopis præcedebant; attamen hodie, at-
9 tenta *d. Constitut. Pii II. cum servare*, tenentur sequi Archiepiscopos, & Episcopos omnes, eisque locum cedere, *Novarius in Summ. Bullarum V. Protonotarius, n. 6. Card. de Luca d. disc. 44. in Relat. Cur.*

Ratione dignitatis, quâ fruuntur Protonotarii ipsi de Collegio, & numero Participantium, possunt, & valent in publicis equitationibus cum
10 mantellonibus, duo, vel plures ex eis, immediatè post Prælatos Assistentes, equitare, ut habetur ex Constitutione Sixti V. quæ incipit *Romanus Pontifex in Bullar. nov. tom. 2. Constitut. 12.*

Et si

Et si in habitu Patriarchali, seù Archiepiscopali incedant, prout incedere valent in hujusmodi functionibus, Episcopi, si Protonotarii equitaverint
11 cum mantelletto, & rocchetto, non autem cum *Mantellone*, ut vulgò dicitur, in hoc casu, equitabunt post Protonotarios, & eisdem præcedentiam dare tenentur, sicut à cæremoniarum Magistris Domini Nostri Papæ, & à Sacra Rituum Congregatione sæpè sæpiùs decretum, & declaratum fuit, prout in memoria Sac. Collegii DD. Protonotariorum.

Quoad secundum, sequitur, ut videamus, quæ sit hujusmodi Protonotariorum auctoritas, facultas, & potestas. Dicti Protonotarii valent, & possunt condere statuta, & ordinationes, concernentia statum hujusmodi Col-
12 legii, vel condita restringere, aut ampliare, quotiescumque eisdem videbitur, & opportunum duxerint, ita ex *Constitut. Sixti V.* quæ incipit *Laudabilis post d. Constit.* 12. §. *Necnon statuta.*

Idem Sixtus V. eadem Constitutione privilegium, & facultatem concessit tàm eisdem, quàm eorum consanguineis, affinibus, & familiaribus continuis commensalibus actu inservientibus, deferendi quælibet arma, non tamen brevioris mensuræ aliàs prohibita, tàm per Urbem, quàm per totum Statum Ecclesia-
12 sticum, absque alia speciali licentia, ipsorumque listis dandis, Ministri justitiæ Urbis, & locorum Status hujusmodi credere, & acquiescere decrevit, ut *d. Constit. Laudabilis*, §. *Præterea*.

Concessit pariter liberam facultatem donandi inter vivos, ac testandi de bonis mobilibus, & immobilibus acquisitis, licitè tamen, ex bonis Ecclesiasti-
13 cis, in personas legitimas tantum pro ducatis duorum millibus de Camera: & hoc, etiam dimisso officio, locum habere voluit, ut ex *d. Constitut.* §. *Eisdem Notariis*.

Facultatem habent hujusmodi Protonotarii de numero Participantium transferendi pensiones usque ad sum-
15 mam ducatorum auri de Camera 2500. ut apparet ex Indulto Apostolico, concesso ab Urbano VIII., & ut apparet in memoria dicti Collegii.

In quibuscumque actibus, in Concistorio publico pro tempore faciendis, unum ex Protonotariis accersiri mandavit idem Sixtus, qui, & alii præsentes Notarii, si rogentur, instrumentum ad perpetuam rei memoriam conficiant, cui omnibus aliis instrumentis,
16 & scripturis quibuscumque acta publica, quibus intervenerint, concernentibus, unius ex eisdem Notariis manu subscriptis, plenam fidem in judicio, & extra, ubique locorum adhiberi voluit, ut ex *d. Constitutiane Laudabilis* §. *Ac in quibuscumque*.

Habent pariter facultatem in fabricandis processibus super Canonizatione Sanctorum, conjunctim cum uno ex causarum Palatii Apostolici Auditori-
17 bus interveniendi, sicuti decrevit, & voluit idem *Sixtus suprà* §. *Et cum Notariatus*.

Et super materia prædicta *Sacra Congreg. Rituum die* 12. *Martii* 1642. Urbano VIII. annuente, Protonotariis de numero Participantium indulsit.
18 Primò, quòd in processibus fabricandis, præcipuè in examinandis testibus super Martyrio alicujus Servi Dei in Curia, omnino intervenire debeat R. D. P. Protonotarius pro tempore Sac.
19 Rit. Congreg. Secundò, quod examen prædictum debeat esse subscriptum ab ipso Domino Protonotario, aliàs
20 examen nullam fidem faciat. Tertiò, quod Notarius, qui examen ipsum recipiet, in hoc actu ipsi Domino Protonotario subordinatus censeatur, & reputetur. Hæc ex *Sac. Congr. Rituum, ut suprà*.

ARGUMENTUM.

Protonotariorum de Collegio, & numero Participantium privilegia, & prærogativæ quænam sint, ostenditur.

SUMMARIUM.

1 *Protonotariorum Participantium privilegia, ac prærogativæ enumerantur.*
2 *Protonotarii hujusmodi possunt lauream*

ream Doctoralem, sive Theologalem concedere.

3 *Item Notarios creare.*

4 *Insuper naturales, vel spurios, legitimare, tum ad successionem bonorum, tum ad effectum consequendi Beneficia*, & num. 5.

6 *Rursus statuta condere, vel condita reformare pro bono regimine sui Collegii.*

7 *Iidem Protonotarii fuerunt declarati familiares Papæ.*

8 *Occasione obitus Papæ, vestibus donantur lugubribus, & respectivè violaceis in novi Summi Pontificis creatione.*

9 *In publicis equitationibus immediatè post Prælatos Assistentes incedunt.*

10 *Expeditionem Bullarum Apostolicarum super provisionibus Beneficiorum gratias consequuntur.*

11 *Septem antiquiores Protonotarii taxam recipiunt expeditionum super provisionibus Ecclesiarum Pontificalium.*

12 *Protonotarii Participantes in creatione Papæ numismata habent aurea, atque argentea, ad honorem.*

13 *Fimbrias vestis Pontificalis elevant Papæ ad Capellam solemniter procedenti.*

14 *Mitra utuntur, aliisque Pontificalibus insigniis, dum celebrant solemniter extra Urbem.*

15 *Protonotarii nomen retinent, atque privilegia, etiam quinquennio postquam Officium resignaverint.*

DISCEPTATIO XVII.

QUænam sint Protonotariorum de Collegio, & numero Participantium privilegia, & prærogativæ,
hic nobis est demonstrandum; cum hu-
1 jusmodi Protonotariis multa concesserit privilegia Sixtus V. quadam sua Constitutione, quæ incipit *Laudabilis, edita nonis Februarii 1568. tom. 1. Bullarum*, de quibus privilegiis nos infrà.

In primis igitur eisdem concessit facultatem, & privilegium doctorandi; & sic ad lauream doctoratus promovendi quoscumque tàm in Pontificio, quàm in Cæsareo jure, ac etiam in Sac. Theologia, cuique eorum per se cum examine duorum, vel trium Doctorum, ex illa scientia, faciendo coram eis, aut
2 aliquo eorum: & prædictos Doctores eadem privilegia, ac si gradus hujusmodi in aliqua etiam famosa Universitate susceperint, præterquam quoad habilitatem ad Cathedrales Ecclesias, habere voluit, ut ex dicta Constitutione in principio illius, *Novariis in Summa Bullarum, ubi de Protonotariis, Cardin. de Luca ad Relationem Romanæ Curiæ disc.* 44.

Pariter ipsi facultatem, & privilegium habent creandi Notarios, eosdemque per calamum, & atramenti thecam
3 de Notariatus officio investiendi, ut habetur *d. Sixtina Constitut. §. Notarios, Card. de Luc. in Relat. Cur. disc.* 44.

Spurios legitimandi, nedum ad successionem bonorum, sine tamen præjudi-
4 cio venientium ab intestato, aut ex fideicommisso, vel alia de jure valida dispositione, & citra bona emphyteutica Ecclesiastica, aut ex fructibus, & rebus Ecclesiasticis confecta, vel per Ecclesiam acquisita, & citra derogationem Constitutionis Pii V. in illegitimos emanatæ; verùm etiam, ut possint legitimati quoscumque actus legitimos exercere, & ad quosvis honores, & di-
5 gnitates, & publica officia, vel privata assumi, illaque debere exercere in omnibus voluit, *d. Constitut. Sixtina Laudabilis §. Cum spuriis, Card. de Luca d. disc.* 44.

Rursus idem Sixtus eisdem Protonotariis de Collegio privilegium con-
6 cessit, ut liberè valeant statuta condere, concernentia prosperum statum Collegii, vel condita restringere, aut ampliare, prout eisdem benevisum fuerit, ut in *§. Necnon statuta, Card. de Luca d. disc.* 44.

Pariter idem Sixtus loco citato declaravit illos continuos familiares Papæ, ac Prælatos domesticos, & non ad
7 instar: undè voluit, uti tales habere partem panis honoris, ex Palatio Apostolico, ejusdem bonitatis, & qualitatis, ut in *dicta Bulla §. Eosdem Notarios.*

Voluit quoque idem Sixtus, ut dicti Protonotarii possint habere vestes lu-

8 gubres ratione obitus Papæ, vel vestes violaceas ratione novæ coronationis Papæ, noviter electi, ut ibi §. *Ac ipsi*, *Card. de Luca ubi suprà*.

Prærogativam habent, ut ipsi in publicis equitationibus cum Mantellonibus,
9 bus, duo, vel plures ex eis immediatè post Prælatos Assistentes equitare possint, ut ibi §. *Et in Cavalcatis*.

Litteras Apostolicas super provisionibus quibuscumque expediendis post Pontificales Ecclesias, aut quocumque
10 modo, etiam si majores Collegiales, vel principales fuerint, & pro omnibus aliis dignitatibus, gratis pro eis expediri mandavit idem *Sixtus d. sua Constitut. quo suprà* §. *Eisdem Notariis pro tempore*.

Septem verò Protonotariis antiquioribus privilegium, & indultum concessit Sixtus sua Constitutione, de qua suprà, ut possint recipere taxam expedi-
11 tionum, quæ fiunt in Curia Romana de Ecclesiis Cathedralibus, Metropolitanis, aut similibus, ut ibi §. *Et insuper*, & nos suprà *discept.* 13.

Insuper ipsi Protonotarii de Collegio, & numero Participantium, in signum honoris, habent, & consequuntur monetas aureas, & argenteas in
12 Coronatione Papæ, ut in Indulto Apostolico patet ex *d. Constitutione Sixtina* §. *Necnon aureas*.

Gaudent ipsi Protonotarii quadam speciali prærogativa suprà ceteros alios Prælatos, ut Summus Pontifex, dum solemniter, & Pontificaliter in Capella procedit, duo ex eis elevent fimbrias vestis Pontificalis, & alia faciant, prout
13 in eorum institutione apparet. Et deficientibus Principibus, aut Oratoribus, & Patriarchis, necnon Archiepiscopis, & Episcopis assistentibus, caudam Pontificis, posthabitis tunc ceteris Prælatis, & Baronibus, deferri per eos ordinavit *Sixtus quo sup.* §. *Eisdem septem Notariis*.

Protonotarii ipsi de Collegio pariter gaudent privilegio, ut ubicumque
14 extra Urbem celebrant, in Missa solemni uti possint Mitra, ac aliis Pontificalibus insignibus, etiam in Cathedralibus, requisito prius loci Præsule; & si absit, sine ejus licentia nihilominus insignia hujusmodi adhibere valeant, prout habetur in ipsa *Sixti Constitut.* §. *Et qui ex eis*.

Ipsos Protonotarios ratione dignitatis semel habitæ, si per decennium
15 officium Protonotariatus iidem exercuerint, illudque posteà resignaverint, nihilominùs, Protonotarios esse, & vocari, eisdemque privilegiis, honoribus, & præeminentiis, & exemptionibus omnibus per quinquennium uti voluit Sixtus prædictus, ac si in dicto officio adhuc essent. Rocchettum tamen, præterquam extra Urbem, deferre non posse, neque locum in Capella habere, alios tamen Prælatos, post Protonotarios incedendo, præcedere decrevit idem *Sixtus quo suprà d. sua Constitut.* §. *Quodque idem*.

De Protonotariis titularibus, honorariis, & extra numerum Participantium, & de Collegio.

ARGUMENTUM.

Protonotarii titulares, & honorarii, quinam illi sint, á quo illi creari valeant: quæ sit illorum dignitas, auctoritas, & facultas?

SUMMARIUM.

1 *Protonotarii, alii sunt de numero, & Participantes, alii Titulares, sive honorarii nuncupantur.*
2 *Hos Protonotarios honorarios creat Papa, itemque Legati, ac Nuncii Apostolici, Episcopi quoque Assistentes, Collegii etiam Protonotariorū participantium ad certum præfinitum numerum.*
3 *Eorundem Protonotariorum Dignitas refertur.*
4 *Protonotarii sunt Notarii Papæ.*
5 *Protonotarii Titulares induere possunt Rocchettum cum Mantelletta, Prælatorum instar.*
6 *Induti habitu sui officii præcedunt omnes clericos seculares, Canonicos etiam, ac simplices dignitates, non tamen in Choro.*

7 *Sedere possunt in presbyterio, atque in supplicationibus incedere post Sacramentum, sive post celebrantem.*

8 *Item stemmati gentilitio pileum adjungere cum cordulis, ac floccis pendentibus.*

9 *Exemptione fruuntur à jurisdictione Ordinarii in causis civilibus suprà ducatos 25.*

10 *Cùm incedunt in habitu, & tonsura, gaudent privilegio fori, etsi alicujus Ecclesiæ servitio non addicti fuerint.*

Quid autem in criminalibus causis, n.11.

12 *Num dd. Protonotarii Titulares dicantur in dignitate constituti*, & num.13.

14 *Possunt Ecclesiasticas functiones explere Rocchetto, ac Mantelletta induti.*

15 *In publicis equitationibus pileum prælatitium gestare valent, ac stemmati gentilitio pileum hujusmodi cum cordulis pendentibus adjicere more Participantium.*

16 *Circa Canonizationes Sanctorum, similem obtinent prærogativam, quàm Protonotarii Participantes.*

17 *Nequeunt tamen sacrum facere cum annulo gemmato in digito.*

18 *Nec possunt sacra Indumenta de Altari sumere, sive Abacum præparare quemadmodum Episcopi*, & num.19.

20 *Nec eadem sacra Indumenta benedicere.*

21 *Habitu Prælatitio an uti possint in Choro*, & num.27.

22 *Protonotarius Canonicus assistens in Choro cum habitu Prælatitio, distributiones quotidianas non lucratur, quamvis Vicarii etiam Generalis munus exerceat*, ut num.26.

23 *Protonotarius Titularis, qui obtinet Canonicatum, nequit in supplicationibus, aliisve publicis actibus habitum Prælatitium deferre, quamvis fuerit prima Dignitas post Pontificalem*, & num.24.

25 *Subtanea tamen violacea ei uti permittitur in Choro.*

28 *Protonotarii honorarii cedere debent locum digniorem Officialibus Episcopi loci Ordinarii, & post Abbates sedere*, ut num.29.

30 *Protonotarii Titulares creati à Papa non gaudent privilegiis concessis Officialibus Papæ in extravagantibus* cum Matthæus 3. de Hæretic. & Divina *pariter* 3. de privileg.

DISCEPTATIO XVIII.

Dantur in Ecclesia, ultra Protonotarios participantes, ac de numero, ut in præcedentibus, etiam alii Proto-
1 notarii, qui dicuntur titulares, vel honorarii, & extra numerum, ut dixit *Polidor. Virgil. de Inventoribus*, *Cassaneus in Cathalogo gloriæ Mundi eo siderat.29. Barbosa de Jure Eccles. cap.23. & alii cum Novario in Summa Bullar.*, *ubi de Protonotariis*, *& DD. passim*.

Hujusmodi Protonotarii titulares,
2 & honorarii, à quo creari valeant, sequitur, ut videamus. Et dicimus primo loco, creari posse à Papa, cujus est suprema potestas conferendi Ecclesiasticas dignitates; Legati quoque, ac Nuncii Apostolici illos creare valent, quoad certum numerum tantùm, ut ex facultatibus eisdem concessis à S. Sede. Episcopi quoque Assistentes Papæ ipsi pariter valent creare Protonotarios usque ad certum numerum. Collegium Protonotariorum de numero participantium, unum tantùm semel in anno creare valet.

Quoad secundum: Quæ sit illorum
3 dignitas, sequitur ut videamus. Hujusmodi Protonotariorum dignitas maxima est, licèt ipsi tantùm dicantur honorarii; & titulares, ac extra numerum: etenim uti dixit *Polidor.*, *ubi suprà*, isti Protonotarii extraordinarii, & titulares sunt vocati ad honores, & dignitates Prælaturæ, quos refert *Barbos. de Jure Eccles. cap. 23. num.15.*,
4 quia Protonotariatus est dignitas, & Protonotarii sunt Notarii Papæ, *ut in cap.2. cùm redemptor 12. qu.2. Glossa 1. in cap. scriptum de Elect. Joann. de Leo cap.2. num.35. part.1. de gradibus dignitatum*.

Prælati isti honorarii, & extraordinarii, ad instar Prælatorum Romanæ Curiæ, uti possunt habitu prælatitio, nempè Rocchetto cum Mantelletta ni-
5 gri, seù violacei coloris, & sic in Ecce-

cle-

clesiis, ac functionibus Ecclesiasticis cum eodem habitu incedere valent, ac sedere, *juxtà dispositionem Cæremonialis lib.1. cap.13. Novar. sup. num.9. Barbosa d. cap.23. num.17. Sacra Cong. Rituum 18. Julii 1626. & in una Mezzarien. 28. Septembris 1630. Catanien. 5. Julii 1631. & alibi passim.*

Isti Protonotarii præcedunt omnes Clericos seculares, & omnes Canonicos, non tamen in Choro, & Collegia-
6 liter procedentes, ac omnes dignitates sine Prælatura, dummodo isti Protonotarii incedant in habitu Protonotariatus, aliàs secùs; etenim sine hujusmodi habitu censentur tanquam personæ privatæ, *ut dixit Cassaneus d.c.29. part.4. ubi DD. latè Cæremon. Episcop. cap.11. lib.1.*

In illis locis, ubi non est Canonicorum Collegium, possunt sedere in pres-
7 byterio cum habitu prælatitio, & in processionibus incedere post Sacramentum, vel post Celebrantem, *Barbosa d. cap.23. num.23. Sacra Rituum Congregatio 12. Julii 1628.*

Possunt apponere pileum super eorum insignibus, seù armis familiæ, cum
8 cordulis, & floccis pendentibus ab utraque parte, ut notat *Corrad. in praxi dispensat. Apostolic. lib.5. cap.6. Panimolla decis.1. annot.7. num.6. Sac. Congreg. Rituum in una Neocastrens. 21. Augusti 1601. & alibi passim.*

In civilibus causis sunt exempti à jurisdictione Ordinarii loci, quoad causas excedentes summam ducatorum 25. auri de Camera, *Sacra Congr. Concil. in una Papien. 14. Decembris 1639. Barbosa sup. num.35. Lotter. de re benefic.*
9 *lib.1. quæst.11. num.142. Panimolla sup. num.20. Fagnan. in cap. ex parte n.11. de privileg. Novar. sup. num.23. Corrad. in praxi disp. Apost. lib.5. cap.6. n.28. cum seq., & ita ex Bulla 8. Leonis X.*

Protonotarius etiam titularis, & honorarius hujusmodi, si in habitu Clericali incedat, tàm in civilibus, quàm in criminalibus gaudet privilegio fori, quamvis non sit descriptus servitio ali-
10 cujus Ecclesiæ, eique non inserviat: *Sacra Congr. Concil. 9. Julii 1626., & in una Toletana 27. Martii 1632. de qua Novar. sup. num.23. Barbosa sup. n.36. Corrad. sup. lib.5. cap.6. num.52. Lotter. de re benefic. lib.2. quæst.28. n.39. Pignatell: consult. Canonic. to.1. consf.174. num.4. Rota recent. part.18. decis.10. num.18.*

Licèt aliter videatur dicendum in criminalibus causis, ubi saltem valet
11 Ordinarius loci procedere contra illos, uti delegatus S. Sedis, *Sacra Congr. Immunit. in una Tordonen. 1. Julii 1642. lib.3. Decret. Paulutii.*

Isti Protonotarii, licèt non dicantur habere dignitatem in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata; nihilominùs eos habere dixit *Sacra Congr. Concil. 1630.*
12 dignitatem in Ecclesia Romana, quæ est mater, & magistra omnium Ecclesiarum, *ut in cap.2. de Summa Trinitate, & fide Cathol. cap. antiqua de privileg., & utrobique Doctores.*

Ac proindè declaravit illos posse deputari in Conservatores Religionum,
13 ac quamdiù hujusmodi officium exercent, à nemine impediri possunt, quominus exequantur contra inobedientes sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas promulgando, *ita Franc. Leo de Conservatoribus cap.3. num.1. cum seq. §. Conservatores, Barbosa d. cap.23. num.28.*

Pariter ipsi Protonotarii titulares possunt functiones Ecclesiasticas pera-
14 gere cum Rocchetto, & Mantelletto *Sacra Congr. Concil. in una Mezzarien. 28. Septembris 1630.* ibi = *Sacra &c. censuit Protonotarium Apostolicum extra numerum non posse prohiberi deferre habitum Prælatitium, nempè Rocchettum cum Mantelletta coloris violacei, & in Ecclesiis, & functionibus Ecclesiasticis cum eodem habitu incedere, & sedere, juxta dispositionem Cæremonialis = Pignatell. consult. Canon. tom.4. consf.22. num.1.*

Quando hujusmodi Protonotarii honorarii, & titulares equitarent, pileo prælatitio uti possent, ad instar Pro-
15 tonotariorum participantium, & de numero, & Collegio, ut in præcedentibus, ac in eorum insignibus, seù armis familiæ apponere quoque pileum cum cordulis pendentibus hinc inde, in signum honoris, & dignitatis, ut testatur *Virgil. loco citato, & ita Sacra Con-*

Congr. Rituum in una Clomacen., *&* *Neocastren.* 21. *Augusti* 1601. *Barbosa d. cap.*23. *de Jure Eccles. num.*29.

Isti magna dignitate præfulgent circa processus Beatificationis, & Sancti-
16 ficationis alicujus Servi Dei, eamdemque facultatem habent, quàm cęteri Protonotarii de Collegio, & numero participantium, cum ab uno, eodemque instituto originem trahant, *Barbosa d. cap.*23. *num.*34. *ubi Doctores*.

Protonotarii quamvis præfulgeant magna dignitate, non ex hoc eisdem
17 videtur permissum, ut possint sacrum facere cum annulo gemmato in digito, *Sac.Congr.Rituum* 11. *Februarii*, 1623. *Barbosa sup. num.*30.

Nec paramenta sacra sumere de Altari, sed in Sacristia, vel in alio loco
18 extra Altare induendi erunt habitu sacro pro Missa celebranda, ut cęteri Sacerdotes, *Barbosa sup. num.* 31. *Sacra Congr. Rituum in una Asculana in Apulia 6. Martii* 1610. *Pignatell. consult. Canonic. tom.*4. *consult.*76. *num.*1.

Nec valent abacum præparare, dum
19 celebrant, ut faciunt Episcopi, sed parvam mensam, *Sacra Congreg.Rituum in d. Clomacen. & Neocastren. sup. Barbosa sup. num.*32.

Nec valent paramenta sacra benedi-
20 cere, quoties non habent licentiam Sacræ Congr. Rituum, *eadem Sacra Congreg.* 17. *Julii* 1617. *Barbosa sup. n.*33.

Hujusmodi Protonotarii, dum in Choro assistunt, ut Canonici, non valent uti habitu prælatitio, sed tan-
21 tùm habitu canonicali, ac pariter sedere debent in proprio stallo, nisi fuerit prima dignitas, nam tunc canonicus prima dignitas Capituli potest uti habitu Protonotarii, & sic deferre Rocchettum cum Mantelletto, *Sacra Congreg. Rituum in d. Clomacen. & Neocastren. Barbosa Summ. Apost. decis. collect.*617. *num.*11. *Panimolla decis.*1. *annotat.*7. *num.*7.

Ac proindè, ubi Canonicus Protonotarius cum habitu prælatitio incedere, & sedere vult in Choro, tunc cum reputetur tamquam merus extraneus à Capitulo, locum non meretur inter Ca-
22 nonicos, sed post Abbates, & tunc venit exclusus à participatione distributionum quotidianarum, *Barbosa dicto cap.*23. *num.*19. *Corrad. in praxi dispensat. Apostolic. lib.*5. *cap.*6. *num.*52. *Pignatell. d. consult.*76. *num.*1. *Panimoll. sup. num.*8. *Sacra Congr. Rituum in d. Asculana*, *& in una Mileten.* 7. *Augusti* 1621.

Videtur etiam interdictum ipsi Canonico Protonotario deferre habitum
23 prælatitium in processionibus, aliisque publicis actibus, in quibus intervenit cum corpore Capituli, *Corrad. d. n.*52. *Panimoll. sup. num.*10. *&* 11. *Sac. Congreg. Rituum* 19. *Novembris* 1651.

Quod pariter videtur servandum, etiam ubi Protonotarius esset Archidiaconus, & prima dignitas Capituli; nam
24 adhuc tenetur functiones peragere sibi spectantes in habitu canonicali, penitus relicto habitu prælatitio, *Sacra Congr. Rituum in d. Asculana*.

Non videtur tamen eidem denegatum, ubi fuerit Canonicus, sedere in choro, cum subtana violacea tantùm, absque Mantelletta, & Rocchetto, licèt alii deferant subtaneam nigram,
25 dummodò in reliquis utatur habitu canonicali, *Corrad. d. num.*52. *Barbosa de Canonic. & dignitat. cap.*18. *nu.*37. *Panimoll. sup. num.*13. *Sacra Congr. Rituum in una Panormitana* 14. *Januarii* 1612., & ita vidi servatum Romæ.

Supradicta jura locum habent etiam in Vicario Generali Episcopi, qui, si fuerit Canonicus, & Protonotarius,
26 debet uti habitu canonicali, aliàs non lucratur distributiones quotidianas, *Panimoll. sup. num.*14. *Sacra Congr. Rituum in d. Clomacen.*

Diximus suprà, non posse Canonicum Protonotarium uti habitu prælatitio in choro: nota, hoc tantùm procedere, ubicumque collegialiter cum aliis Ca-
27 nonicis intervenit in choro: secus tamen videtur dicendum, ubi Canonici non interveniunt collegialiter, & sub nomine Capituli: idemque, ubi Canonicus intervenerit solus, ac in actibus extraneis intersit, *Corrad. d. n.*12. *Panimoll. sup. num.*15. *Pignatell. d. consult.*76. *num.*2. *& consult.* 88. *num.*1. *Sacra Congr. Rituum in una Concordien.* 17. *Julii* 1623. *&* 18. *Julii* 1626.

Ipsi Protonotarii titulares, & honorarii,

rarii, quo suprà, tàm in sessionibus, quàm in processionibus, digniorem locum cedere debent Officialibus Episco-
28 pi loci ordinarii, aliisque Canonicis, & dignitatibus Cathedralis Ecclesiæ, *Sacra Congr. Rituum in una Castellæ, & Legionis 3. Aprilis* 1604., & clarè patet ex Constitutione Clementis VIII. incipiente *Romanum Pontificem*, *Corrad. d. num.52.*

Debent iidem sedere post Abbates,
29 *Barbosa d.cap.23.n.26. de Jure Ecclesiastico, & de Canonicis, & dignitatibus cap.18. num.24. Sacra Rituum Congreg. in una Asculana in Apulia 6. Martii* 1610.

Protonotarii titulares, & honorarii, de quibus suprà, immediatè creati à Papa, non erunt connumerandi inter illos Officiales, de quibus loquuntur illæ duæ Extravagantes Summorum Pontificum, scilicet illa relata *in c. cum Matthæus de hæreticis*, & altera, quæ incipit *Divina, de privilegiis in 6. inter Extravag. commun.* itaut locorum Ordinarii in illos animadvertere non valeant, etiam per censuras, ac in illorum
30 dignitatibus, & beneficiis curatis non se intromittere, & quoquo modo immiscere, & radicare, sub pœnis in dictis Extravagantibus contentis: ita *Sacra Congreg. Concil. ad Dubia proposita 20. Junii 1682. ut in lib. Decret. 22. fol.* 326.

ARGUMENTUM.

Beneficia Protonotariorum, sivè illi fuerint de Collegio, sive Honorarii, & Titulares, an & quatenus dicantur Reservata S. Sedi Apostolicæ.

SUMMARIUM.

1 *Protonotariorum quorumcunque vacantia Beneficia sunt reservata Sanctæ Sedi.*
2 *Ad effectum reservationis, Protonotariatus debet concludenter probari.*
3 *Officium justificatur exhibitione literarum patentalium.*
4 *Protonotarii officium pro effectu reservationis beneficii, oportet fuisse acceptatum*, & num.5.
6 *Acceptatio tamen præsumitur per expeditionem Bullarum.*
7 *Et tunc locum habet reservatio, non obstante obitu Protonotarii ante præstitum juramentum fidelitatis, sive alia impleta solemnia.*
8 *Officium Protonotarii exequi non potest, qui juramentum fidelitatis nondum præstitit, nec fidei professionem emisit.*
9 *Beneficia Protonotariorum reservata sunt, à quocunque legitimam facultatem habente illi creati fuerint.*
10 *Etiamsi beneficia vacaverint finito officio.*
11 *Hujusmodi reservatio cessat in concordatis Germaniæ, & Franciæ.*

DISCEPTATIO XIX.

Beneficia Protonotariorum, quicunque illi fuerint, sive de Collegio, & numero participantium, sive extra Collegium, & numerum, uti sunt Proto-
1 notarii Honorarii, & Titulares, in casu vacationis, dicuntur reservata S. Sedi Apostolicæ, licèt Protonotarius decesserit in mense Episcopi, & extra Romanam Curiam, *ad Textum in Extravaganti ad regimen, de præbendis*, & ita ex Regula prima Cancellariæ Apostolicæ, *Lotter. de re benefic. lib.2. qu.28. n.44. cum seq. Rota in recent. part. 15. dec.265. num. 5., & part. 16. dec. 14. num.2., & DD. passim*, & nos latè sub titulo *de Beneficiis*.

Ad effectum verò ut locum habere possit d. reservatio, scilicet, beneficium possessum, puta à Titio, esse reservatum S. Sedi, ex quo dictus Titius fuerit Protonotarius, non sufficit hoc tantùm
2 allegare, sed concludenter probari debet, illum fuisse talem, qualem se dicebat, & sic, probandum est, obtinuisse privilegium, vel à Papa, vel ab alio habente facultatem concedendi hujusmodi privilegia Protonotariatus, *Lotter. de re benefic. lib.2. q.28. n.70. Barbosa de Jure Eccles. lib.1. cap.23. n.42. Rota coram Ludovisio dec.369. n.1.*

Et licet constare possit per literas Paten-

tentales, *ad text. in l. nemini licere*
3 *§. non aliter ff. de Advocat. diverſ. Judic. ubi Doctores*.

Nihilominus debet conſtare de illorum acceptatione prout in his terminis
4 nis docet *Rota coram Ubaldo in una Burgen. Abbatiæ de Sales* 14. *Maii* 1612. *inter ejus impreſſas deciſion*.68. *num*.6.

Nam aliter non poteſt dici verè Protonotarius, ſi invitus hujuſmodi dignitate fuerit decoratus, eam non ac-
5 ceptando, *Tomaſin. in cap. Tua nobis de offic. Vicarii*, *Rota in rec. part*.17. *dec*. 304. *num*.28.

Verum ſupponenda eſt acceptatio, quotieſcunque fuerint expeditæ literæ, ſcilicet privilegium, ſecùs verò quando
6 privilegium non fuerit expeditum, *Rota coram Ubaldo ſupra in d. Burgen*. 20. *April*.1615. ubi gratia reperiebatur tantummodo ſignata, *& in altera Romana Capellaniæ* 29. *Aprilis* 1630. *coram Pirovano*.


Sequitur ut videamus, quid ſervandum, ubicunque Protonotarius, obtentis literis Apoſtolicis ſuper proviſione officii Protonotariatus, nondum præſtiterit juramentum fidelitatis, nec emiſerit profeſſionem fidei, an illius beneficia dicantur reſervata S. Sedi Apoſtolicæ, poſito quod ſupradicta non impleverit ante illius obitum. Et dicimus,
7 adhuc illa eſſe reſervata S. Sedi; nam ſufficit ad effectum, de quo agimus, ſola expeditio literarum ad illius favorem, *Lotter. de re benefic. lib*.2. *qu*.29. *n*.13. *&* 14. *Rota recent. part*.16. *dec*. 14. *num*. 9., *& part*.17. *deciſ*.304. *nu*. 29., *& ibidem dec*.392. *num*.18., *& part*.18. *dec*.10. *num*.17.

Licet quoad alios effectus, opus eſt
8 quod prius præcedat juramentum fidelitatis, & profeſſio fidei, ut ex dictis deciſionibus.

An reſervatio ipſa comprehendat tam Protonotarios creatos à Papa, quàm à Legatis, vel Nunciis Apoſtolicis, aut ſimilibus habentibus à Papa facultatem concedendi hujuſmodi privilegia, & ſic ab Epiſcopis aſſiſtentibus Papæ, vel à Collegio Protonotariorum? Et omiſsâ quacunque diſputatione, vi-
9 detur affirmativè reſpondendum cum *S. Rota*, *allegata à Lotterio d. quæſt*. 29. *num*.12. ubi dicit reſervationem prædictam comprehendere quoſcunque Protonotarios, *ibique alii Doctores*.

Sicuti pariter dicuntur reſervata S. Sedi beneficia Protonotarii, etiam
10 finito officio vacantia, *Barboſa d. cap*. 23. *num*.13.

Supradicta non videntur habere locum quoad beneficia Protonotariorum in Germania, vel Francia, vigore concordatorum cum Sancta Sede, quæ non videntur reſervata per mortem Proto-
11 notarii, *Lotter. lib*.2. *quæſt*.28. *à nu*. 52. *ad* 62. *Cochier. ad regulam primam Cancellariæ n*.22.



JOAN-

JOANNIS BAPTISTÆ
A R G Y R Ò
DISCEPTATIONES
ECCLESIASTICÆ,

De Vicariis, quicumque illi fuerint, sive Apostolici, Generales, Capitulares, Foranei, & similes: ubi de illorum dignitate, potestate, auctoritate, atque officio.

LIBER V. DISCEPTATIONES XVI.

ARGUMENTUM.

Quid sonet hæc vox Vicarius*? Quot sint Vicariorum species? Quinam assumendi erunt ad hoc munus? Quæ agenda erunt ab ipso Vicario, idest quomodo se gerere debeat in munere sibi injuncto, si velit obire rectè munus suum: ubi plura monita.*

SUMMARIUM.

1 *Ordo Scientiæ est, ut à generalibus ad particularia progrediamur.*
2 *Ethimologia nominis, rei scientiam adaperit*, & n.3.
4 *Vicarius undè dicatur: & quot sint Vicariorum species*, num. 7. 8. 9. & *seqq.*
5 *Vicarius implere potest omnia, quæ is posset, cujus vices gerit.* Limita num.6.
7 *Divisio intellectum disponit.*
13 *Vicarii quales eligi debeant, & quænam servare tenentur latè usque ad* num.43.

DISCEPTATIO I.



1 Uoniam in unaquaque scientia, is præscribitur ordo, ut ab his, quæ generalia sunt, ac in universum tradita, successivè ad specialia descendatur: *ad text. in l.1. ff. de origine juris l.1. ff. si certum petatur*, §.*His igitur Institut. de Justitia, & jure.*

2 Meritò in primis ethimologiam nominis præcognoscere oportet in qualibet re, de qua sermo instituitur; *Aristotelis lib.1. posteriorum*; si quidem ignoratâ ac prorsus incognitâ rei nomenclatura, difficile ejusdem essentia
3 inveniri potest, ut *Jurisconsultus in l.1. ff. si certum petatur*, dicit.

4 Dico igitur quod *Vicarius* dicitur à Vice, quam gerit, vel qua alicujus muneri, seu officio, vel loco succedit: *Salicetus in præfatione Codicis.*

5 Hinc fit quod Vicarius omnia potest facere, quæ pertinent ad jurisdictionem illius, cujus vices gerit: *l.1. C. de officio ejus qui gerit vices alterius, cap. ultimo 93. dist. cap.1. 94. dist.*, *glossa in cap. sua nobis, de officio Vicarii*, exceptis quibusdam, quæ speciale mandatum

6 tum requirunt, *cap. 2. de offic. Vicarii in 6. & nos infra ac per totam materiam præsentis libri*.

Quoad secundum, ut rectè, & ordinatè procedamus post nominis ethymologiam ex præcepto *Arist. 1. lib. posteriorum*, *& 6. Topic.* prius divisio-
7 nem Vicariorum facere oportet, & eorum species distinguere: etenim partitio animum legentis incitat, mentem intelligentis præparat, & memoriam artificiosè reformat, *l. 1. ff. de doli except.*

Ideò sciendum est, quod multipliciter in jure Vicarii intelliguntur; sed principaliores species Vicariorum
8 tres sunt; etenim quidam dicuntur Nati, seù legitimi, uti de Archidiacono, & Archipresbytero; quidam Dativi, quasi constituti ab illis, qui ordinariam jurisdictionem habent, ut eorum vices gerant in locis, in quibus ipsi jus dicere valent. Demum alii foranei, qui constituuntur in aliquo Oppido Diœcesis; ut ibi exerceant limitatam jurisdictionem.

Sed meliùs distinguendo dico, duo esse genera Vicariorum. Alii constituti
9 sunt ab ipsa lege sine facto hominis; alii autem facto hominis, ut scribit *Maranta de ordine judic. part. 4. dist. 5. princip. num. 6.*

Vicarius, qui à lege sine hominis facto constituitur, est Summus Romanus
10 Pontifex; etenim is vicem Dei gerit in terris, & supremus Vicarius Christi vocatur.

Dicuntur etiam Vicarii, constituti ab ipsa lege, Episcopi; quoniam ipsi successe-
11 runt in locum Apostolorum, & vices Apostolorum gerunt *Trid. sess. 23. c. 4.* Hujusmodi generis quoque sunt Archidiaconus, & Archipresbyter in Cathedrali Ecclesia, qui absentibus Episcopis absque aliquo facto sunt ipso jure illorum Vicarii.

Vicariorum autem, quæ facto hominis constituuntur, quamplures sunt spe-
12 cies; nam alii dicuntur Generales, cum omnimoda facultate; alii cum facultate limitata, alii foranei: De quampluribus Vicariis meum est hic peragere, & prius de Vicario Papæ, & quanta sit illius dignitas, auctoritas, & potestas demonstrabo. Deindè ordine successivo de Vicario Archiepiscopi, ubi quanta sit illius jurisdictio, & potestas: Successivè de Vicario generali Episcopi, ubi quanta sit illius potestas ostendemus. Postea de Vicario foraneo Episcopi, & quæ facere possit exhibebitur; subsequetur discursus de Vicario Capitulari Cathedralis Ecclesiæ; verba quoque faciam de Vicario Capitulari Collegiatæ nullius Diœcesis. Rursus de Vicario Apostolico, & in quo extendatur sua auctoritas. Atque insuper de Vicariis perpetuis, sive amovibilibus ad beneficia curata destinatis aliquid dicemus. Demum de Vicariis superiorum Regularium, sive Monialium pauca verba faciemus.

Quoad tertium: Quicumque fuerint Vicarii, eligendi, quo suprà, eligi debent personæ bonitate vitæ præditi, cùm
13 ferè innumera sint mala, quæ ex malo officiali procedunt; nam aliter constituentes in die Judicii Deo rationem
14 reddere debent; de manibus siquidem Prælatorum, sanguinem subditorum requiret Deus, *ad Text. in cap. irrefragabili*, ubi *Gloss. de Offic. Ordin.*, mala
15 enim electio est in culpa eligentis *cap. quia frustrà de usuris*.

Ideò, qui jus habet eligendi Vicarium, magna cum prudentia hoc facere debet, & omnem diligentiam facere tenetur, ut inveniat virum probum, & idoneum, nec oscitanter procedere debet in hujusmodi electione: sed talem quærere oportet, contra quem nihil mali
16 opponi possit: aliàs tenetur etiam in foro fori de facto sui Vicarii.

Quoad quartum, quæ servanda erunt à Vicario: debet ipse ante omnia habere Deum præ oculis in omnibus suis
17 actionibus: timentes enim Deum omnia cooperantur in bonum, *David psalmo 30.*, & *Ecclesiast.* atque *Proverb. cap. 14.* Antequam deveniat ad expeditiones negotiorum Deum orare debet, & sacrum facere, si sit Sacerdos, vel Missam audire si sit simplex Clericus, sicuti debet facere Episcopus, *cap. fin. de privil. in 6.*

Debet servare decorem dignitatis, præbendo se ornatum virtutibus, & bo-
18 nis moribus, qui sunt ornamenta interio-

teriora, *cap.*1. *dist.* 40. Debet esse immunis à vitiis, & peccatis publicis; ratio est quia ipse debet aliorum vitia detergere, & curare *cap. qui sine*, *cap. judicet*, *cap. in gravibus*, *cap. postulatus*, *cap. Sacerdos* 3. *qu.* 7. *D. August. lib.*1. *de Sermone Domini in Monte c.*6.*tom.*4. Nemo autem potest alium corrigere, qui tacitus respondeat, eadem commisisse, *cap. esto* 95. *dist. cap.*1., *& per totam* 32. *quæst.* 6. *dist. cap. judicet* 3. *quæst.*7.

Debet se ostendere gravem non mollem, effœminatum, aut deliciosum, ne-
19 que durum, aut rusticum, ut notat *Cic. lib.*1. *de Offic.*, sed gravem moderatum, & justum, ut à simili notatur *in Pragmat.*1. *nostri Regni sub tit. de Sac. Reg. Cons.*

In verbis debet esse parcus, non nimis facilis ad loquendum; etenim me-
20 liùs est pauca idoneè effundere, quàm multis verbis inutilibus homines prægravare, *l. tanta §. Contrarium C. de veteri jure enucleando*, *cap.*1. 43.*dist.* Ideòque loquacitatem fugiat, uti odiosam *Eccles.*32.

Discretus esse debet in silentio, sicut cautus in verbis, nam veluti incau-
21 ta locutio in errorem trahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterunt, in errorem derelinquit, *ad Text. in cap.*1. *dist.*43. *D. Gregor. homil.*11. *in Ezechielem*.

Debet esse pudicus, honestus, ac castus & in aspectu oculorum modestus, sicuti
22 tenentur Clerici omnes *cap.*1. 43. *dist. cap. qui viderit* 32. *qu.*5. *cap. à multis de ætate*, *& qualitate*, *cap. ut Clericorum de vita*, *& honestate Clericorum*.

Ac cum mulieribus non conversari, *cap. sed si fortè*, *cap. volumus*, *cap. in omnibus*, *cap. non oportet*, *cap. Clerici*, *cap. ad ornatum* 81.*dist.*, *& toto tit. de cohabitatione Clericorũ cum mulieribus*.

Debet esse humilis, tractabilis, benignus, non superbus, non iracundus,
23 non mendax, nec fallax, ne impleatur illud Prophetæ *Sophon.*3. *Malach.*1.

Debet esse patiens, mitis, pius, mansuetus, & non perturbati sensus, sicut decet Clericos, *cap. studeat* 50.*dist. ac toto tit. de Cleric. percuss. cap. suscepimus de homicidio*.

Non sit iracundus, sed lenis; etenim ira sæpè in crimen adducit, *cap. cum apud Thessalonicam*, & *cap. summoperè* 11. *qu.*3. *D. Paulus ad Romanos* 12. *vers. sed date locum iræ*.

In reprehendendo, severitatem cum moderamine, & lenitate misceat; nam
24 rigor à Clericis abesse debet, *cap.*1. *de dolo*, *& contumacia*, & habetur *Ecclesiast.* 7. *noli esse nimis justus*; nam qui multum emungit, elicit sanguinem, *cap. denique* 4. *dist.*

Debet Vicarius habere amicitiam æqualem cum omnibus, non autem fami-
25 liaritatem, & particularem amicitiam alicujus, multò minus debet convivare cum subditis, *Prov.*23. *D. Paulus ad Roman. cap.*13.

Neque cum illis familiariter conversari; nam nimia familiaritas contemptum parit, *cap. quando* 86. *dist. l. observandam ff. de Offic. Præsidis*.

Neque per plateas continuò discurrere debet, ne fatuus reputetur, & im-
26 prudens in servando officii decorem, & majestatem, *Glossa in cap. quando* 86.*dist.*

Debet se abstinere ab amicitia Monia-
27 lium, ne aperiat aditum murmurationibus subditorum: honoret autem om-
28 nes, quando occurret alloqui cum illis, quia honor illis est exhibendus uti Christi sponsis, *Glossa in cap. Virginibus sacris* 27. *qu.*1.

Neque ipsarum Monasterium frequentare debet, sed rarò propter necessitatem aliquam, vel rationabilem causam, ut Clericos decet, *cap. ut Clericorum de vita*, *& honest. Cleric.*, *cap. Monasteria*, ubi *Glossa eod. tit.*

Debet hospitalitatem servare, & pauperes hospitando recipere; nam aliter non posset aliis esse hospitalitatis horta-
29 tor, si ipse propriam domum hospitibus claudat, *cap.*1. *& per tot.* 42. *dist. cap.*1. 85.*dist. cap. fin.*16. *qu.*1. *D. Paulus ad Hebræos* 13. *ad Rom.* 12. *cap.* 2. *de supplenda neglig. Prælat. Tridentin. sess.*25. *cap.*8. *de Reformat.* & ad hoc ut non enumeretur inter eos, quibus in judicio dicetur: hospes eram, & non collegistis me, *Matthæi* 25.

Debet subditos discordes ad con-
30 cordiam revocare, & inimicitias com-

ponere *cap. placuit*, 90.*dist.* imò poterit illos excommunicare, si pertinaciter reconciliationem recusaverint *can. perlatum dist.*90.

Debet esse gravis in incessu, ut gra-
31 vitate itineris mentis maturitatem ostendat *cap. fin.* 41. *dist. D. Paul.* 1. *ad Timoth.* 2. Etenim incompositio corporis mentis inæqualitatem indicat *can. fin.* 41. *dist. D. August. epist.*109. *ad Monac.*

Neque debet Vicarius ludere, aut
32 ludis interesse, qui Clericis sunt prohibiti *cap. inter dilectos de excess. Prælat. cap. Clerici Officia*, ubi *Abbas, de vita, & honest. Cleric. Trid. sess.*22.*cap.*1. & *sess.*24. *cap.*12. *de Reform.*

Neque arma deferre debet, quæ sunt
33 prohibita non solum Clericis verum etiam Laicis; nam arma Clericorum sunt lacrimæ, & orationes *cap. ferrum* 50. *dist. can. reprehensibile* 23. *quæst.*8. Nisi necessitas hoc permittat ad sui defensionem *cap.* 2. *de vita, & honest. Cleric.*

Debet per Civitatem incedere in habitu clericali, *can.*1. 41. *dist. cap. Cle-*
34 *rici de vita, & honest. Cleric.* Debet etiam Vicarius, sicut cęteri Clerici, imò multò magis, ut sit illis exemplo, tonsuram deferre *cap. Clerici officia de vita, & honest. Cleric.*

Non debet inhiare pecunias, malis artibus, & illicitis modis illas à subdi-
35 tis extorquendo; quia avaritia est radix omnium malorum *cap. avaritiæ de præbendis, cap. quia radix de pœnit. dist.* 2. Etenim cupiditas, & avaritia excęcat oculos sapientum, *cap. avaritiæ de elect. in* 6.

Imò non solum in suam personam avaritiam vitare debet, verùm etiam in suis
36 ministris, & famulis, *cap. cum ab omni de vita, & honest. Clericorum, cap.*1. §. *Procurationes de Censibus in* 6. *Trid. sess.*21. *cap.*1. *de Reform.*

Debet servare antiquum stylum Curiæ Episcopalis; unde non debet alte-
37 rare illum, quia stylus Curiæ pro lege habetur, & est observandus; sed illum servet, si sit bonus, maximè in exigendis sportulis, & emolumentis actorum, *Sacra Congr. Concil. in una Taurinen.*7. *Septembris* 1630. *Felin. in cap. licèt de offic. Ordin.* Et si abusus, & corruptelæ sint, illos aboleat, & tollat
38 quantum in se est, & curare debet, ne Cancellarii subditos gravent in emolumentis exigendis pro singulis actis, *Sacra Congreg. Concil. in una Viennen.* 8. *Martii* 1602., & quæ gratis sunt concedenda, gratis dari studeat, *Barbos. alleg.*107. *num.*28.

Et justum exigi curet secundùm taxam quam in tabula quadam scribi curet, & exponi publicè mandet, ut sic omnibus
39 exposita, quisque ipsam videat sine difficultate, & legat quando placet, *Sac. Congr. Episc. & Regul. in una Cathanen.* 16. *Augusti* 1641. Et dum dixi
40 de taxa, hodie servanda est taxa Innocentiana, videlicèt Innocentii XI., quæ publicè tenenda est omnium visui.

Debet honorare dignitates, ac Canonicos Cathedralis, necnon omnes Paro-
41 chos, & Ministros Civitatis, & totius Diœcesis, necnon nobiles, & Magnates. Si casus occurrat, ut ad ipsum ac-
42 cedant, non sit austerus in ceremoniis, ne amittatur respectus ab eis; honor enim est hominibus charior omni alio bono temporali, *cap. nisi de Renunc. Cassanæus in Cathalog. gloriæ Mundi part.*1. *consid.* 2. *num.*6., & *consid.*6. Nam homines dedignantur, quando non honorantur, quia honor, & vita æquiparantur, & pari passu ambulant, *l. justa ff. de manumiss. vindic.* Debet etiam honorare Doctores, & alios virtuosos, nam illis honor est debitus de jure, *l. fin. C. de stat. & imagin. Arist.*3. & 4. *Ethic.*

Demum Vicarius debet esse arbor fortitudinis, & sic habere corticem verita-
43 tis, medullam æquitatis, frondem sagacitatis: qui enim judicaturus est populum, adhibere debet diversas cautelas, & varia remedia, ut singulis rectè justitiam ministrare valeat, *Bald. in sua practica judic. tit. de cautel.*, & *remed. num.*2. 6. & 7., & insuper habere debet odorosos flores honestatis, ac fructus uberrimos bonarum operationum; Circa reliqua suppleat bonitas ipsius Vicarii, vel saltem servet monita præcitata si velit esse gratus Deo, & hominibus.

AR-

ARGUMENTUM.

De Vicario Papæ, & quanta sit illius auctoritas, & potestas in Urbe, & Districtu.

SUMMARIUM.

1 *Vicarii Papæ potestas expenditur.*
2 *Vicarius Papæ fruitur jurisdictione privativa in causis Hebræorum: quod tamen declaratur.*
3 *Vicarius Papæ in facultatibus habet cognitionem causarum Apostatarum, & malè Translatorum.*

DISCEPTATIO II.

Quanta sit Vicarii Papæ auctoritas, & potestas, breviter per nos hic demonstratur, cum circa ipsam nostri muneris non sit diutiùs immorari. Ipse autem in Urbe maxima præfulget potestate, & auctoritate, non solùm in Clericos, sed etiam in Regulares.
1 Visitandi potestatem habet omnia Monasteria in Urbe, etiamsi illa exempta fuerint, necnon cognoscere valet causas miserabilium personarum non excedentium summam ducatorum sexaginta auri de Camera. Visitare potest carceres Urbis unà cum aliis Visitatoribus, votumque dare. Judicare potest de causis Clericorum, ac Hebræorum in Urbe degentium, ac Religiosorum utriusque sexus, & Confraternitatum laicorum, Hospitaliumque. Potest congregare Synodum in Romano Clero pro correctione morum. Conferre ordines per se, vel per alium Catholicum Antistitem potest Vicarius ipse Papæ. Consecrare valet Ecclesias Urbis, vel eas benedicere; necnon reconciliare valet, quatenus pollutæ fuerint, quod idem dicendũ est de Cœmeteriis, habet auctoritatem puniendi eos, qui festis diebus vetita exercent. Necnon punire valet blasphematores, usurarios, perjuros, mœchos, & quoscumque alios committentes crimen, quod ad Ecclesiasticum forum, & ad Curiam Ecclesiasticam simpliciter, vel mixtim, de jure, vel consuetudine, aut statuto pertineat, non obstantibus quibuscumque significationibus ab aliis judicibus factis, seu faciendis. Cognoscit causas tàm civiles, quàm criminales Clericorum Urbis, & ejus Districtus, ac matrimoniorum spiritualium, tàm activè, quàm passivè, privativè quoad alios judices. Necnon cognoscere valet causas hospitalium, hospitalariorum, Confraternitatum laicorum quorumcumque, ac collegiorum Ecclesiasticorum,& aliorum quorumvis etiam forensium, ac quorumcumque in quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, & Capellis Urbis prædictæ deservientium, locorum piorum, & religiosorum quorumcumque utriusque sexus. In causis alienationis, vel permutationis bonorum Ecclesiæ, vel loci pii, etiam per supplicationem Apostolicam commissis, & committendis in Urbe, illiusque Districtu, ipse est executor: de omnibus latè, *ex Constitutione Pauli III., quæ incipit Licet Ecclesiarum, ubi per diversos paragraphos.*

Ipse Vicarius Papæ, privativè quoad alios judices, procedere valet in causis
2 hebræorum, ubi causa est inter ipsos hebræos tàm activè, quàm passivè, inter alios passivè tantùm, ut habetur *ex Constitutione Julii III., quæ incipit Cum sicut* §. 1.

Cognoscere etiam valet causas Apostatarum, & mala translatorum in Cu-
3 ria, *ut ex Constitutione Pii IV., quæ incipit Sedis.* Quamplura alia potuissem dicere de Vicario Papæ, sed superfluum existimavi, cum omnibus in Romana Curia versatis notum sit quanta sit illius dignitas, auctoritas, & potestas.

ARGUMENTUM.

De Vicario Archiepiscopi, seu Metropolitani, & quanta sit illius dignitas, auctoritas, & potestas in propria Diœcesi, atque in Episcopos suffraganeos, eorumque subditos, ostenditur.

SUMMARIUM.

1 *Inter Metropolitanum, atque Archiepisco-*

piſcopum quænam diſtinctio intercedat?

2 *Poteſtas Vicarii Archiepiſcopi ab iſtius auctoritate commenſuratur.*

3 *Vicarius vices gerit ejus, quem repræſentat.*

4 *A Vicario non provocatur ad Epiſcopum, cum uterque unum conſtituant Tribunal.*

5 *Archiepiſcopus in ſua Archidiœceſi eadem utitur poteſtate, qua in ſua Diœceſi Epiſcopus.*

6 *A Vicario Archiepiſcopi non ad Archiepiſcopum ipſum, ſed ad Papam appellatur*, & num.7.

8 *A poteſtate Vicarii Epiſcopalis ad poteſtatem Vicarii Archiepiſcopi valet illatio.*

9 *Archiepiſcopus, ejuſve Vicarius in ſuffraganeos, ejuſque ſubditos, poteſtatem habet non univerſam, ſed in quibuſdam certis caſibus circumſcriptam*, & num.31.

10 *Cauſas appellationum à Sententiis Epiſcopi ſuffraganei cognoſcit Archiepiſcopus, vel ipſius Vicarius.* Limita ut num.12. 13. & 14.

11 *Vicarius Archiepiſcopi dicitur habere generale Mandatum ab Archiepiſcopo, quemadmodum Vicarius Epiſcopi ab Epiſcopo.*

13 *A delegato appellatio datur ad delegantem.*

15 *Ab Epiſcopo ad Metropolitanum, jure noviſſimo Sac. Concilii Tridentini in tribus caſibus poteſt appellari, qui recenſentur.*

16 *Sententia diffinitiva in quo differat ab interlocutoria, remiſſivè.*

17 *Gravamen irreparabile quale ſit.*

18 *Carceratus ab Epiſcopo quando valeat ad Metropolitanum appellare.*

19 *A comminata tortura, nondum evacuatis inditiis, appellare non licèt ad Metropolitanum.*

20 *A cenſuris fulminatis per Epiſcopum, datur appellatio ad Metropolitanum: dummodo de notorio delicto non agatur.*

21 *Appellatio non admittitur in notoriis criminibus.*

22 *Metropolitanus circumſpectè procedere debet in admittendis appellationibus à decretis Suffraganei, ne hic contemptui ſit.*

23 *Appellatio à decreto Ordinarii tunc demum competit, cum agitur de Sententia, ſive decreto diffinitivo, vel interlocutorio vim diffinitivi habente, vel gravamen præſeferente irreparabile.*

24 *Appellans cauſam gravaminis proponere debet judici ad quem.*

25 *Appellatio quandoque ſufficit facto interpoſita, nimirum per arreptionem itineris ad Superiorem.*

26 *Vicarius Archiepiſcopi ſub pœna quidem interdicti inhibere poteſt Epiſcopo ſuffraganeo, ne ad ulteriora procedat in cauſa, non verò ſub comminatione Cenſurarum*, & num.27.

28 *Recurrere licèt ad Metropolitanum per viam querelæ, ubi de jure non competeret appellatio*, & num.29.

30 *Adverſus cenſuras latas per Suffraganeum Metropolitanus poteſt concedere abſolutionem cum reincidentia ante cognitionem cauſæ.*

DISCEPTATIO III.

CUM acturi ſimus, de auctoritate, & poteſtate Vicarii Archiepiſcopi, vel Metropolitani, hic adnotanda erunt, quæ aliàs adnotavimus, & ſignantèr *lib.*3. *Diſcept.*2. ubi demonſtravimus, quæ differentia ſit inter Archiepiſcopum, & Metropolitanum; ibique diximus quòd Metropolitanus dicatur, quicumque habet plures Epiſcopos ſuffra-
1 ganeos ſub ſe; Archiepiſcopus verò, qui non habet ſuffraganeos, uti de Archiepiſcopo Roſſanen. Lancianen. & Nazareno: quo cognito agnoſcitur etiam illius auctoritas, & poteſtas; etenim ſi nullum habeat ſuffraganeum, tanta eſt poteſtas Vicarii Archiepiſcopi, quanta Vicarii generalis Epiſcopi, de quo in ſequenti Diſceptatione, ubi latè.

Cum autem maxima ſit auctoritas, & poteſtas Metropolitani in ſuos ſuffraganeos, ac in ſubditos ſuorum ſuffraganeo-
2 rum, ut latè demonſtravimus *d. lib.*3., maxima quoque eſt auctoritas, & poteſtas Vicarii ejuſdem Metropolitani, tàm in cauſis Epiſcopi ſuffraganei, quàm in cauſis ſubditorum ipſius ſuffraganei, cum ipſe Vicarius in Juriſdictione vices gerat

3 rat sui auctoris, scilicet Metropolita-
ni, cui inseruit in munere Vicarii.

Etenim cum à sententia Vicarii gene-
ralis Episcopi non detur appellatio ad
4 ipsum Episcopum; quia ambo unum tri-
bunal constituunt *cap.Romana de appel-*
lat. in 6. Meritò jura sanxerunt posse
appellari ad alium, videlicet ad Metro-
politanum, vel Sanctam Sedem: ita
ex *Trid.sess.13. cap.1. & 2.*, & *sess.24.*
cap.20. de Reform., opportunè igitur
videndum erit de potestate Vicarii Me-
tropolitani, in subditos ejusdem, vel in
subditos suffraganeorum ipsius Archie-
piscopi Metropolitani.

Ipse Vicarius Archiepiscopi succedit
in jurisdictione Archiepiscopali eo mo-
5 do, quo Vicarius Episcopi in Episcopa-
li; nam Archiepiscopus in sua Diœcesi
habet omnia jura, potestatem, & obli-
gationes, quas habent Episcopi respe-
ctivè quilibet in sua Diœcesi, & sunt
veluti omnes alii Episcopi, ut notat
Barbosa de Jure Ecclesf.lib.1.cap.7.n.15.
6 Unde ab istis Vicariis non appellatur ad
Archiepiscopum, sed ad Papam *cap.Ro-*
mana de appellat. in 6. Sbrozius lib.3.
quæst.2. num.1. propter eam rationem,
quia Vicarius Archiepiscopi facit unum
7 tribunal cum Archiepiscopo, ut ex *d.*
cap.Romana de appellat.juncto cap.2. de
foro competenti, ubi DD. Undè quem-
admodum potestas Archiepiscopi in pro-
pria Diœcesi tanta est, quanta illa Epi-
scopi in sua, ita id dicendum de Vica-
rio Archiepiscopi, quod dicemus infrà
de Vicario Episcopi Disceptatione se-
quenti: Quamobrem quidquid facere
potest Vicarius Episcopi in sua Diœcesi,
8 facere potest, & Vicarius Archiepisco-
pi in sua, & quæ denegata videntur Vi-
cario Episcopi, denegata pariter viden-
tur Vicario Archiepiscopi.

Habet verò Archiepiscopus maximam
auctoritatem tàm in suos suffraganeos,
quàm in subditos suorum suffraganeo-
9 rum, ut latè demonstravimus *lib.3.* un-
dè meritò eamdem jurisdictionem vi-
detur habere ipse Vicarius Archiepisco-
pi, cujus ipse vices gerit. Regulariter
vero ipse Archiepiscopus, vel ejus Vi-
carius, nullam habet jurisdictionem in
subditos suffraganeorum, nisi tantùm
in casibus expressis à jure, *ad Text. in*
cap. Pastoralis de Offic. Ordinar. Lotter.
de re benefic. lib.1. quæst. 22. num.37.
concordat *Text. in cap. Romana cap.*
venerabilibus de Sent. excommun. in 6.
cap.1. de supplenda negligentia Prælat.
eod.lib.6. Genuensis in praxi cap. 88.
num.102.

Procedere igitur valet Archiepisco-
pus, & ita suus Vicarius, in causis sub-
ditorum Suffraganei, ubicumque appel-
10 latum fuerit à sententia Episcopi, &
sui tribunalis ad Archiepiscopale tribu-
nal. Undè hoc casu Vicarius ipsius Ar-
chiepiscopi, ratione jurisdictionis, qua
fungitur Archiepiscopus ipse, eadem
ipse uti potest auctoritate. Etenim in
omni casu, in quo valet procedere Ar-
chiepiscopus, ita ejus Vicarius genera-
11 le, & speciale mandatum habens, ut
notant Doctores *in cap. Romana de foro*
compet. in 6. Pellegrin. in praxi Vicar.
part.1. sect.3. subsect.2. num.49.

Dantur verò quamplures casus, in qui-
bus non datur appellatio à sententia
Episcopi ad Archiepiscopum, & Metro-
politanum, & sic ad Vicarium ejusdem.
Et primò in causis S. Officii, in quibus
12 appellatur ad Papam, propter nego-
tiorum gravitatem, non autem ad Me-
tropolitanum, ita *Pegna in Directorio*
Inquisitionis part. 3. comment.31. Ge-
nuensis in praxi Curiæ Archiep. cap.30.
num.8.

Secundò in delegato Episcopi, ete-
nim ab ipso non appellatur ad Archie-
13 piscopum, vel suum Vicarium, sed ad
Episcopum delegantem, nisi Episcopus
causam delegaverit in fraudem, quia
tunc appellari potest ad Archiepisco-
pum, & ejus Vicarium, *Genuensis su-*
prà num.7.

Tertiò non datur appellatio à senten-
tia Episcopi ad Metropolitanum, & sic
14 ad ejus Vicarium, ubicumque agitur
de causa violatæ immunitatis, cum hoc
casu recurrendum erit ad S.Sedem, vel
Congregationem Immunitatis de Urbe.

Hodiè attenta novissima dispositione
Trid.sess.24. cap.20. de Reform. in tri-
15 bus tantùm casibus appellari potest à
suffraganeis ad Metropolitanum. Pri-
mò à diffinitiva sententia, quæ imponit
ultimam manum liti. Secundò ab inter-
locutoria, quæ habet vim diffinitivæ.
Ter-

Tertiò à gravamine irreparabili, quod per diffinitivam reparari non valet, ut ex *Trid. sess. 13. cap. 1. de Reform.*

Quæ autem sit differentia inter sen-
16 tentiam diffinitivam, & interlocutoriam, latè *Pellegrinus sup. part. 2. sect. 3. subsect. 1. num. 15. & seqq.*

Sed quid sit gravamen irreparabile, breviter noto: dicitur gravamen irre-
17 parabile omnis actus irretractabilis, uti excommunicatio, carceratio, tortura, & alia hujusmodi, *Abbas in cap. in contemplatione num. 4. de Regulis juris, Maranta 6. part. de appellat. n. 216.*

Attamen non ab omni carceratione datur appellatio ad Metropolitanum, & ejus Vicarium generalem, sed ubicumque Episcopus non curat devenire ad expeditionem causæ, posito quod processus jam fuerit compilatus, & nollet ad expeditionem devenire, sub præ-
18 textu, quòd habet biennii tempus ad expediendam causam juxtà *Trid. sess. 24. cap. 20.*, nam hoc locum habet, ubicumque processus nondum fuerit compilatus, latè *Genuensis d. cap. 88. num. 4.*, quia hoc casu si carceratus appellaret, non esset per Vicarium Metropolitani admittenda appellatio, tamquam frivola; aliàs enim suffraganeus non posset aliquem subditum carcerare; quia semper carcer diceretur gravamen irreparabile, & sic eluderetur tribunal suffraganeorum, *cap. de priore de appellat. l. quoniam judices C. de appellat. Bartol. in l. apertissimi, C. de Judiciis, Zerola in praxi Episcop. part. 1. V. Appellatio §. 6.*

Sequitur ut videamus, an à comminata tortura, à tribunali Episcopi suffraganei detur appellatio ad Metropo-
19 litanum, & ejus Vicarium. Et negativè respondendum videtur ex eisdem rationibus, de quibus suprà, quando scilicèt processus fuit ritè, & rectè compilatus concessis defensionibus, & repulsa, & facta publicatione, ac audito reo in omnibus suis juribus, cum procuratore, & advocato, & indicia non essent adhuc evacuata per defensiones, & alia acta; nam hoc casu locum non habet appellatio, uti frivola, *Diaz in praxi crimin. can. cap. 117. num. 5. Covarr. practic. quæst. cap. 23. num. 5. Navarr. in cap. inter verba conclus. 64. 2. quæst. 3.*

A comminata verò excommunicatione, admitti potest appellatio ad Archiepiscopum, vel suum Vicarium in-
20 terposita, ad *Text. in cap. per tuas de Sent. excomm. cap. ad audientiam de appellat. cap. solet de Sent. excomm. in 6. cap. venerabilibus eodem tit. & lib.*

Fallit verò in publicis criminibus in
21 quibus non debet admitti appellatio, *cap. pervenit, cap. pastoralis §. Verò, cap. cum sit Romana §. Præterea de appellat. Covar. in c. Alma Mater part. 1. §. 2. num. 9.*

Attamen non omnis appellatio est admittenda à Vicario generali Archie-
22 piscopi, ne de facili tollantur causæ suffraganeorum, & eorum tribunalia parvipendantur, *Rota decis. 58. de appellat. in novis, can. non ita 2. quæst. 6.* nam cavetur in *Sac. Trid. sess. 13. cap. 1. de Reform.* & *sess. 24. cap. 20. pariter de Reform.*, quod nec Episcopus, nec Vicarius tenentur assentiri quibuscumque inhibitionibus, & deferre cuicumque frivolæ appellationi, nisi ubi appellatum fuerit à diffinitiva, vel ab inter-
23 locutoria, quæ habeat vim diffinitivæ, vel ubi gravamen erit irreparabile, ut suprà demonstravimus.

Appellatio quo suprà debet proponi ab appellante coram Judice à quo, & si-
24 mul coram eodem debent proponi causæ gravaminis, ad *Text. in c. ut debitus de appellat.*, & *Doctores communiter. Maranta part. 6. tit. de appellat. n. 153.*
25 imò aliquando sufficit appellare facto, idest per arreptionem itineris ad superiorem ad *Text. in cap. dilecti de appellat.*, deindè taliter appellans debet tamen reportare literas monitoriales à Judice ad quem, ut notant communiter DD.

Hinc videre est, an liceat Vicario generali Archiepiscopi inhibere Episcopo
26 suffraganeo sub pœna excommunicationis, ne audeat aliquid innovare in causa appellata; & negativè respondendum videtur, ad *Text. in cap. 2. de Offic. delegati in 6. cap. 1. de Clerico Venator. Staphileus de literis gratiæ fol. 291. num. 4.* Quod est valdè notandum ab omnibus Ordinariis, & Delegatis Apostolicis, quan-

quando inhibent Episcopis ne in errorem incidant.

Ratio est, quia Vicarius Archiepiscopi non potest ferre sententiam, vel exercere jurisdictionem, vel promulgare censuras Ecclesiasticas in suffraganeos existente Archiepiscopo in Provincia, *cap.1. §. Officiales de Offic. Ordinar. in 6. Gemin. ibid. & cap.2. de Offic. Deleg. eod.*
27 *lib.6.* Quod tamen intelligitur de sententia definitiva censurarum, & non quando Vicarius generalis Metropolitani inhiberet sub pœna suspensionis, seu interdicti, *Bertachin. in Tractatu de Episcopis part.7. lib.4. quæst.10. Zerola in praxi Episcop. V. Appellatio §.7.*

Ubi sublatum est remedium appellationis, an possit adiri Metropolitanus, vel ejus Vicarius per viam querelæ, vi-
28 dere est. Et affirmativè respondendum videtur, ita *Glossa in cap. ad reprimendam de offic. Ordin. Abbas in cap. literis, & in cap. dilecto de Appellat. Felin. in cap. lator de Judic. Maranta part.6. de Appellat. num.115.* Quidquid contrarium dicat *Covar. pract. quæst. cap. 9. num.2.* per *Text. in cap.1. de offic. Legati.*

Probabilior enim mihi videtur prima sententia; nam adversùs suffraganeum, qui committit aliquid injustè in causa, potest adiri Metropolitanus per viam querelæ; quia hoc casu suffraganeus fit reus Metropolitani, & querelans actor: undè cognitâ justitiâ causæ, potest Metropolitanus præcipere suffraga-
29 neo, ut sententiam revocet, vel quod acta revideantur in audientia Metropolitana, *Covarr. præcitato loco cap. 10. num.1. Maranta ibidem num.115. Abbas in cap. Sacro num.6. de Sentent. Excommunicationis.*

Pariter est videndum, an appellans à sententia excommunicationis suffraganei ad Metropolitanum, vel ejus Vicarium generalem possit ab eo absolvi ante cognitionem causæ, & affirmativè respondendum videtur, ad *Text. in cap. venerabilibus §. Porrò de Sentent. Excomm. in 6. cap. per tuas, eodem tit.*
30 *& libro*, quæ absolutio appellari solet habilitatio ad finem, ut agere possit in judicio.

Sed quia nonnulla alia competunt Archiepiscopis, vel Metropolitanis, erga eorum suffraganeos, vel subditos suffraganeorum, ut diximus suprà *lib.3.*
31 Et competunt etiam Vicariis eorumdem, uti eorum vices repræsentantibus; ideò consulas locum prædictum, ubi quanta sit potestas Archiepiscopi in prædictos demonstravimus.

Demum circa qualitates eligendi in Vicarium generalem Archiepiscopi, ac quanta sit illius jurisdictio, & potestas in Diœcesi eidem commissa, multa nobis essent adducenda. Sed quia eadem est auctoritas Vicarii generalis Episcopi in sua Diœcesi, quanta illa Vicarii Archiepiscopi in sua, & in subditos simpliciter suæ Diœcesis, me remitto ad sequentes, ubi de Vicario generali Episcopi quamplura adducemus: ideò sit.

De Vicario generali Episcopi Ordinarii loci.

ARGUMENTUM.

Episcopus an teneatur deputare Vicarium generalem in sua Diœcesi? Eligendus in Vicarium quibus qualitatibus præditus esse debeat? Quæ sit hujusmodi Vicarii dignitas, auctoritas, & potestas.

SUMMARIUM.

1 *Episcopus an teneatur sibi assumere Vicarium Generalem, contendunt DD.* & num.2. & 4. *ubi iidem DD conciliantur.*

3 *Auxilium quandoque exquirere debemus pro incumbentium onerum facili expeditione.*

5 *Episcopi in amplioribus Diœcesibus, ubi Vicarius unus non sufficit, tenentur alios quoque judices delegare.*

6 *Episcopus duarum Cathedralium æquè principaliter unitarum num utrobique teneatur Vicarium constituere?* & num.7.

8 *Episcopus tenetur suo Vicario certam mercedem assignare ex redditibus Mensæ*, & num.10.

9 *Propriis sumptibus, quòd nemo debeat militare, omnia jura conveniunt.*
11 *Episcopi sedulâ curâ dignum Vicarium seligere debent.*
12 *Episcopus Vicarium indignum culposè eligens, tenetur ad omnium damnorum restaurationem.*
13 *Factum Vicarii reputatur Factum Episcopi, qui eum præposuit.*
14 *Vicarius Generalis quibus requisitis pollere debet*, usque ad num.24.
20 *Assumendi ad Dignitates Ecclesiasticas debent esse Laurea Doctorali insigniti in aliqua publica Universitate, ex Constitutione S. Pii V.*
22 *Infamibus præcluditur aditus ad Dignitates.*
24 *Judex Civis, solet esse suspectus.*
25 *Vicarii Generalis præeminentiæ exponuntur*, & num.26. 27. & seqq.
28 *Vicarius insimulque Canonicus, quatenus Divinis intersit uti Vicarius, distributiones quotidianas non lucratur.*
30 *Vicarius quamvis ratione præeminentiæ stallo primæ Dignitatis insideat; non proinde in Ecclesia installatus dici potest.*
34 *Vicarius Generalis Dignitas quidem est, sed temporanea; ideoque non omnia eidem conceduntur, quæ perpetuis Dignitatibus congruunt.*
35 *Vicarii Generalis potestas, ac jurisdictio.*

DISCEPTATIO IV.

QUamplura sunt nobis hic adnotanda circa materiam Vicarii generalis Episcopi, cujuslibet respectivè in sua Diœcesi, omnia valdè utilia, ac necessaria scitu.

Quoad primum est videre, an Episcopus quilibet respectivè in sua Diœ-
1 cesi teneatur constituere Vicarium, seu Officialem generalem in illa, & circa præsens dubium varii varia dixere. Pro parte negativa sunt quamplures, qui asserunt non teneri, sed posse omnia agere per seipsum, & ita colligitur ex *Textu in cap. cum Episcopus de offic. Ordin. in6.*, & ita sentit *Sac. Rot. recent. part.14. decis.115. num.19. Barbosa de Episcop. alleg.54. num. 125. Pignatell. consult. canonic. tom.7. consf.64. num.6. Sac.Congr. Episcop. & Regular. in una Aquilana 14. Augusti 1643.* ibi: *Questi miei Signori Eminentissimi hanno resoluto, che non sia obbligato tenere detto Vicario generale nella Città, mentre lui abita, e puol supplir per se stesso.*

Contrariam verò sententiam sustinent alii, putantes Episcopum teneri sibi Vi-
2 carium generalem constituere pro negotiis Curiæ gerendis, & in sui sublevamen, cum multæ sint occupationes, quæ in dies accidunt in Cathedralibus Ecclesiis, & sic in qualibet Diœcesi: undè licèt ipse vigilantissimus, ac præstantissimus fuerit, per se solum non valet adimplere, forsan cum damno, & periculo subditorum; ac proinde, uti & nos dicimus, tenetur Vicarium generalem deputare: facit *Text. in cap. inter cætera, cap. quoniam de offic.Ordin. Sbrozius de offic.Vicarii lib.1. qu.46. Azor. Institut.moral. part.2.lib.3.cap.29.qu.3. Pellegrin. in praxi Vicariorum part. 1. sect.2. subsect.5. num.1.*

Causæ enim faciliùs expediuntur per
3 plures, quam per unum, *cap. quoniam de offic. Ordin. Barbosa de Episcop.alleg.14. num.126.*

Sed tu concilia hujusmodi inter se contrarias sententias ita. Prima habet locum, ubicumque Diœcesis non fuerit ampla, & numerosa animarum; sed tantùm fuerit Episcopus unius parvæ Civitatis, vel angustæ Diœcesis, uti de quampluribus Ecclesiis Cathedralibus Regni, quemadmodum mihi narratum fuit ab Episcopis quibusdam fide dignis.
4 Secunda verò procedit, ubi Diœcesis fuerit ampla, & numerosa populi, & Cleri, nam in hoc secundo casu, quia nequit Episcopus omnia peragere per seipsum, ac cunctis exigentiis Diœcesis deservire, licet fuerit præstantissimus; meritò tenetur sibi assumere Vicarium, ut pro justitia ministranda, possit se coadjuvare in labore, ad *Text. in cap.inter cætera de offic. Ordinar. Pax Jordan. lucubrat. Canonic. lib.12.tit.1. num.10. Gratian. discept. forens. cap.96. n.36.*

Immò ubi fuerit Diœcesis ipsa nimis ampla; tunc tenetur Episcopus loci Ordinarius, ultrà Vicarium Civitatis deputare alios, aut saltem deputare Judices

ces particulares, ad quos subditi con-
5 currere possint, & valeant in casu indigentiæ: ita *Flores de Mena var. quæst. lib.*1. *quæst.* 8. *num.* 4. ibi = *Domini temporales, Episcopi, & Prælati Ecclesiastici, & similes personæ jurisdictiones habentes, debent habere Vicarios, & particulares Judices delegatos, quando sumus in Episcopatibus insignibus, numerosis, & nimis distantibus, itaut litigantes non possent commodè accedere ad Episcopum, nisi cum magno labore, & expensis* = ubi alii Doctores.

Ex supradictis insurgit altera quæstio examinanda, an Episcopus duarum Cathedralium æquè principaliter uni-
6 tarum, teneatur constituere Vicarium generalem in unaquaque; & pro negativa facit *Cardin. Zabarella in Clem.* 2. *quæst.* 2. *de Rescript. Gonzalez ad Regulam* 8. *Cancellariæ*, *Glossa* 5. §. 7. *num.*118. *Barbosa alleg.* 54. *num.*129. *& seq. Gratian. discept. forens.*655. Ea ratione quia Vicarius constitutus in una censetur constitutus pro utraque. Altera ratio est, quia respectu Episcopi censentur una Diœcesis: itaut in una residendo, explere possit factum alterius.

Attamen contrarium videtur resolutum per *Sacr. Congregationem Episcoporum, & Regularium in una Sutrina, & Nepesina* 7. *Junii* 1694., & in altera *Gerunden.*, *& Cariaten.* 2. *Octobris* 1706. *ad dub. quintum*, in quibus ha-
7 betur, Episcopos duarum Cathedralium, æque principaliter unitarum, teneri constituere Vicarium generalem in unaquaque ex illis; ne pauperes subditi defatigentur in quærenda justitia: quod quidem adducit *Pellegrinus in praxi Vicar. part.*1. *sect.*2. *subsect.*5. *n.*13. Cathedrales quando dicantur æque principaliter unitæ, vel accessoriæ tantum, latè per nos *lib.*13. *ubi de Beneficiis*.

Cui quidem Vicario constituto, quo suprà, debet Episcopus assignare certum salarium, ne detur eidem occasio furan-
8 di, vel excorticandi pauperes subditos, quod utinam aliqui non facerent: quod quidem salarium constitui debet ex fructibus Mensæ Episcopalis, *Fagn. in cap. quoniam, ne Prælati vices suas num.*8. facit *Text. in cap. quicumque* 12. *qu.*2.
9 Etenim nemo tenetur, quocumque jure inspecto, suis propriis stipendiis militare, ad *Text. in cap. cum ex officio de Præscript. cap. cum secundam de Præbendis*, *Fagnan. d. cap. quoniam ne Prælati &c. num.*9. *Barbosa de Episcop. allegat.*54. *Sbrozius de offic. Vicarii lib.*1. *quæst.*55. *num.*6. *Rota recent. part.*18. *decis.*188. *num.*7., ubi habetur, quod ubi Vicario
10 fuerint assignata emolumenta Cancellariæ, seu Judicaturæ, nihil aliud ipse petere potest.

Quoad secundùm: in electione Vicarii, Episcopus non debet oscitanter procedere, sed matura circumspectione, & consilio. Etenim quamplura mala oriuntur ex malo gubernio Vicariorum, & non semel sunt præcipitium Episcopo-
11 rum; ac proindè assumere debent ad hoc munus hominem qualificatum, circumspectum, probum, bonæ vitæ, & famæ, veridicum, liberalem, temperatum, mansuetum, doctum, magnanimum, & hominem, qui non declinet neque ad dexteram, neque ad sinistram, ita *Sbroz. de Vicario Episc. lib.*1. *qu.*33. *&* 34. *Barbosa de Episc. alleg.* 54. *n.*1. *& seqq. Pellegrin. in praxi Vicar. ubi de Monit. generalibus ad Episcop.*

Etenim eligens hominem indignum in Vicarium, tenetur ad restitutionem
12 damni, per ipsum Vicarium injustè illati, argumento *Text. in cap.*1. *de Restit. spoliat.*: Imputatur quippe id ei, qui operâ malorum hominum utitur, ad *Text. in l. ex malefic. de action. & obli-*
13 *gat.*: Factum namque Vicarii dicitur factum Episcopi, *Rota recent. part.*19. *decis.*312. *num.*34.

Eligendus igitur in Vicarium quampluribus qualitatibus præditus esse debet: & primò assumendus erit ille, qui
14 saltem habeat ætatem annorum viginti quinque, ut docet *Barbosa de Episcop. alleg.*54. *num.*3. *Azor. Institut. moral. part.*2. *lib.*3. *cap.* 43. *qu.*20. *Pellegrin. suprà ad monita generalia num.*7. *Pax Jordan. lucubrat. canonic. lib.*12. *tit.*1. *num.*95.

Secundò debet esse Clericus saltem primâ tonsurâ initiatus, *cap. in nova* 16. *quæst.*7. *Abbas, Felin. Decius, & alii*
15 *in cap. decernimus de Judic. Barbosa d. alleg.*54. *num.*4. *Pax Jordanus sup.*

n. 96. Card. de Luc. de Benefic. disc.73. num.14.

Nomine verò Clerici non veniunt Clerici conjugati; undè tantùm Cleri-
16 ci celibes assumi debent ad hoc munus, ita Doctores *in c.1. de offic. Vicarii in 6. Sbrozius de Vicario Episcopi lib.1.qu.31. num.5. Sac. Congr. Episc. & Regular. in una Mutulana* 8. *Maji* 1615., & in una *Civitatis Castelli 6. Decembr.*1680.
17 In Regnis verò Hispaniarum, attenta Constitutione Urbani VIII., quæ incipit *Decet Romanum*, non potest assumi ad hoc munus ille, qui actu non est Sacerdos.

Tertiò debet esse literatus; undè ratione justitiæ, quam ministrare tenetur debet esse Doctor, & Doctoratus in pu-
18 blica universitate, vel publico Collegio, aliàs ejus electio erit nulla, *Pax sup. n.*114. *Barbosa dict. alleg.54. n.54. Pellegrin. sup. num.8. Sac. Congr. Conc. in una Cotronen. 9.Maji* 1637., & in altera *Papien. 27.Julii* 1652., & in altera *Larinen. 14. Novembris* 1681. Dixi *in publica universitate, vel publico Collegio*. Etenim doctorati à privata persona, ad tale munus non erunt assumendi, *Sacra Congreg. Concil. in una Gravinen. Doctoratus* 24. *Aprilis* 1665.

Et de doctoratis ab Excellentissima
19 familia Sfortia, *Sacra Congreg.Concil. in una Clusina* 21. *Februarii* 1682., & 11. *Aprilis ejusdem anni*.

Siquidem licèt isti quo ad gradum doctoratus, sint veri doctores, nihilominùs veniunt exclusi ab hac dignitate; quia D. Pius V. expressè mandavit in
20 sua Constitut.60. quæ incipit: *Quamvis Bullar.no.to.2.* ut hi qui assumendi erunt ad dignitates Ecclesiasticas debeant esse doctorati in publica universitate, vel Collegio publico, ac proindè cum tales non fuerint, minimè sunt admittendi.

Quartò debet eligi is, qui non est consanguineus Episcopi, uti de fratre,
21 nepote, & similibus, *Pellegrin. suprà num.6. Sac. Congr. Episcop. & Regular. in una Anglonen. 24.Januarii* 1659. & ibidem 10. *Februarii* 1662. *eadem Sac. Congreg. Episcop. in una Consentina* 16. *Novembris* 1703. ubi Vicarius, quia erat nepos Archiepiscopi, Sacra Congregat. mandavit eidem, ut amoveret illum.

Quintò, non debet eligi in Vicarium ille, qui macula infamiæ est irretitus;
22 nam infamibus portæ non patent dignitatum, ad *Text. in cap. Inter dilectos de excessibus Prælatorum, cap. infamibus de Regulis Juris in 6. Farinac. quæst.crimin.* 160. §. *Infamis, num.*156. *Pax Jordanus sup. num.*118.

Sextò non debet eligi in Vicarium ille, qui habet curam animarum; un-
23 dè veniunt excludendi Parochi, & similes, *Pax suprà nu.*117. *Sacr. Congr. Episcop. & Regular. in una Ugentina* 1660., *Ripana 16. Decembris* 1672., *Nicoteren. 13.Decembris* 1678., *Oppiden. 6. Decembris* 1680., *Cathacen. 16. Maji* 1692.

Septimò, eligi non debet ille, qui est ejusdem Civitatis, vel Diœcesis, pro-
24 pter particularem affectionem, quam habere potest erga Diœcesanos: & ubi electus fuerit, amoveri debet, *Pignateil. consult. canonic. tom.9. consult.*162. *Sac. Congr. Episc. in una Nicoteren. 13. Decembris* 1678. *Anglonen. 28. Septembris* 1685. *S. Severini* 31. *Augusti* 1691. *Isclana* 17. *April.*1693. *Montis alti* 23. *Julii* 1694., *Reatina 3. Octobris* 1695. *Sulmonen. 6. Julii* 1696. *Caputaquen.* 31. *Januarii* 1698. *Aquilana* 12. *Martii* 1699. *Hieracen.* 10. *Novembr.*1702. & alibi passim.

Quoad tertium: quæ sit Vicarii generalis dignitas, sequitur, ut videamus. Vicarii autem generalis dignitas
25 maxima est. Etenim ipse præcedit omnibus de Capitulo, Clero, & Populo, tàm in Concionibus, quàm in Congregationibus, cæterisque actibus Capitularibus, & similibus, tàm absente, quàm præsente Episcopo, dummodò incedat
26 cum habitu Vicarii, & dignitates non sint sacris vestibus induti, *Sac. Congr. Rituum in una Mileten.13.Julii* 1619., & altera *Reatina* 11. *Maji* 1641. ibi = *Sacra &c. Censuit, semper & ubique deberi præcedentiam Vicario generali, supra dignitates, & Canonicos tàm absente, quàm præsente Episcopo, dummodò Vicarius incedat cum habitu Vicariali, & dignitates non sint sacris vestibus induti*: & ita in altera *Civitatis plebis* 26. *Augusti* 1645. ibi = *Sacra &c. Quod si Vicarius incedat cum habitu Vica-*

Vicariali, praecedere debet omnes dignitates, & Canonicos, quamvis Protonotarios.

Si verò Vicarius fuerit Canonicus, tunc non valet praecedere alios; qua-
27 tenùs assistat uti Canonicus; sed debet sedere in suo stallo, scilicèt in loco suae receptionis, *Sacra Congreg. Rituum in una Nolana 28. Julii 1685. ad dub. 4. & 5. Fagnan. in cap. ad haec num.29. de praebendis, Pignatell. consult. Canonic. tom.3. consult.63. num.19. Panimolla decis.1. annot.5. Card. de Luca de praeeminentiis disc.113. num.3. Sac. Rota in una Cracovien. praecedentiae super bono Jure 1. Julii 1695. cor. Muto vers. quae viget.*

Nam aliter non lucratur distributio-
28 nes quotidianas, si assistat in Choro uti Vicarius, *Sac.Congr.Rituum in una Clomacen. 4. Julii 1615. Acernen. 21. Julii 1632. Sellius in selectis Canonicis c.3. num.130.*

Praecedere etiam potest primam di-
29 gnitatem tàm in Choro, quàm ubilibet, *Sac. Congreg. Episc. & Regular. in una Theatina 6. Julii 1618. Fuscus de Visitat., & regimine Ecclesiae lib. 1. cap.19. Barbosa de dignitat., & Capit. cap. 5. num. 55. Pax Jordanus suprà num.35.*

Attamen Vicarius generalis Episcopi licèt sedeat in primo stallo, in quo se-
30 dere debebat prima dignitas; non propterea dicitur occupare stallum, & locum dignitatum, *Sellius suprà cap. 36. num.41.*

Pariter Vicarius ipse generalis Episcopi praecedit Gubernatori Civitatis, si Gubernator ipse fuerit laicus, tàm prae-
31 sente, quàm absente Episcopo. Etenim ipse dicitur Ordinarius in Dioecesi, in qua fungitur munere Vicarii, *Sacra Congreg. Rituum in una Ravennaten. 28. Aprilis 1607.*, & in altera *Forolivien. 24. Novembris 1668.*

Sicuti etiam praecedit omnibus potestatibus, Judicibus, ac Commissariis tem-
32 poralibus suae Dioecesis, *Sac.Congreg. Rituum in una Nucerina Saxiferrati 15. Maji 1610. Sellius suprà cap.36. n.50.*

Licèt maxima sit Vicarii generalis dignitas, & majestas post Episcopum, ita ut etiam praecedat dignitatibus, & Ca-
33 nonicis Cathedralis; attamen non ex hoc ei videtur permissum circulum facere ante Episcopum, in Missa solemni, & signanter in Gloria, Credo, & Sanctus; cum hoc tantùm est concessum à Jure solis dignitatibus, & Canonicis de Capitulo: etenim dignitas, quae com-
34 petit Vicariis generalibus, dicitur dignitas per accidens, quae potest esse, & non esse in eodem subiecto, *Sac. Congr. Rituum in una Maceraten. 28. Septembris 1630. Barbosa Summ.Apostol. decis. collect.725. num.18.*

His positis, quoad electionem Vicarii generalis Episcopi, ac illius praecedentiam; sequitur ut videamus quae, & qua-
35 lis sit illius potestas, & jurisdictio: & certum est, illum habere ordinariam jurisdictionem in sua Dioecesi, ita *Glossa in cap.2. de offic. Ordin. in 6. V. Officialem, cap. Romana eodem tit. & lib. Barbosa de Episcopis alleg. 54. num.36. Sbrozius de Vicario Episc. lib.2. qu.55. num.9. Chartar. decis.crim.70. num.82.* Quod procedit etiam quoad ea, quae requirunt speciale mandatum, de quibus infra, si illa Episcopus unâ commissione concessit, cum generali mandato: quia ordinaria jurisdictio tamquam dignior trahit ad se minus dignam, scilicet delegatam sibi annexam, ut docet *Sbrozius suprà lib.2. quaest.55. num.37. & 39.*

ARGUMENTUM.

Quae possit facere Vicarius generalis cum solo mandato generali: Quaeve facere nequeat absque mandato speciali, ubi per casus quadragintaquatuor materia ostenditur, & dilucidatur.

SUMMARIUM.

1 *Vicarius generalis vigore mandati generalis, quod habet, ratione officii, quaenam facere possit, & quaenam sine speciali mandato expedire nequeat, plures enumerantur casus*, usque ad num.62.

DI-

DISCEPTATIO V.

Diximus suprà, Vicarii generalis potestatem partim pendere ex ipsa concessione Juris, adeout illam exercere possit statim factâ illius electione ad hoc munus, partim ei competere jure delegato, attenta delegatione facta ab ipso Episcopo, idest speciali commissione: inde sequitur, ut videamus, quæ possit facere Vicarius generalis, cum solo mandato generali, & quæ cum speciali mandato, seu concessione ipsius Episcopi, itaut sine speciali commissione ea facere nequeat: quod valdè necessarium est scitu, ab omnibus Vicariis generalibus, ne prætextu deputationis ad hoc munus, dilatent phylacterias suas, sibi ipsis assumentes illam facultatem, quam non habent. His positis. Quoad primum de his, quæ facere valeat cum solo mandato generali est videndum.

Primò: Attento mandato generali, potest Vicarius ipse generalis instituere
1 præsentatos ad Juspatronatus, ita *Pellegrin. in praxi Vicar. part. 1. sect. 2. subsect. 2. num. 4. Vivian. de Jurepatron. part. 2. lib. 2. cap. 2. num. 3. Sbrozius de Vicario Episc. lib. 2. qu. 111. Rota penes Post. de Manutent. decis. 24. num. 17.*

Secundò: Potest dispensare in omnibus irregularitatibus occultis, excepta
2 ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, necnon exceptis aliis deductis ad forum contentiosum; ac pariter absol-
3 vere potest ab omnibus casibus occultis reservatis Sanctæ Sedi, *Pellegrin. sup. n. 5. Leo in Thesauro for. Eccles. part. 1. cap. 10. num. 8.* Sicuti etiam dispensare
4 potest in irregularitate occulta proveniente ex homicidio casuali, *Pellegrin. sup. num. 65.* Ac etiam cum ordinato ante legitimam ætatem, licèt scienter, & malitiosè ordines susceperit, ex quo factus fuerat irregularis, *Pellegrin. suprà num. 7.*

Tertiò: Concedere valet monitoria
6 ad finem revelationis habendæ pro deperditis, seù subtractis rebus, ut docet *Barbosa de Episcopis alleg. 96. num. 7. Pellegrin. sup. num. 9. Fagn. in cap. quoniam num. 40. de offic. & potest. Judic. delegati*, ubi variè exornat articulum istum, & concludit, posse cum responso Papæ ita decidentis.

Quartò: Absolvere potest excommu-
7 nicatum ob percussionem levem factam Clerico, sicuti permissum videtur Episcopo hoc facere, ita *Fagn. in cap. pervenit num. 16. de Sent. excomm.* ubi DD. & nos latè *de Censuris.*

Quintò: Potest audire confessiones sacramentales fidelium, absque eo quod
8 ei fuerit concessa facultas ab ipso Episcopo, dummodò ipse fuerit charactere Sacerdotali insignitus, *Barbosa d. alleg. 54. num. 92. Pellegrin. sup. num. 17.*

Sextò: Potest auxilium petere à Ju-
9 dice laico in omnibus casibus, in quibus potest Episcopus, ad *Text. in can. princeps, can. administratores 35. quæst. 5. Sbrozius de Vicario Episc. lib. 2. qu. 190. num. 3. Menoch. de Arbitr. Judic. casu 452.* Imò potest compellere per cen-
10 suras ipsum Judicem laicum, quatenus renuerit præstare illi auxilium, ut ex *d. can. administratores, Pellegrinus suprà num. 23.*

Septimò: Procedere valet ad sententiam, ut reus tormentis submittatur in
11 omnibus illis casibus, ubi justitia ita suadeat, & in quibus locum habet tortura, *Sbrozius suprà lib. 2. quæst. 153. num. 5. Pellegrin. suprà num. 25. & seq.*

Octavò: mandare potest, ut procedatur ad capturam laici, ubicumque il-
12 le fuerit reus criminis Ecclesiastici, vel mixti fori, *Marta de Jurisdict. part. 2. cap. 29. Sbrozius sup. lib. 2. quæst. 152. num. 1. Felin. in cap. cum sit generale num. 20. de foro competent. Pellegrin. suprà num. 24.*

Quoad secundum, sequitur, ut videamus, quæ facere nequeat Vicarius generalis Episcopi sine speciali facultate, & commissione illius, ubi per casus quadragintaquatuor.

Primò: Non potest beneficia conferre, nisi ei specialiter sit concessa facul-
13 tas conferendi illa, ad *Text. in cap. ultimo de offic. Vicarii in 6. Gonzalez ad Regulam octavam Cancell. §. 4. proœm. num. 34. Riccius decis. 140. Sbrozius de offic. Vicarii lib. 1. quæst. 7. num. 11. & lib. 2. quæst. 71. Barbosa de Episcopis alleg. 54. num. 60. Pax Jordanus lucubr. Canonic. lib. 12. tit. 1. num. 156. Pellegrin.*

*grin. in praxi Vicar. part.*1. *sect.*2. *subsect.*2. *num.*13. Data verò eidem hujusmodi facultate, conferre potest etiam
14 beneficia curata, ut docet *Geminianus in cap.ultimo de offic. Vicarii in 6. Felin. in cap. causam num.*14. *de Rescript. Fagnan. in cap. mandato num.*36. *de Simonia*. Ratio est quia beneficiorum nomine in materia favorabili etiam beneficia curata continentur, ad *Text. in cap. penultimo de V.S. Fagnan. suprà num.*37.
15 Imò potest habità facultate prædictâ, conferre illa, licèt sit extra Diœcesim, *Fagnan. in cap. quod nobis num.* 38. *de clandestina desponsat.*, & ad *Text. in cap. præsentata num.*12. *de testibus*.

Secundò: Sine speciali mandato re-
16 signationem beneficiorum admittere, & approbare non valet, ad *Text. in cap. quæsitum de rerum permutatione, Riccius resol.* 471. *Sbrozius de Vicario Episcopi lib.*2. *quæst.*130. *Barbosa de Episcopis alleg.*54.*num.*66. *& sequent. Paris. de Resignat. benefic. tit.*17. *quæst. finali num.*1. *Rota penes Post. de Manutent. decis* 199. *num.*7. *Pellegrin. suprà num.*14. *Pax Jordan. sup. num.*161.

Tertiò: Sine speciali mandato præ-
17 sentatum à Patrono ad beneficium de Jurepatronatus instituere non valet, *Roland. cons.*47. *num.*45. *vol.*1. *Barbosa d. alleg.*54. *num.*10., ubi refert contrarium sentientes, inter cæteros *Vivianum de Jurepatronatus part.* 2. *lib.*3. *cap.*2. *num.*3. *Rot. penes Post. de Manutent. decis.* 217. *num.* 10. *Pax suprà num.* 142. cui secundæ opinioni adhæreo.

Quartò: Absque speciali mandato
18 non valet supprimere Ecclesiasticum beneficium, *Sbrozius de Vicario Episcopi lib.* 2. *quæst.*117. *num.*5. *Riccius collect.*143. *Moneta de commut. ultim. voluntatum cap.*12. *num.*129. *Barbosa d. alleg.*54. *num.*71. *Pellegrin. suprà n.*16. *Fagnanus in cap. non amplius de Institut. num.*74.

Quintò: Absque speciali mandato non potest erigere novum beneficium
19 Jurispatronatus, nec fundationi illius consensum præstare, suum interponendo decretum, *Riccius decis.*140. *Barbosa suprà n.*71. *Pellegrin. suprà n.*17.
20 Quod idem procedit in erectione novæ dignitatis in Capitulo, *Fagn. suprà num.*79.

Sextò: Absque speciali mandato non potest beneficia unire, sicuti etiam nec
21 rescindere unionem jam factam, *Sbrozius lib.*2. *qu.*115. *Barbosa suprà n.*72. *Pellegrin. suprà n.*15. *Lotter. de re benefic. lib.*1. *quæst.*28. *à num.*118. *& sequentibus*.

Septimò: Absque speciali mandato, Vicarios, seu Coadjutores amovibiles
22 dare nequit Rectoribus Ecclesiarum, curam animarum habentium, juxtà dispositionem *Trident. sess.* 21. *cap.* 6. *de Reform.*, *Sbrozius d. lib.*2. *quæst.*12. *num.*2. *Barbosa dicta alleg.*54. *num.*73. ubi DD.

Octavò: Absque speciali mandato non potest Juspatronatus ex causa dota-
23 tionis, fundationis, vel constructionis alicui reservare, *Vivianus de Jurepatronatus part.*1. *lib.*1. *cap.*1. *num.*24. *in prima editione*, aliàs *lib.*2. *cap.*1. *n.*10. *Sbrozius lib.*2. *quæst.*31. *Gratian. discept. forens. cap.*303. *num.*12. *Barbosa suprà num.*74. *Pellegrinus suprà num.*19.

Nonò: Absque speciali mandato non
24 potest decretum interponere donationi Jurispatronatus, *Sbroz. lib.*2. *qu.*197. *Riccius resol.*469. *Pellegrin. sup. n.*20. *Rota in una Compostellana Parochialis* 25. *Junii* 1696. §. *Frustra, cor. Priolo*.

Decimò: Absque speciali mandato
25 non potest erigere novas Parochias, *Sbrozius de Vicario Episc. lib.*2. *qu.*17. *num.*2. *Barbosa d. alleg.* 54. *num.*56. *Rot. cor. Ubaldo decis.*12. *part.*3. *in una Segobien. Capellaniæ* 28. *Aprilis* 1625. *Pax suprà num.* 17. *Pellegrin. suprà num.*22. ubi DD.

Undecimò: Absque speciali mandato non valet imponere pensionem super
26 beneficiis, in his casibus, in quibus permissum videtur Episcopo, ut valeat imponere illas, *Sbrozius lib.* 2. *quæst.* 1. *num.* 4. *Barbosa suprà num.* 77. *Pax suprà num.*169. & nos latiùs *lib.*13. *ubi de Pensionibus*.

Duodecimò: Absque speciali manda-
27 to non potest deputare Œconomum Ecclesiæ, *Sbrozius lib.*2. *quæst.*53. *num.*2. *Barbosa suprà num.*78. *Pellegrinus suprà num.*24.

Decimotertiò: Absque speciali mandato

dato non poteſt Clericum abſentem
28 amovere, aut privare ſuis beneficiis,
aut officiis, ſeu ab ordine deponere,
ad *Text. in cap. licèt de Offic. Vicarii
in 6. Sbrozius lib.2. quæſt.111. num.7.
& quæſt. 130. num. 4. Barboſa ſuprà
num.79. Pellegrin. ſuprà num.25. Card.
de Luca de benefic. diſc.77. num.*14.

Decimoquartò: Abſque ſpeciali mandato non poteſt auctoritatem interpo-
29 nere creationi dignitatis à Capitulo factæ, aut ipſe novum beneficium in Eccleſia creare, *Sbroz. ſuprà lib.2. qu.31.
num.4. & 5. Barboſa ſuprà num. 80.
Fagn. in cap. non ampliùs de Inſtitut.
num.*80.

Decimoquintò: Abſque ſpeciali mandato non poteſt Eccleſiam vetuſtate
30 collapſam, & quæ nequit ampliùs reparari ob ejus, vel Parochianorum inopiam, & ſimilia, ad Eccleſiam Matricem, vel viciniorem transferre, *Sbrozius lib. 2. quæſt.117. num.3. Barboſa
ſuprà num.81. Leo in Theſauro fori Eccleſ. part.1. cap.16. num.16.*

Decimoſextò: Abſque ſpeciali mandato (poſito quod ipſe Vicarius ſit Epi-
31 ſcopus) non poteſt exercere ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, puta ordines conferre, Eccleſias benedicere, & ſimilia facere, *Sbrozius d. lib. 2. quæſt. 6.
num.10. Leo ſuprà part.1. cap.10.n.12.
Pellegrin. ſuprà num.1. Barboſa ſuprà
num.*83.

Decimoſeptimò: Abſque ſpeciali mandato non poteſt communicare extra-
32 neo Epiſcopo facultatem exercendi ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, *Sbrozius
d. lib.2. quæſt.10. num.12. Barboſa d.
alleg.54.num.*84. ubi Doctores.

Decimooctavò: Abſque ſpeciali mandato non poteſt cognoſcere de cauſis
33 crimen hæreſis continentibus, *Sbrozius
lib.2.quæſt.161.num.4. Decianus tract.
crim. lib.5. cap.21. num. 7. tom.1. Pax
Jordan. ſuprà num.194. Pellegrin. ſuprà num.30. Barboſa ſuprà num.85.*

Decimononò: Abſque ſpeciali mandato non poteſt publicas pœnitentias
34 imponere, aut publicè pœnitentes reconciliare, *Sbrozius ſuprà lib.2. qu.17.
num.2. & quæſt.18. num.2. Genuenſis
in praxi cap.43. Pellegrin. ſuprà nu.31.
Barboſa ſuprà num.*87.

Vigeſimò: Abſque ſpeciali mandato non poteſt explorare voluntatem puel-
35 læ, volentis ſuſcipere habitum regularem, aut volentis emittere votum profeſſionis, & cętera hujuſmodi juxtà diſpoſitionem *Trid. ſeſſ.25.cap.17.de Regular. Sbrozius lib. 2. quæſt.*108. *Pax
Jordan. ſuprà num.195. Pellegrin. ſuprà num.32. Barboſa d. alleg.54. n.*88.

Vigeſimoprimò: Abſque ſpeciali mandato non valet ſuum aſſenſum præſta-
36 re pro ædificatione novi Monaſterii, *Sbrozius dict. lib. 2. quæſt.199. num.1.
Pax Jordanus ſuprà num. 198. Pellegrin. ſuprà num.33. Barboſa ſuprà n.89.
Fagn. in cap. non amplius de Inſtitutionibus num.72. & ſequentibus.*

Vigeſimoſecundò: Non poteſt abſque ſpeciali mandato præſentare ad benefi-
37 cium Juriſpatronatus, præſentatio cujus pertinet ad Epiſcopum, ita *Sbrozius d. lib. 2. quæſt.110. num.2. Garz.
de benefic. part.5. cap. 8. num. 82. Pax
Jordan. ſuprà num.180. Pellegrin. ſuprà
num.*21.

Vigeſimotertiò: Abſque ſpeciali mandato non poteſt licentiam Confeſſionis
38 audiendæ concedere *Jo: Andr. in cap.2.
de pœnitent. in 6. Barboſa ſupra n.91.
Pellegrin. ſuprà num.*35.

Vigeſimoquartò: Abſque ſpeciali
39 mandato non poteſt Diœceſim viſitare, *Sbrozius d.lib.2.quæſt.120.num.2. Barboſa ſuprà num.102. Pax Jordanus ſuprà num.206. Pellegrin. ſuprà num.46.
Text. in cap. inter cętera de offic. Ordin.
cap. ſi Epiſcopus eodem tit. in 6.*

Vigeſimoquintò: Abſque ſpeciali
40 mandato non poteſt convocare, & congregare Synodum Diœceſanam, *Sbrozius d. lib.2. quæſt.46.num.1. Bottbæus
de Synodo Diœceſana part.2.num.2. Barboſa ſuprà num.103. Pax Jordanus ſuprà num.207. Pellegrin. ſuprà num.* 47.
ubi Doctores.

Vigeſimoſextò: Abſque ſpeciali mandato non poteſt pias Defunctorum voluntates exequi, *Sbroz. d. lib.2. qu.49.
num.2. Pellegrin. ſuprà num.54.* Poteſt
41 verò compellere executores teſtamentarios etiam laicos, ad exequendas pias defunctorum voluntates, *Sbrozius d.
lib.2. quæſt.50.* ac eiſdem prorogare tempus pro executione facienda, *Sbrozius*

zius dict. lib. 2. quæst. 51. Pax Jordan. suprà num. 208.

Vigesimoseptimò: Absque speciali mandato non potest se intromittere in
42 causa alienationis bonorum Ecclesiæ, suum interponendo decretum, *Redoan. de rebus Eccles. non alien. tit. de auctorit. Prælati n. 60. Pax suprà num. 209. Barbosa suprà num. 104. Pellegrin. suprà num. 55.*

Vigesimooctavò: Absque speciali mandato non potest beneficium absolu-
43 tionis impertiri innodatis vinculo irregularitatis, vel suspensionis, provenientis ex delicto occulto, sicuti potest Episcopus, *Barbosa suprà num. 107. Pax Jordan. suprà num. 310. Pellegrin. suprà num. 41.*

Vigesimononò: Non potest cognoscere de causis restitutionis in integrum
44 adversus nullitatem professionis, *Sbrozius lib. 2. quæst. 35. num. 4. Pax Jordanus suprà n. 211. Barbosa suprà n. 108. Pellegrin. suprà n. 56. Sanchez de Matrim. lib. 2. disp. 40. num. 12. in fine.*

Trigesimò: Absque speciali mandato, non potest auctorizare exemplum,
45 ab originali desumptum, ad hoc ut illud exemplum habeat eamdem vim, ac ipsum originale, *Barbosa suprà nu. 113. Pax suprà num. 119. Pellegrin. suprà num. 63.*

Trigesimoprimò: Absque speciali
46 mandato repræsalias concedere non potest, *Sbrozius lib. 2. quæst. 165. num. 1. Barbosa dict. allegat. 54. num. 114. Pax Jordan. suprà nu. 220. Pellegrin. suprà num. 61.*

Trigesimosecundò: Absque speciali mandato decernere non potest literas
47 monitoriales, ad finem revelationis habendæ, pro rebus deperditis, sive ablatis, *Barbosa suprà num. 115. Pax suprà num. 221.* ac per *Trident. sess. 25. cap. 3. de Reform.* licèt nos contrarium suprà ostendimus *num. 6.*

Trigesimotertiò: Absque speciali mandato non potest absolvere pœniten-
48 tes in casibus reservatis Episcopo, minusque alteri hujusmodi potestatem communicare, ad *Text. in cap. penult. de pœnitent. & remiss. in 6. Sbrozius de offic. Vicarii lib. 2. quæst. 19. Barbosa d. alleg. 54. num. 116.*

Trigesimoquartò: Absque speciali mandato non potest expedire causas cri-
49 minales, imò absque mandato speciali non valet inquirere, corrigere, & punire subditorum excessus, illosque privare eorum beneficiis, quatenus Rei magni criminis fuerint, & de Jure intret beneficiorum privatio, ad *Text. in cap. 2. de offic. Vicarii in 6. Clarus qu. 40. num. 3. Barbosa suprà nu. 117. Pax suprà num. 222.*

Trigesimoquintò: Absque speciali mandato non potest absolvere inquisi-
50 tum, scilicèt reum criminis, condemnatum uti talem, *Sbrozius dicto lib. 2. quæst. 166. Barbosa suprà num. 118. Pellegrin. suprà num. 67.*

Trigesimosextò: Absque speciali mandato non potest devenire ad confiscatio-
51 nem bonorum Clerici, ob crimen ab eo patratum, *Sbrozius suprà dicto lib. 2. quæst. 158. num. 3. Barbosa suprà n. 119. Franciscus Marcus decis. 613. num. 1. part. 2. Pax suprà num. 227.*

Trigesimoseptimò: Absque speciali
52 mandato non potest commutare pœnas corporales in pecuniarias, *Barbosa suprà num. 120. Pax suprà num. 228. Pellegrin. suprà num. 67.*

Trigesimooctavò: Absque speciali mandato non potest beneficium dispen-
53 sationis impendere in his casibus, in quibus dispensare valet Episcopus, *Gutterez Canonic. quæst. lib. 1. cap. 19. n. 15. Sbrozius suprà quæst. 35. Barbosa suprà num. 12. Pax suprà num. 216.*

Trigesimononò: Absque speciali man-
54 dato non potest procedere ad actum visitationis Diœcesis, *Barbosa sup. n. 102. Pellegrin. suprà num. 8.*, ut etiam suprà dictum fuit *num. 39.* Neque extra Sy-
55 nodum cognoscere causas Synodales, *Barbosa suprà num. 112.*

Quadragesimò: Absque speciali man-
56 dato non potest ipse Vicarius relaxare interdictum Ecclesiasticum, *Sbrozius suprà lib. 2. quæst. 185. num. 2. Barbosa suprà num. 96. Pax suprà num. 201. Pellegrin. suprà num. 39.*

Quadragesimoprimò: Absque speciali mandato non potest sibi in sui absen-
57 tia alterum constituere Vicarium, vel Pro-Vicarium, ad *Text. in cap. Clericos de offic. Vicarii cap. 1. eodem tit. in 6.* Bar-

Barbosa suprà n.99. Pax suprà n.202.
58 *Pellegrin. suprà num.45.* Licèt alii cum *Pax Iord. sup. n.204.* putent, hoc facere posse ad breve tempus.

Quadragesimosecundò: Absque speciali mandato non potest literas dimis-
59 soriales ad ordines concedere, etiam Episcopo in remotis partibus existente, ad *Text. in cap. cum nullus de tempor. Ordin. in 6. Fagnan. in cap. significasti num.6. de offic. Archidiacon.*

Quadragesimotertiò: Absque speciali mandato non potest exigere charita-
60 tivum subsidium à Clero suæ Diœcesis, *Barbosa suprà n.122. Pax suprà n.229. Pellegrin. suprà num.48.*

Quadragesimoquartò: Absque speciali mandato non potest facere colla-
61 tionem voluntariam beneficiorum; licèt secùs sit, quoad necessariam collationem illorum, nisi hoc expressè videatur sibi reservasse Episcopus, *Fagnan. in cap. frequentibus num.4. & 5. de Institut.*

Vicarius generalis an valeat procedere absque speciali mandato Episcopi,
62 in quibus ipse Episcopus procedere tantùm potest uti delegatus S. Sedis, in sequenti demonstrabimus.

ARGUMENTUM.

Vicarius generalis Episcopi, absque illius speciali commissione, an possit procedere in his casibus, in quibus Episcopus procedit Jure delegato, & tanquam delegatus S.Sedis, ubi per quæstiones quatuordecim. An valeat recusari ut suspectus? Quatenus illius jurisdictio expiret. Demum nonnullæ resolutiones S.C. utiles scitu.

SUMMARIUM.

1 *Delegatio quandoque fit Episcopo per Concilium Tridentinum, ad excitandam ipsius jurisdictionem.*
2 *Episcopus delegatus quando possit alterum subdelegare.*
3 *Delegatus à Principe potest alium subdelegare, nisi fuerit electa industria personæ*, & num.10.
4 *Vicarius in iis, quæ Episcopo delegantur à Concilio, num possit procedere absque speciali mandato, usque* ad num.17.
Episcopus jure delegato potest cogere Regulares exemptos, ad explicandam Sacram Scripturam in eorum Ecclesiis sub num.4.
6 *Dictio*: quo casu: *est limitativa.*
Episcopus jure suo Ordinario potest facultatem impertiri Regularibus exemptis concionandi; & contra eosdem procedere, quatenus hæresim prædicarent sub num.5.
7 *Deputatio Vicarii in Parochialibus spectat ad Episcopum jure Ordinario, & in Ecclesiis exemptis, jure delegato.*
8 *Regulares exemptos extra claustra degentes Episcopus punire potest jure delegato.*
9 *Episcopus tanquam delegatus Sedis Apostolicæ potest cognoscere de subreptione vel obreptione Gratiæ, ab ipsa S. Sede obtentæ.*
11 *Episcopus dicitur procedere uti delegatus in his, quæ ante Concilium sibi non competebant.*
12 *Potest Episcopus procedere contra Capitulum exemptum jure delegato.*
13 *Loca exempta potest Episcopus visitare jure delegato.*
Episcopus, quatenus fuerit legitimè impeditus, potest Diœcesim per alios à se deputatos visitare, sub num.13.
14 *Vicarius an exequi possit ea, quæ per* Concilium Tridentinum sess.22. in decreto de observan. & evitand. in celebratione Missæ, *injunguntur Episcopo.*
15 *Cognitio de subreptione, vel obreptione Apostolicarum dispensationum competit Episcopo auctoritate sibi à Concilio Tridentino delegata.*
16 *Confraternitates, Hospitalia, aliaque similia loca pia non exempta visitare potest Episcopus jure Ordinario, exempta verò, jure delegato.*
Clausuram Monialium quo jure Episcopus visitare valeat, sub num.16.
17 *Uniones factæ Ecclesiis de jurepatronatus num subrepritiæ fuerint, Episcopus potest cognoscere.*
18 *Episcopus potest infligere pœnas in Clericos*

ricos concubinarios, quamvis exemptos, jure delegato.

19 *Mandatum, quod habet Vicarius generalis ab Episcopo, extenditur ad casus speciales propter clausulam generalem in literis patentalibus appositam.*

21 *A Sententia Vicarii generalis unum Tribunal constituentis cum Episcopo, non appellatur ad ipsum Episcopum*, & num.27.

22 *Suspicio, quæ potest allegari adversus Episcopum circa causæ cognitionem, militat contra ejusdem Vicarium.*

23 *Vicarii munus expirat per ipsius remotionem, vel morte sive naturali, sive Civili Episcopi, puta si Ecclesiasticis censuris innodetur &c.* num.27. & 28.

24 *Eodem vinculi genere res dissolvitur, quo ligabatur.*

25 *Episcopus circa remotionem sui Vicarii debet circumspectè procedere, ne contingat, eundem injustè amotum, reintegrari cum dedecore Episcopi*, ut num.26.

27 *Jurisdictio Episcopi, quousque Ecclesiasticis censuris detentus fuerit, suspenditur.*

30 *Vicarius Episcopi, expirato officio, non subjacet Sindicatui.*

31 *Recensentur nonnulla decreta Sac.Congregationis Immunitatis circa munus Vicariorum super eadem materia Immunitatis*, usque ad num.40.

DISCEPTATIO VI.

SEquitur, an Vicarius generalis Episcopi, sine speciali commissione, possit procedere in his casibus, in quibus Episcopus procedit jure delegato, videlicet tamquam delegatus S. Sedis Apostolicæ, & an Episcopus possit eidem facultatem hujusmodi specialiter, subdelegare. Pro solutione hujus præsentis quæstionis, observandum est, Episcopo à Tridentino multifariam tribui personalem jurisdictionem. Quandoque illi tribuitur jurisdictio in his casibus, in quibus jam facultatem habebat jure Ordinario, etiam ante Concilium: & in his casibus quamvis constituatur *etiam Sedis Apostolicæ delegatus*, potest tamen ut Ordinarius cognoscere; cum videa-
1 tur potiùs excitata jurisdictio priùs competens, quàm nova concessa, *cap.licèt in corrigendis de offic. Ordin.* Etenim illa dictio *etiam*, est dictio implicativa, per quam unus casus exprimitur, alius includitur, *Fagn. in cap. quoniam de offic. deleg. num.6. & 7.*, undè jure Ordinario potest exercere actus illos Vicarius Episcopi, ex quo vices illius gerit, ut suprà demonstravimus.

Quandoque Episcopus constituitur delegatus in casibus, in quibus jure ordinario ante Concilium non habebat facultatem; & in his potest quidem facultatem sibi attributam specialiter concedere Vicario suo, quia delegatus à Prin-
2 cipe, alteri subdelegare valet. Quoties verò Episcopus jubetur aliqua explicare per dictionem taxativam *tantùm*, vel *solus*, aut cum alia adjectione, quæ spe-
3 cialem Episcopi personam designando, ceteros excludit, & hoc casu Vicarius Episcopi censetur exclusus; ea ratione quia cum censeatur electa industria personæ, non potest Episcopus negotium alteri demandare, *Fagnan. suprà n.18.*

Ex præmissis oriuntur quæstiones sequentes. Prima: An Vicarius Episcopi possit compellere Regulares negligentes, explicare lectionem sacræ Scripturæ in eorum Ecclesiis, sicuti potest
4 Episcopus, uti delegatus S. Sedis Apostolicæ, ad normam *Tridentin. sess. 5. cap.1.*, & videtur respondendum, non posse, nisi desuper hoc ei specialem facultatem fuerit impertitus Episcopus, ea regula de qua suprà, quia Episcopus ante Tridentinum, jure ordinario hanc facultatem non habebat, nisi quoad subditos, ad *Text. in cap.2. de Magistris*, & propterea *Tridentin. in d.cap.1.* non posuit dictionem implicativam *etiam*, sed simpliciter dixit = in hoc ut Sedis Apostolicæ legatus = *Fagn. suprà n.19.*

Secunda: An possit Vicarius concedere licentiam Regularibus prædicare volentibus, & contra prædicantes hæreses procedere, etiamsi exemptione muniantur, sicut potest Episcopus, *ut ex cap.2. sess.5.* Et videtur posse, quia hæc facultas competebat Episcopo, jure ordinario, ante *Concil. Tridentin. cap. excommunicamus §.Qui verò de hæreti.*

reticis. Sed contra prædicantem, qui exemptus est à Jurisdictione Episcopi,
5 non videtur posse procedere, nisi specialiter commissa fuerit hujusmodi facultas; ea ratione, quia contra exemptos jure Ordinario Episcopus procedere non potest, ad *Text. in cap. sicut nobis de supplenda neglig. Prælat. vers. nisi à jurisdictione*. Quod clarè indicant verba illa Concilii suprà = *etiamsi prædicator ipse generali, vel speciali privilegio exemptum se esse prætenderet, quo casu, Episcopus auctoritate Apostolica, & tamquam Sedis Apostolicæ delegatus*
6 *procedat*; ponderando dictionem illam restrictivam *quo casu*, quæ ostendit, solum Episcopo utendum esse auctoritate delegata, cùm procedit contra exemptos, juxtà adnotata per *Ancharanum cons. 356. Cravett. cons. 98. num. 5. & 6. Fagn. suprà num. 20.*

Tertia: An facultas deputandi idoneos Vicarios in parochialibus, Episcopo competens, ex *Trident. sess. 6. cap. 2.* transeat ad Vicarium suum generalem.
7 Et videtur distinguendum: nam aut agitur de non exemptis, & videtur transire; etenim jure Ordinario Vicariorum deputatio spectabat ad Episcopum, ante Concilium, ad *Text. in cap. cum ex eo, §. Porro de elect. in 6.* Aut agitur de privilegiatis, & exemptis; & non videtur transire sine speciali delegatione, quia eo casu Concilium jubet, Episcopum procedere Apostolica auctoritate, ut patet ibi = *tamquam in hac parte à Sede Apostolica delegatorum*, *Fagn. suprà num. 21.*

Quarta: An facultas quam habet Episcopus, ex *cap. 3. sess. 6. Tridentini*, uti delegatus Sedis Apostolicæ, puniendi Regulares privilegiatos extra claustra degentes, illa transferatur in Vicarium
8 generalem. Et non videtur transferri, nisi per specialem delegationem; cum jure Ordinario careat Episcopus hac potestate, quoad exemptos, ad *Text. in cap. quanto, cap. licèt de offic. Ordin. Fagn. suprà num. 22.*

Quinta: An Vicarius possit cognoscere de obreptione, vel subreptione gratiæ, à Sede Apostolica obtentæ, si-
9 cut potest Episcopus, juxtà disposita per *Tridentin. sess. 13. cap. 5.* Et negativè respondendum videtur; etenim cùm facultas prædicta ante Tridentinum Episcopis non competeret, sed illis fuerit impertita verbis personalibus, videlicet: *per se ipsum*; inde fit, ut neque possint Episcopi per specialem commis-
10 sionem facultatem prædictam eorum Vicariis communicare; nam videtur electa industria personæ; proindè causam non effici delegabilem, *Fagnan. suprà num. 23.*

Sexta: An auctoritas concessa Episcopis à *Tridentin. sess. 14. cap. 4.*, videlicèt cognoscendi de excessibus privilegiatorum, illa censeatur transfusa in eorum Vicarios respectivè. Et non videtur transfundi per generalem com-
11 missionem; potest verò transfundi in illos per commissionem specialem; videntur enim Episcopi constitui delegati Papæ in his, quæ non poterant ante Concilium explicare, ad *Text. in cap. irrefragabili de offic. Ordin. Fagnan. suprà num. 24.*

Septima: An Vicarius generalis Episcopi possit se intromittere in causis, quæ Episcopo etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegato committuntur, juxtà *Trident. sess. 21. cap. 3. & sess. 22. pariter cap. 3.* Et videtur distinguen-
12 dum; nam aut agitur de Capitulis exemptis, & non potest; ratio est, quia hæc facultas antea Episcopis non competebat; unde tantùm jure delegato permissa videtur; & ideò, ad hoc ut Vicarius procedere valeat, opus est, ut concurrat specialis delegatio Episcopi: aut agitur de Capitulis non exemptis; & Vicarius procedere potest, quia Episcopus hanc potestatem habebat jure Ordinario sibi collatam, ita *Fagnan. suprà num. 25.*

Octava: An Episcopus per suum Vicarium generalem possit visitare Abbatias, & alia beneficia exempta, ut ex *Tridentin. cap. 8. sess. 21.* Et dicimus,
13 Vicarium non posse visitare illa, nisi super hoc habeat speciale mandatum Episcopi. Unde si Episcopus velit visitare loca exempta, juxtà *Tridentin. sess. 6. cap. 4.* opus est, hoc per se ipsum personaliter agere; secùs si ex aliis Concilii decretis, cum id per suum Vicarium generalem, aut visitatorem agere pos-

possit, si modò Episcopus legitimè impeditus fuerit, ut permissum est *sess. 24. cap. 3. de Reform.* etiamsi de visitandis exemptis ageretur, juxtà *cap. 8. sess. 22. Fagnan. suprà num. 27.*

Nona: An exequi possit Vicarius,
14 quæ Episcopo injunguntur in decreto, de observandis, & evitandis in celebratione missæ *sess. 22. Trid.* & dicimus quoad exemptos procedere posse Vicarium, concurrente speciali commissione Episcopi; quo ad non exemptos, jure ordinario, *Fagn. sup. n. 28.*

Decima: An Vicarius Episcopi cognoscere possit de obreptione Apostolicarum dispensationum, quemadmodum potest Episcopus ad normam *Trid. sess.*
15 *22. cap. 5. de Reform.*, & videtur non posse sine speciali delegatione; quia Episcopus hanc cognoscendi facultatem jure ordinario non habet *Fagnan. supr. num. 29.*

Undecima: An possit Vicarius Episcopi visitare Confraternitates, ac Hospitalia, vel cœtera loca pia, sicuti potest Episcopus juxta disposita per *Trid.*
16 *sess. 22. cap. 8. de reform.*, & videtur posse jure ordinario, ubi non fuerint exempta; cum facultate speciali ab ipso Episcopo impertita, ubi fuerint exempta, *Fagn. sup. n. 30.*

Duodecima: An Vicarius Episcopi visitare possit clausuram Monasterii monialium, sicuti Episcopus. Et dicimus, illam visitare posse jure ordinario, ubi non fuerint exempta; jure vero extraordinario, cum speciali commissione Episcopi, ubi fuerint exempta, sicuti visitare potest Episcopus juxta dispositionem *Text. in cap. periculoso de statu Regul. in 6., & ita ex Trid. sess. 25. cap. 5. de regul. Fagn. sup. n. 36.*

Decimatertia: An Vicarius Episcopi possit cognoscere de subreptione unionum ad Ecclesias jurispatronatus, quem-
17 admodum potest Episcopus juxta *Trid. sess. 25. cap. 9. de reform. vers. quæ verò*, & dicimus, non posse, nisi ad hoc ei specialiter sit commissa facultas *Fagn. sup. n. 37.*

Decimaquarta: An Vicarius Episcopi procedere possit ad pœnas contra concubinarios, uti potest Episcopus juxta *Trid. sess. 25. cap. 14. de reform.*,
18 & dicimus, posse quoad Clericos non exemptos, quoad exemptos, quatenus adsit specialis commissio Episcopi *Fagnan. sup. n. 38.*

In ipsa commissione, mandato, seu patente, non est opus quod Episcopus
19 nominatim exprimat prædictos casus, & similes, sed sufficit ut aliquos tantùm exprimat, additâ clausula generali, *& ad omnes alios casus exigentes speciale mandatum &c.*, ac si fuissent in man-
20 dato specialiter nominati, *ad Text. in cap. qui ad agendum, §. Sed si aliquis de Procurat. in 6. Covar. var. resol. lib. 1. cap. 6. num. 2., & lib. 2. cap. 5. num. 8. Sbrozius de offic. Vicarii lib. 1. qu. 65. num. 5., & quæst. 67. num. 3. Barbos. de Episcopis alleg. 54. n. 124.*

Prosequendo materiam ipsam de Vicario Episcopi, reliquũ est, ut videamus, an detur appellatio à sententia diffinitiva Vicarii ad ipsum Episcopum. Et negativè respondendum videtur: etenim illa non datur, nisi de uno judice ad alium: Episcopus autem, & Vicarius Generalis illius, cum censeantur una, & eadem persona in eo, quod spectat ad materiam jurisdictionalem diœcesis,
21 unum & idem constituunt tribunal; meritò à sententia Vicarii Generalis nón potest dari appellatio ad ipsum Episcopum: ita ex *Text. in cap. 2. de consuetud. in 6. Sbrozius de offic. Vicarii lib. 1. qu. 22. num. 1. Barbosa alleg. 54. num. 46. Maranta de ordine Judic. part. 6. art. 2. num. 280. Pellegrinus in praxi Vicar. part. 1. sect. 2. subsect. 4. num. 1. & seq.*

Quoad secundum, non est abs re videre, an Vicarius Episcopi possit recusari uti suspectus in causis, ubi pro suspecto recusari potest Episcopus, adeout in illis causis, in quibus uti suspectus non valet judicare Episcopus, neque valeat judicare suus Vicarius Generalis: &
22 pro affirmativa sententia facit *S. Rota in recent. part. 15. dec. 122. n. 29., & Doctores passim.*

Quoad tertium sequitur, ut videamus, quibus causis, quibusque modis, Vicarii officium, ac illius jurisdictio expiret: & primò expirat per revocationem factam ab ipso Episcopo; etenim si mediante Episcopi nominatione Vicarius

23 rius ordinariam jurisdictionem à lege consequitur; ita etiam contraria ejus voluntate tollitur, & revocatur: res
24 enim per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur, *cap. omnis res de regulis juris in 6. Sbrozius de offic. Vicarii lib.3. qu.6. num.7., & qu.14. n.5. Barbos. de Episc. alleg.54. n.14.*

Amotio verò ipsa debet fieri ab Epi-
25 scopo magnâ circumspectione adhibitâ, ne sine gravi causa illum amovendo, exponat se periculo, ut reintegretur à Sacra Congregatione, quemadmodum habetur *ex Sacra Congregatione Episco-*
26 *porum, & Regul. in una Spoletana* 3. *Julii* 1601. & in altera *Trojana* 7. *Septembris, & 5. Octobris* 1649. *Pellegrin. in praxi Vicariorum part.1.sect.2. subsect.6. n.4.*

Secundò, expirat Jurisdictio, & potestas Vicarii, ubicumque Episcopus fuerit majori excomunicatione innodatus, nam sicuti per hujusmodi causam suspenditur jurisdictio Episcopi, *cap.ad*
27 *probanda de re judicata*, ita similiter ejus Vicarii jurisdictio suspenditur, cum accessoria sit, & idem auditorium utriusque reputetur, ut docet *Barbosa alleg.* 54. *n.*146.

Tertio, expirat morte naturali Epi-
28 scopi *Barbosa supr. num.*151. *ubi Doctores.*

Quarto, expirat morte civili Episcopi *Barbosa sup. num.*154. *Fagn.in cap. per tuas de Simonia num.*21. *ubi Doctores Sbrozius de offic. Vicarii lib.*3. *qu.*42. qui omnes dicunt cessare Vicarii Generalis potestatem non solum per mortem
29 naturalem Episcopi, sed etiam per mortem civilem illius, ac per illius ingressum in Religionem, Renunciationem, Depositionem, Permutationem, Captivitatem, similemve causam.

Facultate Vicarii Generalis Episcopi jam expirata, an ipse teneatur ad syndicatum præstandum, videre est; & dicimus non teneri, ut ex quadam declara-
30 tione facta à Pontifice Gregorio XIII. *de qua Genuensis in praxi cap.*58. *in novissima Editione, Barbosa alleg.* 54. *num.*183. *Novarius in summa bullarum tit. de syndicatu Vicarii. Pax Jordanus lucub. Canon. vol.*3. *lib.*14. *tit.*31. *num.*14.

Decreta Sacræ Congregationis Immunitatis, in causis Vicariorum Generalium.

Post peractam materiam de dignitate, auctoritate, & Jurisdictione Vicarii Generalis, visum fuit hic breviter annotare nonnullas resolutiones Sacræ Congregationis Immunitatis, ad materiam ipsam Vicariorum pertinentes, ut infra videbis.

Vicarius Generalis non potest absolvere etiam cum reincidentia, occasione
31 infirmitatis, vel similis causæ, innodatos censuris ob violatam immunitatem Ecclesiasticam. *S. C. Immunitatis in una S. Marci* 13. *Decembris* 1633. *Squillacen.* 20. *Novembris* 1640.

Vicario Generali pro tempore suæ absentiæ ex causa defensionis Immunitatis Ecclesiasticæ, debentur emolumen-
32 ta Vicariatus, dempta parte debita substituto, pro rata laboris taxanda ab Episcopo *S. C. Immunitatis in una Majoricen.* 27. *Septembris* 1661. *lib. dec. Ricci.*

Vicarius Generalis, ubi fuerit suspectus in causa Detentorum pro præ-
33 tenso homicidio, Episcopus deputet alium idoneum non suspectum *S. C. Immunitatis in una Aversana* 8. *Octobris* 1654. *lib. dec. Ricci.*

Vicarius Generalis procedere debet auctoritate suâ ordinariâ, servatis ser-
34 vandis, contra violatores Immunitatis, *S. C. Immunitatis in una Aversana* 4. *Septembris* 1658.

Vicarius Generalis, datâ præventione Curiæ Ecclesiasticæ, procedere potest
35 servatis servandis contra Judicem laicum, si in dicta causa procedat ad descriptionem bonorum Confugiati in Ecclesia, *S.C.Immun.in una Derthonen.* 10. *Septembris* 1652. *lib.*4. *dec. Paulutii.*

Vicario Generali injungitur à Sacra Congregatione, ut procedat contra
36 executores Curiæ laicalis, qui tentarunt violenter extrahere Confugiatos in Ecclesia, *Sac. Congr. Immunitatis in una Sutrina* 20. *Augusti* 1695.

Vicario Generali injungitur, ut se abstineat à permissione examinandi te-
37 stes in loco immuni in causis criminalibus, *S.Congr. Immunitatis in una Lauden.*26. *Maii* 1632. *lib.*2. *dec. Paulutii.*

Vi-

Vicarius Generalis bene agit, non parendo literis ad audiendum verbum Regium, *Sac. Congr. Immunitatis in una Cathacen.* 21. *Septembris* 1633.

Et ubi redarguitur Regiis literis, debet respondere eisdem debita reveren-
38 tia se procedere auctoritate sua ordinaria ad defensionem Immunitatis Ecclesiasticæ, sibi à S. Sede demandatam, *S. Congr. Immunitatis in una Bovinen.* 26. *Febr.* 1658.

Vicarius Generalis ob extractionem furum a se ordinatam, e loco immuni,
39 incidisse in censuras declaratus fuit, a quibus absolutus extitit, prævia abolitione actorum. *S. Congr. Immunitatis in una Lauretana* 29. *Maii* 1696.

Vicarius Generalis punitus fuit pœna suspensionis à Divinis, & perceptio-
40 ne fructuum Canonicatus, ex quo dedit Judici laico facultatem extrahendi confugiatos in Ecclesia; necnon condemnatus, pro damnis passis ab ipsis extractis, *per S. Congr. Immunitatis in una Sagonen.* 24. *Febr.* 1690. qui postea fuit absolutus cum in habilitate ad officium Vicariatus, *eadem S. Congr. Immunitatis in d. Sagonen.* 23. *Decembris* 1692.

ARGUMENTUM.

De Vicario Foraneo, ubi de illius facultatibus, authoritate, jurisdictione, & potestate.

SUMMARIUM.

1 *Vicarius foraneus qui, & unde dicatur*, & num. 2. 3. & 4.
5 *Delegatus ad universitatem causarum, Vicarius propriè non dicitur foraneus.*
6 *Vicarius foraneus quinam seligi debeat*, & num. 7.
8 *A decreto Vicarii foranei appellari potest ad Episcopum*, & num. 9.
10 *Vicarius generalis dicitur judex Ordinarius loco Episcopi; foraneus verò ad particulares causas delegatus.*
11 *A delegato ad delegantem provocatur.*
12 *Vicarius foraneus ratione officii nullam consequitur præcedentiam, vel particulare emolumentum suprà Clericos, nisi interveniat tanquam delegatus Episcopi*, & num. 13. & 14.
15 *Recensentur plures casus, ad quos non protenditur jurisdictio Vicarii foranei, qui non sit delegatus ad universitatem causarum*, usque ad num. 23.
24 *Vicarii foranei facultas resultat ex literis patentalibus.*
25 *Num Vicarius foraneus retinere valeat Cancellarium, Fiscalem, Mandatarium, ac Satellites, duplex refertur opinio*, & num. 26.
26 *Vicarius foraneus pro occarrentibus necessitatibus licentiam laborandi diebus festis potest impertiri, vel laborantes absque licentia punire.*
27 *Tertiam partem pœnæ irrogatæ à Vicario foraneo in laborantes die festo, in sui compendium potest is convertere, loco salarii.*

DISCEPTATIO VII.

PRosequentes materiam jam inceptam de officio Vicarii, hic videre est quanta sit Vicarii Foranei potestas, & quinam dicatur talis, primo loco de-
1 monstrabimus. Dicitur Vicarius Foraneus ille, qui ab Episcopo, vel alio ordinariam jurisdictionem habente, in sua diœcesi, locisve illius constituitur, cum facultate foranei Vicarii ad *Text. in cap.* 1. *de offic. ordin. in* 6., *& ibi glossa verbo foraneo*, *Clem.* 2. *de præscript.* V. *foraneo*, *Barbosa de Episcopis alleg.* 54. *num.* 18. *Sbrozius de offic. Vicarii lib.* 1. *qu.* 13. *num.* 1. *Rota rec. part.* 14. *dec.* 115. *n.* 26. *& part.* 19. *dec.* 69. *n.* 37.

Dicitur *Foraneus* quia foris, idest extra locum, in quo sedes Episcopalis
2 est, vices Episcopi tenet, ad differentiam Vicarii Generalis, qui præsidet in Civitate, ubi Episcopalis Cathedra fundata est, *ut notat glossa*, *Archid.*, *Abbas*, *& alii in citato cap.* 1, *de offic. ord.* Vel dicitur foraneus, quia forum tenet, vel de foris evenit. *Silvester in summa V. Vicarius n.* 4.

Dicitur etiam aliquando Vicarius fo-
3 raneus ille, qui constituitur ab Episcopo in Civitate tantùm, ubi ipse Episcopus residet, *Card. in Clem.* 2. *de rescript. num.* 3. *Sbrozius lib.* 1. *quæst.* 23. *nu-*

*num.*4., *& melius d. lib.*1. *quæst.*29. *num.*1.

Aliquando etiam dicitur Vicarius
4 foraneus ille, qui delegatur ad universitatem causarum, ut docet *Bart. in l.*1. *à quis, & à quo &c. Abbas in cap. relatum num.*8. *de offic. delegati Sbrozius d. qu.*23. *n.*7.

Verùm iste tali modo constitutus dici
5 debet potiùs delegatus, quàm Vicarius, *glossa in d. l.*1. *ff. quis, & à quo*.

Ad hoc munus non erunt eligendi, nisi illi qui bonitate vitæ sunt præditi,
6 & meliores de Clero, ac homines scientiâ, & prudentiâ ornati; undè eligi debet loci Archipresbyter, vel saltem Parochus, vel alius dignior de Clero, ut habetur *ex Concilio Provinciali Mediolanen. primo part.*2. *tit. de Vicariis foraneis*: & non ut faciunt aliqui Episcopi, qui Sacerdotes discolos ad hoc officium assumunt, operâ eorumdem
7 utentes potiùs, ut quod bonum est destruant, quàm ut alios ducant ad bonum: quare hoc faciant, Deus scit, sed advertant, sese Deum ultorem habere.

Vicarius foraneus, quocumque ex his tribus modis enumeratis constitutus fuerit, quia non dicitur ordinarius, uti
8 de Vicario Generali diximus; ubicunque gravamen quis receperit ab illo, appellare valet ad Episcopum, qui constituit eum ad munus prædictum, *ad Text. in Clem.*2. *de rescriptis cap. Romana de appellat. in* 6., *Abbas in cap. decernimus num.*12. *de Judiciis*,
9 *Sbrozius de Vicario lib.*1. *qu.*23. *num.*5. *Covarr. var. resol. cap.*20. *num.*4. quia scilicet Vicarius foraneus non facit idem tribunal cum Episcopo, ut ex dictis juribus.

Ratio est clara, quia Vicarius foraneus diversam jurisdictionem habet ab Episcopo, vel istius Vicario Generali,
10 siquidem Episcopus, vel ejus Vicarius Generalis jurisdictionem ordinariam exercet in suos subditos, *ad Text. in cap. cum Episcopus de offic. ordin. in* 6. *cap. cum dilectus, cap. conquerente, eodem tit.*

Ipse verò Vicarius foraneus non ex titulo officii, sed ex sola commissione delegata ab Episcopo, ipsâ jurisdictione fruitur, *ut ex glossa in Clem. fin.* V. *foraneus de rescriptis*, & cum de delegato ad delegantem provocari possit,
11 *ad Text. in cap. dilecto de appellat. Scaccia de appellat. quæst.*7. *num.*63. merito de sententia, vel judicio Vicarii foranei tanquam de delegato, ad Episcopum delegantem, appellatio deferri debet, *juribus, de quibus supra*.

An ipsi Vicario foraneo debeatur aliqua præcedentia supra cœteros de Clero, & populo, ratione officii, quo fungitur, videre est. Et dicimus nullam habere præcedentiam, in Choro, processionibus, similibusque actibus Ecclesiasticis, supra Archipresbyterum, cœ-
12 terosque de Clero, antiquiores sibi, ac pariter digniores; sed debet sedere in loco suæ receptionis, ac si non esset Vicarius foraneus, non obstante quacun-
13 que Episcopi ordinatione in contrarium, præterquam in sessionibus, ubi ipse intervenit uti delegatus Episcopi, in quibus casibus præcedit omnibus: *Sacra Cong. Rituum in una Spoletana* 23. *Martii* 1619. *Tranen.* 7. *Aprilis* 1633.

Quod locum habet quacunque consuetudine in contrarium non obstante, *eadem Sacra Congr. Rituum in una Syracusana* 8. *Junii* 1630.

Ita quoque ratione officii, quo fungitur, in casu divisionis emolumento-
14 rum, erit habendus in consideratione, ac si non esset talis, *ut ex Sacra Congr. Rituum in una Bononien. Castri S. Joannis* 7. *Octobris* 1617. *Alder. in compendio can. resol. lib.*1. *cap.*43. *n.*55.

Vicarius foraneus cum non habeat nisi jurisdictionem delegatam, & auctoritatem, quam ei tribuit Episcopus; ideo non potest facere ea, quæ sunt ordinariæ jurisdictionis, sed tantùm de-
15 legatæ; ac proindè nequit literas monitoriales concedere, ad finem revelationis habendæ pro rebus deperditis, aut subtractis, *ita ex Pignatello consult. canon. tom.*1. *consult.*256. *Sacra Congr. Conc.* 25. *Junii* 1653.

Neque interdicere valet Canonicis
16 Collegiatæ, ne capitulum congregent, sine sua expressa licentia, *Sacra Congr. Conc. de qua Sell. in Selectis Canonicis tit.*46. *num.*57.

Sicu-

Sicuti etiam neque permissum vide-
17 tur Vicario foraneo, ut possit conce-
dere restitutionem in integrum, sicuti
permissum est Vicariis Generalibus:
*Abbas in cap. penultimo num.7. de in
integrum restitut. Oddus de Restitut.
in integrum part.1. qu.33. art.22. num.
159.*

Nisi ubi dictus Vicarius fuerit depu-
18 tatus ad universitatem causarum, uti
delegatus, *Sbrozius de offic. Vicarii
lib.3. quæst.12. num.3.*, Neque valet
licentiam concedere Parocho, ut pos-
sit abesse à residentia; nisi casus repenti-
19 nus accideret, & ad modicum tempus
illam concedere potest, concurrente
præcisa necessitate abessendi, *ita Fa-
gnan. in cap. relatum n.42. de Cler. non
residentibus.*

Potestate tantum delegata, qua fun-
gitur Vicarius foraneus, in loco sibi
commisso, nequit procedere ad extra-
20 ctionem confugitorum in Ecclesiam, vel
locum immunem, ut ex *Sacra Congr.
Immunitatis in una Spoletana 29. Maii
1629. lib.1. dec. Paulutii.*

Quinimò, quoad extractionem, factam
à Vicario foraneo cujusdam Sacerdotis
e loco immuni, Sacra Congregatio in-
21 jungit Episcopo, ut curet Ecclesiam
reintegrari, & quod dictus Vicarius
consulat conscientiæ suæ: *Sacra Congr.
Immunitatis in una Teanen. 19. Febr.
1704. lib.3. dec. Vallem.*

Neque valet licentiam concedere,
ut aliquis extrahatur ab Ecclesia, pro
habenda corporis delicti recognitione;
22 nam aliter incideret in censuras, ut ex
*Sacra Congregatione Immunitatis in
una Urbevetana 31. Augusti 1695. lib.1.
dec. Vallem.*, ubi pro irregularitate
contracta remittitur ad Sacram Con-
gregationem Concilii.

Vicarii foranei jurisdictio tam quoad
causas civiles, quàm quoad causas cri-
minales, est limitata, & de stylo limi-
23 tari videtur. Etenim in civilibus non
possunt procedere in causa excedente scu-
ta sex, in Criminalibus verò causis
aliud facere non possunt, quàm recipere
querelas, & processum informativum
tantùm conficere, illumque confectum
transmittere ad Episcopū, vel ejus Vica-
rium Generalem; sed in utroque casu
attendendæ sunt facultates eidem Vi-
cario concessæ in literis patentalibus,
24 cum ipsæ constituant essentiam facul-
tatum eidem delegatarum: *ad Text.
in l. Julianus ff. ad exhibendum, l. di-
ligenter ff. mandati, Bartol. in l. Vica-
rius ff. de legat.*

An Vicarius foraneus possit retine-
re Cancellarium, Fiscalem, vel man-
datarium, aut satellites, pro nega-
25 tiva docet *Sacra Congreg. Episcop. &
Regular. in una Ferentina 10. Februa-
rii 1662., & 1. Martii 1668., & in
altera Anagnina 9. Novembris 1663.*,
licèt ex Sententia Sac. Congregationis
Immunitatis habeatur, ut possit reti-
nere unum Cancellarium tantùm: *ut
26 in una Spoletana 16. Aprilis 1652.
lib.4. dec. Paulutii.*

Ad Vicarium foraneum spectat da-
re licentiam laborandi die festivo,
ubi necessitas ita expostulat; & con-
27 travenientes, scilicet laborantes die
festivo, sine licentia, mulctare debi-
tis pœnis, ut ex *Gavanta in manua-
28 li Episcop. verbo festi dies*, de quibus
pœnis ei debetur tertia pars, uti sui
salarium.

De Vicario Capitulari Cathedralis Ecclesiæ; & quæ sit illius dignitas, auctoritas, jurisdictio, & potestas, demonstratur. Ibique de illius electione, viduata Ecclesia; jam electus, quæ facere valeat, per casus 38.

ARGUMENTUM.

De Vicario Capitulari, ubi per quos erit eligendus, & quænam sint servanda in illius electione, & de qualitatibus eligendi ad hanc dignitatem, ubi quæ facere valeat, per casus 38. *ostenditur.*

SUMMARIUM.

1 *Morte civili, vel naturali, vel per translationem Episcopi ad aliam Ecclesiam, jurisdictio ordinaria devolvitur ad Capitulum.*

2 *Capitulum verò intra octo dies debet eligere Vicarium Capitularem, aliàs hujusmodi electio devolvitur ad Metropolitam, vel, Ecclesia Metropolitana vacante, ad Suffraganeum antiquiorem*, num.3.

4 *Et in Ecclesia S. Sedi immediatè subjecta devolvitur ad viciniorem Episcopum.*

5 *Respectu verò Cathedralis carentis Capitulo, electio Vicarii Capitularis pertinet ad Metropolitanum, vel Sede Metropolitica vacante, ad istius Capitulum.*

6 *Vicarius Capitularis eligendus est bonis imbutus moribus, ac scientiâ ornatus.*

7 *Laureâ etiam Doctorali debet esse insignitus, & quidem à publica Universitate, aliàs nulla erit electio*, & n.8. *Declara*, ut num.9.

10 *Vicarius Capitularis purè eligi debet, adeout conditiones, reservationesque ipso jure rejiciantur*, & n.11. & 15.

12 *Jurisdictio Capituli Sede Episcopali vacante transfertur in Vicarium Capitularem privativè.*

13 *Vicarius Capitularis debet eligi pro integro tempore Sedis vacantis, non ad certum tempus, & quare; contra opinionem* Pellegrin. in prax. Vicarior. ut num.14.

16 *Vicarius Capitularis unicus eligi debet, præterquam in duabus Cathedralibus unitis, nisi de consuetudine duo eligantur; & tunc alter exercebit in defectum alterius, non autem vicissim*, & num.17. & 18.

19 *Vicarius Capitularis jurisdictionem acquirit ab ipso momento suæ electionis.*

20 *Mandatum ad sui essentiam non exigit scripturam.*

21 Text. in cap. Avaritiæ de Præben. in 6. *explicatur.*

22 *Capitularis Vicarius plenariè subrogatur in omnibus his, quæ concernunt ordinariam jurisdictionem Episcopi*, & num.23.

DISCEPTATIO VIII.

DE Vicario Capitulari nobis erunt hic aliqua adnotanda, & primò circa illius electionem; posteà verò de ejus dignitate, jurisdictione, & potestate quædam nobis sunt dicenda. Circa electionem Vicarii ad hanc dignitatem, nota quod, viduatâ Ecclesia Cathedrali suo proprio pastore, morte illius naturali, vel civili, vel translatione ad aliam Ecclesiam, tunc illius jurisdictio
1 devolvitur ad Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, ut cæteris omissis *Sac. Rota in recent. part.*19. *decis.*251. *num.* 29., & DD. communiter latè *Marchetti de Vicario Capit. part.*1. *tit.*1. *num.*1.

Capitulum Cathedralis debet infra dies octo à die mortis, sive translationis Episcopi &c. devenire ad electionem Vicarii Capitularis, aliàs ejus facultas
2 eligendi devolvitur ad Metropolitanum, ut ex *Tridentin. sess.* 24. *cap.*16. *de Reformat.* ubi *Barbosa*, *Fagnan. in cap. his quæ de Major. & obed. num.*6. *Cardin. de Luca ad Tridentin. disc.*31. *num.*1.

Et quoties Metropolitana Ecclesia fuerit orbata suo Pastore, & Capitulum
3 negligens fuerit in electione Vicarii, tunc

tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis illum eligere valet.

Si verò Ecclesia fuerit exempta, & immediatè subjecta S. Sedi, *uti de Cathedrali Mileten.*, *& similibus*; tunc si
4 illius Capitulum non devenerit ad electionem Vicarii infra dies octo, electio devolvitur ad Episcopum viciniorem, ut in *Trident. d. cap.* 16. ubi *Barbos. Card. de Luca de Praeminentiis disc.* 7. *n.* 25.

Et ubi Cathedralis Ecclesia caret Capitulo, tunc Vicarius non erit eligen-
5 dus à Clero, sed à Metropolitano, vel ab illius Capitulo, quatenùs Ecclesia Metropolitana fuerit viduata suo Pastore *Sacra Congr. Concil. ad dubia proposita* 28. *Augusti* 1683. confirmata 14. *April.* 1685. *Barbos. de Canonicis cap.* 42. *num.* 48. *Cardin. de Luca dicto disc.* 7. *num.* 24.

Eligendus in Vicarium, debet esse bonitate vitæ præditus, ac scientiâ or-
6 natus; undè eligi debet ille, qui laureâ doctorali insignitus fuerit: non sufficit verò quælibet laurea doctoralis, sed ubi doctoratus fuerit in publica universitate, vel publico Collegio studiorum
7 generalium; etenim si fuerit doctoratus à personis privatis, uti de doctoratis à Comitibus Palatinis, vel ab Excellentissima domo Sfortia, ejusmodi electio nulla erit, *Barbosa de Canonicis, & dignitatibus cap.* 42. *num.* 51. *Card. de Luca, de Canonicis, & Capitulo disc.* 24. *num.* 6. *Sacra Congr. Concil. in una Clusina* 21. *Februarii* 1682. ibi = *Sacra &c. Mandavit cassari, & annullari, electionem Camilli Nardi in Vicarium Capitularem, habentem privilegium Doctoratus à Duce Sforzia*, = & 11. *Aprilis ejusd. anni* repropoſita causa, Sacra Congr. rescripsit = satis provisum.

Et in omni casu, quod eligatur non
8 doctor, rejecto Doctore, qui sit de Capitulo, electio uti facta contra formam *Tridentin. dicto cap.* 16. erit nulla *Barbosa d. cap.* 42. *num.* 49. *Card. de Luca d. disc.* 24. *num.* 8. *& disc.* 25. *num.* 2. *Sacra Congr. Concil. in una Creten.* 15. *Septembris* 1644.

Sufficit verò si eligatur Doctor in
9 Theologia *Sacra Congr. Episcop. in una Montis Regalis* 4. *Aprilis* 1664.

In electione Vicarii non potest Capitulum sibi reservare facultatem signandi
10 supplicationes, distribuendi conciones, vel habendi superintendentiam Seminarii, & similium; nam aliter jurisdictio Vicarii esset dimidiata, & manca, *Sacra Congr. Concil. in una Tudertina* 11. *Decembris* 1654. *Pisauren.* 25. *Januarii* 1658.

Neque sibi reservare potest jus cognoscendi de causis suspicionis ipsius Vica-
11 rii, vel faciendi gratiam condemnatis ab ipso Vicario: etenim ubi Vicarius electus fuerit cum iisdem conditionibus, potest liberè uti sua jurisdictione, ac si conditiones ipsæ non fuissent appositæ in ipsa electione, *Sacra Congr. Episcop. in una Salernitana* 16. *Julii* 1628. *Venusina* 14. *Novembris* 1698. *Pellegrin. in praxi Vicar. part.* 1. *sect.* 4. *subsect.* 1. *num.* 28.

Ratio est, quia Capitulum Sede vacante transfert Vicario electo omnia sua
12 jura, privativè, cum omnimoda jurisdictione, & potestate, quæ residebat penes ipsum Capitulum, *Sacra Congr. Episcop. in una Hidruntina* 1. *Octobris* 1655. *Pellegrin. suprà num.* 36., & late in Constitutione Innocentii XII., quæ incipit: *Cum Ecclesiæ*.

Ille non erit eligendus pro tempore determinato, sed pro integro tempore
13 vacationis, scilicet pro toto tempore, quo Ecclesia non fuerit provisa de Pastore: & non sine ratione hoc videtur statutum, ne Vicarius electus, metu ne amoveatur, haud faceret ea contra Capitulares, quæ de jure teneretur facere: proinde statim, ac electus fuerit non erit amovendus, usque quo Ecclesia non fuerit provisa novo Pastore, ut dixit *Sacra Congr. Episcop. & Regular. in una Sutrina* 14. *Februarii* 1653. *Puteolana* 14. *Novembris* 1659. *Sacra Congr. Concilii in una Aretina* 3. *Septem.* 1647. *Venusina* 14. *Novembris* 1698. *Pignatell. consult. Canonic. tom.* 1. *cons.* 23. *Card. de Luca ad Relat. Romanæ Curiæ*
14 *disc.* 26. *num.* 21. Quidquid contrarium dicat *Pellegrin. suprà num.* 10.

Caveant Capitulares, ne in electione ipsa Vicarii apponant pacta illicita, & contra libertatem officii Vicarii de-
15 putati, & contraria juri; nam alias

K 2 ha-

habentur, ac si non fuissent apposita, ut de casu, in quo consultus *Navarr. cons.2. sub titulo, ne Prælati vices suas,* ubi conventum erat, inter Canonicos, quod quicumque remansisset Vicarius electus teneretur æqualiter dividere suum salarium, ac cetera emolumenta officii inter Canonicos, & respondit idem *Navarrus non esse faciendum* latè *Pellegrin. suprà part. 1. sect. 1. subsect. 1. n. 27., & ex dd. Resolutionibus Sacræ Congregationis.*

Ipsi Capitulares unum tantùm eligere debent Vicarium, non autem plures;
16 nam sicuti unus est Vicarius generalis
Episcopi, talis esse debet Vicarius Capitularis; attamen si plures fuerint Diœceses unitæ, æquè principaliter, tunc
in qualibet ipsarum deputandus erit Vi-
17 carius Capitularis, quilibet à suo Capitulo, ita *Card. de Luca de Præbendis disc.7. num.23.* & ad *Tridentin. disc.31. num. 47. Barbosa allegat.54. num.165. Marchett. suprà num.76.*

In illis Diœcesibus, ubi adest consue-
18 tudo, ut eligantur duo Vicarii, unus
debet exercere in defectum alterius, non vicissim, *Fagnan. in cap. his quæ de major. obed. Barbosa d.cap.42.num.33. Sacra Congr. Concil. in una Nullius 28. Augusti 1689.*

Facta electione Vicarii, ut in præcedentibus, statim electus, antequam sibi tradantur literæ patentes deputa-
19 tionis, munus Vicarii exercere valet;
nam mandatum ad sui essentiam non
20 exigit scripturam, cum etiam oretenus
dari possit, *Sbrozius de Vicario lib.1. quæst.64. Card. de Luca ad Relationem Romanæ Curiæ disc. 26. num.11.,* ubi habetur, quòd literæ patentes non sunt de substantia actus, sed ad probandum actum fuisse gestum.

Neque obstat *Text. in cap. Avaritiæ de Præbendis in 6.* nam dispositio dicti Textus procedit, quando agitur de pro-
21 bando actu, qui exigit, ad sui perfectio-
nem, superioris auctoritatem, ut est in casu electionis, quæ indiget confirmatione, & in similibus, *Card. de Luca dicto disc.26. num.10.*

Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, quia subintrat Sede vacante, in locum Episcopi, succedit in omnibus his, quæ sunt
22 Ordinariæ jurisdictionis, nisi expressè
prohibita reperiantur, *Glossa, & Doctores in cap. his, quæ, cap. cum olim, de major. & obed., cap. illa ne Sede vacante, cap. quia sæpè de Elect. in 6. Rota in recent. part.17. decis.108. n.5., & part.19. decis.129. & 251.*

Meritò itaque Vicarius ab eo electus, potitur omni ea jurisdictione, quæ per-
23 tinebat ad ipsum Capitulum Sede
vacante, repræsentando Vicarius hujusmodi ipsius Capituli vices, *Fagnan. in cap. quanto num. 39. de Consuetudin.*

ARGUMENTUM.

Quænam possit facere Vicarius Capitularis, semel ac fuit electus, & capta possessione, ubi per casus 37. materia dilucidatur.

SUMMARIUM.

1 *Vicarius Capitularis quænam in facultatibus habeat,* usque ad num.57.

2 *Arctatus dicitur ad suscipiendos ordines, qui jus habet ad beneficium.*

6 *Episcopus in aliena Diœcesi, sua viduata Pastore, potest exercere Pontificalia, aliaque ad ordinem spectantia, de licentia Vicarii Capitularis.*

Cautè tamen Vicarius hujusmodi facultatem tribuere debebit, ut num.9.

7 *Capitulum, Sede Episcopali vacante, succedit Episcopo in iis, quæ pertinent ad istius jurisdictionem; & Capitulo succedit Vicarius electus, qui d. jurisdictione utitur privativè,* n.8.

31 *Episcopus potest dispensare cum illegitimè natis, ut possint ad ordines minores promoveri, & beneficia simplicia obtinere.*

Et Canonico Pœnitentiario impertiri facultatem, ut valeat à casibus reservatis absolvere, ibid.

39 *Episcopus potest super interstitiis dispensare.*

47 *Atque ab hæresi occulta absolvere.*

57 *Clericus beneficiatus nequit alteri Ecclesiæ adscribi.*

DISCEPTATIO IX.

Sequitur, ac videamus per casus distin-
ctos, pro majori claritate, quæ facere
possit Vicarius Capitularis, & quæ in-
terdicta videntur eidem. Primò Vica-
rius Capitularis infrà annum concedere
potest literas dimissoriales ad ordines,
1 quoties Ordinandi arctati fuerint bene-
ficio tàm habito, quàm habendo, ad
*Text. in cap. Licèt de Elect. in 6. Con-
cil. Tridentin. sess. 7. de Reform. cap. 10.
Pellegrin. in praxi Vicar. part. 1. sect. 4.
subsect. 2. num. 2. Barbosa de Canonicis,
& dignit. cap. 42. num. 118. Garz. de be-
nefic. part. 5. cap. 7. num. 97.*

Dicitur arctatus, quoties etiam lai-
cus fuerit à patronis præsentatus ad ali-
2 quod beneficium de Jurepatronatus,
*Barbosa de Jure Eccles. cap. 32. nu. 126.
Pellegrin. ubi suprà in praxi num. 4. ubi
Doctores.*

3 Sive ad simplicem Capellaniam, *Fa-
gnan. in cap. cum contingat num. 39. de
ætate, & qualitate, Card. de Luca
ad Relationem Romanæ Curiæ disc. 16.
num. 13.*, & ad *Trident. disc. 31. n. 30.*

4 Transacto verò anno eas concedere
potest etiam non arctatis, *Pellegrinus
suprà num. 5. Concil. Tridentin. pariter
ubi suprà.*

Concedendo autem hujusmodi literas
5 infrà annum in casu, à Jure non permis-
so, non incidit in pœnam interdicti ab
ingressu Ecclesiæ, ut docet *Fagnan. in
cap. significasti, num. 9. de Offic. Archi-
diac.*

Secundò: Ei permissum videtur li-
centiam concedere extero Episcopo, ut
possit exercere Pontificalia in sua Diœ-
cesi scilicèt in Diœcesi, ubi ipse est Vi-
6 carius, ibique ordines conferre, non
solùm Clericis dictæ Diœcesis vacantis,
sed etiam exteris habentibus literas suo-
rum Episcoporum, necnon ut possit con-
firmare, Ecclesias consecrare, benedi-
cere, reconciliare, & similia, *Pelle-
grin. in praxi Vicar. part. 1. sect. 4. sub-
sect. 2. num. 6. Garz. suprà d. num. 97.*

Ratio est, quia Capitulum Cathe-
dralis, Sede Episcopali vacante, fun-
7 gitur vice ipsius Episcopi, & succedit
in omnibus, quæ sunt jurisdictionis or-
dinariæ, exceptis casibus in Jure expres-
sis, ad *Text. in cap. his quæ, cap. cum
olim de major. & obed. cap. unico eodem
tit. in 6. Concil. Tridentin. d. cap. 16.
sess. 24. de Reform. Rota recent. part. 19.
decis. 251. num. 29.*

Maximè quia ipse Vicarius privativè
8 quoad Capitulum jurisdictionem obti-
net, *Sacra Congr. Episc., & Regul. in
una Hidruntina 1. Octobris 1655.*

Debet nihilominus Vicarius in con-
cessione licentiæ prædictæ uti cautelâ,
traditâ per *Textum in cap. Pontifices 7.
quæst. 1.* videlicèt, ut hujusmodi Epi-
9 scopus exterus, præstet cautionem, quod
ex hujusmodi actibus nullum jus sibi am-
plius vindicare possit.

Tertiò: videtur eidem permissum,
ut literas commendatitias dare possit
10 Clericis, iter agere volentibus extra
Diœcesim: ita *Abbas Panormitanus in
cap. relatæ, & cap. fraternitas de Cle-
ricis non resident. num. 6. Pellegrin. su-
prà num. 10.*

Quartò: Potest visitare Diœcesim,
quamvis ei non videatur permissum hoc
11 à Capitulo, cum fuit electus Vicarius:
ita *Barbosa de Jure Eccles. lib. 1. cap. 32.
num. 67. & sequentibus.*

Imò visitationem ipsam aliis commit-
tere potest, dummodò sit lapsus annus
12 à postrema visitatione, nam alias non
potest visitare neque per se, neque per
alium, *Sacra Congr. Episc. & Regul.
in una Lancianen. 10. Junii 1629. Pi-
gnatell. consult. Canon. tom. 9. cons. 146.
Pavin. de offic. & potest. Capituli Sede
vacante, quæst. 1. num. 3. Card. de Luca
ad Tridentin. disc. 5. num. 23.*

In visitatione autem Diœcesis, potest
13 ferre solitum famulatum, *Barbosa de
Canonic. & dignit. cap. 42. n. 70. & 71.*

Pro decretis factis in visitatione ni-
hil recipere debet, sed omnia gratis ab
14 ipso sunt expedienda, licèt Cancella-
rius aliquid moderatè recipere possit,
*Sacra Congr. Concil. in una Elven. Visi-
tationis 14. Martii 1648. ad dubium 8.*

Quintò: Congregare potest Syno-
dum Diœcesanam, elapso anno ab alte-
15 ra Synodo ultimo loco celebrata, ita
*Massobr. de Synodo cap. 2. dub. 4. Pelle-
grin. d. subsect. 2. num. 13. Gavantus in
praxi Diœces. Synod. part. 1. cap. 2. dub. 4.*

Et in

Et in ea Examinatores Synodales,
16 ac Judices Synodales constituere potest, ac his similia facere, *Pellegrin. suprà num.*14.

Sextò: Admittere potest Clericos præsentatos à patronis ad beneficia, il-
17 losque instituere, ad *Text. in cap.*1. *de Institut. in 6. Pavinus de potestate Capituli Sede vacante part.*2.*quæst*.4.*&* 5. *Barbosa de Episcop. alleg.*72. *num.*183., *& de Jure Eccles. lib.*1.*cap.*32.*num.*63. *& num.*95. *Vivianus de Jurepatronat. part.*2. *lib.*12. *cap.*2. *num.*6. *Fagnan. in cap. illa num.*15. *Ne Sede vacante.*

Septimò: Concursum ad Parochiales vacantes facere potest, servatâ formâ dispositionis *Trident. sess.*24.*cap.*18.
18 *de Reform.*, & ex approbatis ab Examinatoribus Synodalibus magis idoneum eligere, & approbationem transmittere ad Sanctissimum, ejusque Datarium, *Sacra Congr. Episc. & Regular. in una Ravennaten.* 3. *Februarii* 1604. *de qua Garz. de benefic. part.*9. *cap.*2. *nu.*7. *Lotter. de re benefic. lib.*2. *part.*2. *num.*36. *Fagn. in cap. illa num.*19. *&c. ne Sede vacante, Card. de Luca ad Tridentin. disc.*31. *num.*35.

Octavò: Potest reconciliare Ecclesiam pollutam, ubi priùs non fuerat
19 consecrata, sed tantùm benedicta; nam si prius erat consecrata, pernecesse reconcilianda erit ab Episcopo, ut aliàs diximus, *Sacra Congr. Rituum in una Hidruntina* 15. *Decembris* 1632. *Bonfaudin. in Thesaur. Eccles. decis. resol.*51. *num.*23. *Pellegrin. suprà num.*17.

Nonò: Causas matrimoniales cogno-
20 scere potest, *Pavinus de potest. Capituli Sede vacante part.* 2. *quæst.*10. *n.*17. *Barbosa de Jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 32. *num.*72. *&* 202., *& de Episc. alleg.*54. *num.*175.

Decimò: Potest in executionem de-
21 mandare literas à Sacra Congregatione prædefuncto Episcopo directas, & ab illo non exequutas, *Sacra Congr. Episc. & Regul.* 10. *Aprilis* 1615. *de qua Barbosa de Canonicis, & dignitat. cap.*42. *num.* 60. *Panimolla decis.* 84. *num.*35. *Gavant. in Manuali Episc. V. Capitulum Sede vacante, num.*55. *Diana resol. moral. part.*5.*tract.*14. *Miscellan. resol.*29. *in fine.*

Undecimò: Eidem permissum videtur absolvere ab omnibus Irregulari-
22 tatibus, & Censuris, provenientibus ex delicto occulto, ac Sedi Apostolicæ reservatis, in quibus concessum est Episcopis hujusmodi facultas, vigore *Tridentin. sess.*24. *de Reform. cap.*6., *Sacra Congreg. Concil.* 3. *Decembris* 1632. *Barbosa de Canonicis cap.* 42. *num.*62. & latè *num.*82. *Sayrus in Clavi Regia lib.*6. *cap.*11. *num.*84.
23 Quidquid contrarium sentiat *Bonacin. de Censuris disp.*7. *quæst.*5. *punct.*1. *Alterius de Censuris tom.* 3. *disp.*6. *de Suspens. cap.*3. *Sperellus decis.*31. *n.*7.

Duodecimò: Visitare potest Monasteria monialium. Ratio est quia ubi
24 Episcopus procedit jure ordinario, uti talis procedere potest Vicarius Capitularis, authoritate juris transfusa ad Capitulum, & successivè ad ejus Vicarium: ita *Pavinus de Potestate Capituli Sede vacante part.*1. *qu.*7. *Barbosa de Jure Eccles. lib.*1. *cap.*32. *n.*71.

Potest etiam moniales exemptas visitare in iis casibus, in quibus Episcopo
25 datur facultas perpetua visitandi tamquam delegato Sedis Apostolicæ, *ut ex Trid. sess.*25.*cap.*9.*de Regul. Barbosa d. num.*71.

Hujusmodi enim delegatio facta Episcopo in perpetuum, transit ad Capitulum, cum sit pars jurisdictionis ordinariæ non ad tempus *Pelleg. sup. n.*24.

Decimotertiò: Conferre potest beneficia; quorum collatio prius specta-
26 bat ad Episcopum per devolutionem, *Abbas in cap.* 2., *ne Sede vacante, Quaranta summa Bull. qu.*5.

In permutationibus beneficiorum in-
27 terponere potest suam authoritatem, quando collatio partim spectat ad Episcopum, partim ad Capitulum; secùs in aliis: ita *Barbosa de Jure Eccles. lib.*1. *cap.*32. *n.*97. *Garz. de benefic. part.*11. *cap.*4. *num.*75.

Quo verò ad resignationes beneficio-
28 rum, eas recipere valet tribus concurrentibus, de quibus *Barbosa de Episc. alleg.*69. *n.*8.

Circa unionem beneficiorum, ea uni-
29 re potest in omnibus casibus, in quibus potest Episcopus, dummodò ex hac unione nihil præjudicii afferatur juribus Epi-

Epiſcopalibus, *Barboſa d. cap.32. n.98.*
Garz. de benefic. part.12. cap.2. n.67.,
& 68. Zerola in praxi Epiſc. part.1. V.
unio §.11., *& part.2.* V. *Capitulum*
§.4. *Pellegrin. ſup. n.30. & ſeq.*

Decimoquartò: Darè poteſt licentiam, ut ædificetur nova Eccleſia, &
30 ut acquiratur Juſpatronatus in illa,
Conſtructione, Fundatione, vel Dotatione: ita *Barboſa de Epiſcop. alleg.
70. n.32., & 33. Garz. de benefic. parte 5. cap.9. n.79. Pavinus de poteſt.Capit. Sede vacante part.1. qu.1. num.5.
Pellegrinus ſup. n.36.*

Decimoquintò: Diſpenſare poteſt cum illegitimis, etiam ex damnato coi-
31 tu natis, ut poſſint ad ordines minores promoveri, & beneficia ſimplicia obtinere; ſicuti poterat Epiſcopus ratione Juriſdictionis Epiſcopalis, *Barboſa
de Jure Eccl. lib.1. cap.32. n.81. Genuenſis in praxi fori Neapolit. cap.86.
n.5. Marchetti de Vicario Capit. part.2.
tit.14. n.3. & 4. Riccius coll.610. part.
3. & 880. part.4.*

Decimo ſextò: Conferre poteſt Canonico pœnitentiario eam facultatem,
circa abſolutionem à caſibus reſervatis,
quam eidem Pœnitentiario conferre poterat Epiſcopus: *Abbas Panormitanus
in cap. bis, quæ de Major. & obed.
Barboſa d. cap.32. n.64.*

Decimo ſeptimo: Poteſt ipſe Vicarius ſuſpendere, excommunicare, in-
32 terdicere, & abſolvere, in omnibus
caſibus, in quibus videtur permiſſum
Epiſcopo, cum ipſe Vicarius videatur
ſuccedere in Juribus Epiſcopalibus, ut
dixi: *ad Text. in cap. his quæ de Major,
& obed. cap. unico, eodem tit. in 6. Barboſa de Jure Eccleſ. lib.1. cap.32. n.62.
67. 80. Pellegr. ſup. n.40.*

Decimooctavò: Facere poteſt ſtatuta, quæ diœceſim totam obligent; cum
33 actus condendi ſtatuta connumerentur
inter actus Juriſdictionales; *Pavinus
ſup. part.1. qu.6. Sbroz. lib.2. qu.187.
n.5., & 6. Barboſa de Epiſcopis alleg.87.
n.16.* ubi latè.

Decimononò: Exequi poteſt ultimas
defunctorum voluntates, quatenus hoc
34 jure ordinario competebat prædefuncto Epiſcopo, ita *Pavinus part.2. qu.7.
Barboſa de Epiſcopis alleg. 82. num.31.*
ubi latè Doctores.

Vigeſimò: Poteſt compellere exequutores teſtamentarios ad reddendam
35 rationem exequutionis; ita *Pavinus parte 2. qu.7. n.6. Barboſa de Epiſc. alleg.
82. n.35.* ubi Doctores, *& ita Sacra
Congreg. Concil. in una Melevitana 15.
Aprilis 1684. ad dub.1.* ubi habetur, poſſe compellere illos, ad reddendam rationem, an legata pia fuerint adimpleta,
& in caſu contrario, procedere contra
eos, juris remediis opportunis.

Vigeſimoprimò: Tamquam Judex
ordinarius exigere poteſt rationem ab
36 adminiſtratoribus locorum piorum, ſicuti poterat Epiſcopus, ſi in humanis
eſſet: latè *Barboſa de Epiſcopo alleg.75.
num.61.* ubi Doctores, *Pellegrinus ſup.
num.45.*

Vigeſimoſecundò: Cognoſcere poteſt
quaſcunque cauſas in prima inſtantia
37 vigore *Trident. ſeſſ.24. cap.20.*, ſicuti
poterat Epiſcopus, *Barboſa de Epiſc.
alleg.81. n.6.* cum ille ſucceſſiſſe videatur in omnibus Juriſdictionalibus, etiam
38 in his, quæ ſunt voluntariæ Juriſdictionis, *Riccius in praxi fori Eccleſiaſtici
reſol.130. Pellegrinus ſup. n.46.*

Vigeſimotertio: Diſpenſare poteſt
cum ordinandis ſuper interſtitiis temporum, ſicuti poſſet Epiſcopus, ſi vi-
39 vens eſſet, vigore *Trid. ſeſſ.23. cap.11.
13., & 14. de reform. Barboſa de Jure
Eccleſ. lib.1. cap.32. n.128. Garz. de
benefic. part.5. cap.7. n.92. Marchetti
d. part.2. tit.14. n.17.*

Vigeſimoquartò: Commutare poteſt
ultimas defunctorum voluntates, in
iis tamen caſibus, in quibus de Jure
40 permiſſum videbatur Epiſcopo viventi,
*Moneta de commutatione ultim. volunt.
cap.5. n.427.*

Vigeſimoquintò: Aſſiſtere poteſt Matrimonio celebrando, vel alteri Sacerdoti aſſiſtendi ad illud, licentiam conce-
41 dere, ſicuti poteſt Epiſcopus, ad normam diſpoſitionis *Triden. ſeſſ.24. de
reform. cap.1. Sanchez de Matrim. lib.3.
diſp.28. n.5. Guttierez de Matrim. cap.
66. n.9. Card. de Luc. ad Trident. diſcurſ.31. num.31. & Doctores communiter, Barboſa de Epiſc. alleg.32. n.123.*

Vigeſimoſextò: Licentiam concedere poteſt Novitiis utriuſque ſexus, ut
42 diſponere valeant de bonis, antequam
pro-

profeſſionem emittant, per duos menſes tamen ante prædictam profeſſionem, ad formam *Trid. ſeſſ.25. de regul. cap.9. Barboſa de Epiſcop. alleg.99.n.5. Tamburin. de jure Abbatis diſp.4.quæſt.10. num.3.*

Vigeſimoſeptimò: Approbare poteſt Sacerdotes, ad audiendas confeſſiones Sacramentales fidelium; nam hic eſt
43 unus ex actibus meræ juriſdictionis: *Barboſa de Jure Eccleſ. lib.1. cap.32. num.100. Fagundez ad quintum Eccleſiæ præceptum lib.7. præcep.2. cap.2. n.54. Diana reſol.moral.part.8.tract.4. reſol.46.*

Vigeſimooctavò: Concedere poteſt literas teſtimoniales de vita, & moribus, Clerico ordinando per Breve
44 Apoſtolicum, directum alieno Epiſcopo extra Diœceſim: *Molina de Juſt. & Jure tom.6. tract.6. diſp.11.n.4.Diana ſup. reſol.42.*

Vigeſimononò: Concedere poteſt monitoria, ad finem revelationis ha-
45 bendæ pro rebus deperditis, & ablatis; quia hoc connumeratur inter actus neceſſariæ juriſdictionis, ut pariter eſt promulgandæ excommunicationis fa-
46 cultas; *Marta de Juriſd. part.3. c.4., num.53. Sayrus de cenſuris lib.1.cap.9. num.33.Barboſa de Epiſc.alleg.96.n.10. Diana ſup. reſol.17.*

Trigeſimò: Abſolvere poteſt ab hæreſi occulta, ſicuti abſolvere permiſſum
47 eſt Epiſcopis, *Fagundez in præceptis decalogi tom.1. lib.1. cap.57. numer.19. Diana ſup. reſol.8.*

Trigeſimoprimò; Diſpenſare poteſt
48 in omnibus caſibus, & cenſuris Summo Pontifici reſervatis, quando non eſt facilis recurſus ad Pontificem, ſicuti de Jure videtur permiſſum Epiſcopo: *Diana part.8. tract.4. reſol.9. Pellegrin. ſuprà num.59.*

Trigeſimoſecundò: Abſolvere poteſt à cenſuris incurſis ob Clerici percuſſionem, in omnibus caſibus, ubi hoc per-
49 miſſum videtur Epiſcopo *Diana ſuprà reſol.12. Pellegrin.in praxi Vicar. part. 1. ſect.4. ſubſect.2.num.60.,& ſequent. Fagn. in cap. Pervenit de ſentent. Excomm.*

Trigeſimotertiò: Poteſt facere gratiam ſuis ſubditis, ubi in aliquam pœ-
50 nam fuerint condemnati à præmortuo Epiſcopo, quia hoc eſt de Juriſdictione ordinaria remittere pœnas impoſitas per Epiſcopum prædefunctum; *Novar. in ſumma bullar.V.Capitulum Sede Vacante num.12. alter Novar. quæſt. forenſ. quæſt.102. Riccius in praxi reſol. 302.*

Trigeſimoquartò: Creare poteſt Clericos, ſeù Diaconos ſilvaticos, (de qui-
51 bus magna eſt copia in noſtro Regno, neſcio, an forſan neceſſitate, vel potiùs pro effectu ſe ſe eximendi à laicali juriſdictione) iſti enim creari poſſunt à Vicario Capitulari in ea quantitate,
52 quam poterat Epiſcopus (non autem pro ſuo libito circa numerũ) *Riccius in praxi part.4. reſol.227. Diana ſuprà d. part.8. tract.4. reſol.51. Pellegrin. ſuprà d.ſect.4. ſubſect.2. num.66.*

Trigeſimoquintò: Cognoſcere poteſt cauſas violatæ immunitatis, procedendo
53 tantùm contra ipſos violatores ad cenſuras incurſas, *Sacra Congr. Concil. in una Tropien. 27. Novembris 1626.*, Abſolvere verò eos à Cenſuris incurſis
54 nequaquam poteſt; cum hoc ad Sanctiſſimũ ſpectet, vel ad Sacram Congregationem Immunitatis, ut latiùs infrà.

Trigeſimoſextò: Cognoſcere poteſt ſtatum Canonicorum, vel alterius ex
55 eis, an redditus ſint benè adminiſtrati, an horæ Canonicæ ſint benè diſtributæ inter Canonicos ipſos, & in caſu contrario diſtributionem facere; ipſe
56 enim dicitur Ordinarius in his, quæ concernunt juriſdictionem ordinariam; ac proindè non videtur eidem denegatum, ut facere poſſit prædicta, *Sacra Congreg. Concil. in una Melevitana 15. Aprilis 1684. ad dubium 3.*

Trigeſimoſeptimò: Poteſt adſcribere
57 Clericos ſervitio alicujus Eccleſiæ, dummodò Clericus non ſit beneficiatus, quia tali caſu habens ſuam ſponſam, ei ſervire tenetur, juxtà diſpoſitionem *Tridentin.ſeſſ.23. cap.6. de Reform. Sacra Congr. Concil. ad dub. propoſita 9. Septembris 1684. lib.34. dec.2. fol. 299.*

AR-

ARGUMENTUM.

Quæ nequeat facere Vicarius Capitularis; ubi per varios casus materia dilucidatur. Quomodo expiret illius Jurisdictio?

SUMMARIUM.

1 *Vicarius Capitularis executioni nequit demandare dispensationes matrimoniales, aliasve commissiones directas Episcopo, vel ejus Vicario generali.*

2 *Nec literas Apostolicas in forma* Dignum, *vel alias similes, eisdem Episcopo, vel ipsius Vicario directas.*

3 *Hujusmodi literæ dirigi consueverunt Episcopo viciniori, vel ejus Vicario generali.*

4 *Vicarius Capitularis nulliter exequitur Apostolicas commissiones, Episcopo directas, non obstante contraria observãtia. Contrarium* num.8. & num.9. *ubi cautela traditur.*

5 *Error communis facit jus.*

6 *Hoc tamen in duobus casibus limitatur ad declarationem.* Text. in l. Barbarius ff. de offic. Prætor. & num.7.

10 *Vicarius Capitularis minimè valet cognoscere causas Confugientium ad loca Immunia, vel exinde Extractorum.*

11 *Cujusmodi cognitio, Sede Episcopali vacante, spectat ad viciniorem Episcopum.*

12 *Absolvere cum reincidentia non potest Vicarius Capitularis in causa violatæ Immunitatis.*

13 *Vicarius Capitularis nihil potest innovare circa jura Cathedralis, vel Episcopi.*

14 *Nec potest bona Ecclesiæ alienare, sive commutare; quæ si fecerit, suspensionis pœnam incurrit ab officio.*

15 *Itidem nequit beneficia supprimere, sive unire.*

16 *Neque assensum præstare valet donationi Jurispatronatus.*

17 *Nec Canonicis indulgere, ut possint abesse à residentia ultra tempus à Concilio præfinitum.*

18 *Item nec suspendere Confessarios Regulares, vel eos ad iteratum examen cogere.*

19 *Neque procedere valet in iis, super quibus Episcopus procedit jure delegato, nisi delegatio fuerit perpetua,* ut num.20.

21 *Nec vacantia Beneficia conferre, quamvis possit concursum indicere ad Parochiales, & acta concursus ad S. Sedem transmittere,* ut num.22.

23 *Vicario Capitulari non competit facultas nova Monasteria erigendi.*

24 *Vicarii Capitularis jurisdictio expirat, postquam, Ecclesiâ novo Pastore provisâ, literæ Apostolicæ, desuper expeditæ, exhibitæ fuerint.*

25 *Expirat quoque, cum Ecclesiæ viduatæ administratio fuerit alteri commissa, vel si idem Vicarius legitimè amoveatur,* ut num.26.

27 *Vicarius Capitularis, finito officio stare debet Sindicatui.*

DISCEPTATIO X.

Videre nunc est, quæ nequeat facere Vicarius Capitularis. Et primò: non potest exequi dispensationes matri-
1 moniales, directas Episcopo, vel ejus Vicario generali, necnon alias commissiones eisdem directas, *Felinus in cap. cum te de Rescriptis num.17. Campanil. divers. Juris rub.11. cap.13. num.146. Bonacina de legibus disp.1. qu.3. part.8. §.1. n.7. Barbosa de Jure Eccles. lib.1. cap.32. n.57. Panimolla decis.84. n.25. Riccius part.1. decis.44. sect.38. Garz. de benefic. part.6. cap.2. num.44. Pax Jordan. lucubrat. Canon. lib.12. tit.2. num.28.*

Quod non possit exequi commissiones
2 Apostolicas in forma *dignum*, aliasque directas Episcopo, ejusque Vicario, docet *Sperellus decis.30. num.2. Marchesanus de Commiss. appell. in causis benefic. cap.77. num.54. Panimolla suprà num 26.*

Undè de stylo Datariæ hodiè non diriguntur dispensationes, vel similes gra-
3 tiæ, vel literæ in forma *dignum*, Vicario Capitulari, sed Episcopo viciniori, vel ejus Vicario, *Panimolla sup. n.27. Diana part.5. resol. Moral. tract.14. resol.29.*, ubi de nonnullis decretis Sa-

cræ Congregationis, per eundem relatis, *Pellegr. in praxi part.1.sect.4.subsect.3. num.29.*

Quod procedit, etiamsi in partibus observatum fuerit, hujusmodi dispensa-
4 tiones fuisse demandatas executioni per Vicarium Capitularem, Sede Episcopali vacante; nam adhuc non substinentur dictæ executiones; quia licèt concurrente ex parte populi communi erro-
5 re, & ex parte Vicarii titulo putativo, acta substinentur; ex quo jus supplet jurisdictionem, & idem communis error facit legem, & pro veritate habetur, juxta expressam dispositionem *Textus in l. Barbarius ff. de Offic. Prætor. ubi DD. communiter.*

Nihilominus dispositio hujus Textus cessat. Primò: ubi agitur de rebus Spi-
6 ritualibus, & Sacramentalibus, vel ubi imminet timor peccati; quia tunc communis error ad nihilum refragatur, ut docet *Rota in una Auriensi Matrimonii 12. Decembris 1605. num.5. coram Panfilio, penes Marchesanum de Commissionibus part.1. tit. de Signatura gratiæ c.2.* Secundò: ubi error est in jure, non in facto, *cum d. lex Barbarius* procedat, quoties error consistat in facto, puta an quis sit, vel non sit Vicarius, secus si erretur in Jure, nempè, an Vicarius Capitularis, de Jure valeat exequi hujus-
7 modi dispensationes, sive commissiones &c. ita *Federic. de Senis consil.112. num.5. Mascard. de probat.consult.648. num.100. Sperellus decis.31. num.11.*

Non desunt tamen Doctores existimantes contrarium, videlicèt, quod
8 possit Vicarius Capitularis exequi dispensationes, aliasve commissiones Episcopo, ejusque Vicario directas, utpotè quia Vicarius Capitularis succedit in dignitate Vicarii Episcopi, ac potest dici Vicarius Episcopi: ita *Sanchez de Matrim. tom.2. lib.8. disp.27. num.32. Diana resol. Moral. part.5. tract.14. Miscellan. resol.29.*, adeout possit exequi
9 literas Episcopo directas per Sacram Congregationem, & ab eo non exequutas, ita ex *Sacra Congr. apud Gavant. in Manuali Episcop. V. Capitulum Sede vacante num.55. Diana suprà, Nicolius in Flosculis, verb. Vicarius Capitularis.* Sed ad tollendos scrupulos optimum est consulere Sacram Congregationem, ita docet *Barbosa de Canonic. cap.42. n.60.*

Secundò: Non potest cognoscere causas confugientium ad loca immunia,
10 & pariter Extrahentium ab illis, vel Extractorum; eo quia hæc facultas competit Episcopo, ejusque Vicario generali, ut colligitur ex verbis notissimæ Gregorianæ Constitutionis, ibi = *sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Offi-*
11 *cialis* (scilicèt Vicarii generalis) & in casu, quo Episcopalis Sedes vacaverit, ad Episcopum viciniorem hoc spectat, ut ex *Sacra Congr. Immunitatis in una Conversana 15. Februarii 1633.* in qua Archidiaconus Viola Vicarius Capitularis extraxit duos Clericos è loco immuni, sub prætextu quòd illi perpetraverint homicidium proditorium; proindè, habito recursu ad dictam Sacram Congregationem, hæc censuit, ibi = *Sacra &c. Concedatur facultas, ut orator possit se absolvi facere, & in posterum se abstineat ab hujusmodi extractionibus, nisi præcesserint probationes sufficientes, & prius obtinuerit facultatem necessariam*, & in altera *Regien. Calabriæ 19. Novembris 1641.* ibi = *Sacra Congr. respondit Vicarium Capitularem non posse cognoscere super extractione, & causa violatæ Immunit. Eccles. sed spectare ad Episcopum viciniorem, eadem Sacra Congr. Immunitatis in una Verulana 9. Novemb. 1650. lib.4. decret. Paulutii*, ita *Pellegrin de Immunit. Eccles. cap.3. num.32. Genuensis in praxi cap.85. num.1. Sperellus decis.31. num.8.*

Unde etiam pariter videtur, non posse absolvere incursos in censuras, etiam
12 cum reincidentia, in causa violatæ Immunitatis, sed pro absolutione recurrendum erit ad Sacram Congregationem Immunitatis, eadem *Sacra Congr. Immunit. in una Capuana 16. Jun. 1632.* & in altera *S. Marci 15. Decemb. 1633. Bituntin. 29. Novembris 1657.*, ita *del Bene, de Immun. Eccl. cap.16. dub.58. sect.2. num.12. tom.2.*

Tertiò: Non potest tempore Vicariatus aliquid innovare circa ea, quæ
13 pertinent ad jus Ecclesiæ, vel Episcopi, cum non sit qui tueatur jura Episcopalia, ad *Text. in cap.1. Ne Sede va-*

cante

cante, *cap. cum omnes de constitut.* Undè infertur, ut non possit alienare bona Ecclesiæ, aut illa permutare, ob præsumptum dolum, *cap. si qua* 12. *qu.* 2.

14 Neque occupare bona relicta tempore Sedis vacantis, dictoque tempore collecta, neque illa dissipare, vel consumere, aut aliquo modo in proprios, vel alienos usus convertere: quod si secùs fecerit, erit suspensus ab officio, non obstante quacumque consuetudine, vel Statuto etiam jurato, & à Sede Apostolica confirmato, ad *Text. in cap. quia sæpè de elect. in 6. Bonacina de suspens. in particulari tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 15. *per totum*, *Pellegrin. in praxi Vicar. part.* 1. *sect.* 4. *subsect.* 3. *num.* 12. *& sequentibus*.

Quartò: Non videtur eidem permissum, ut possit supprimere beneficia, il-

15 laque unire Capitulo, ob præsumptum dolum, nam aliter si hoc Vicariis Capitularibus esset permissum, forsan expoliarent Ecclesias omnibus beneficiis liberæ collationis, pro augendis redditibus Capituli, *Garz. de benefic. part.* 12. *cap.* 2. *num.* 68. *Barbosa alleg.* 67. *num.* 3. *Pellegrin. suprà num.* 21.

Quintò: Denegatur eidem Vicario, ut possit confirmare donationem factam alicui, de beneficio Jurispatronatus,

16 quod ei competebat; nam in hujusmodi donationibus faciendis, pernecesse intervenire debet Episcopi consensus, & beneplacitum, *Gratian. discept. forens. cap.* 303. *n.* 10. *Barbosa allegat.* 71. *n.* 23. *Ciarlin. controv. forens. lib.* 1. *cap.* 107. *num.* 84. *Rota recent. part.* 1. *decis.* 176.

Sextò: Non videtur eidem permissum dare licentiam Canonicis, ut pos-

17 sint abesse à residentia, ultra tempus eisdem concessum à *Tridentino sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* nec quidem ad breve tempus ex causa justa, licèt non comprehensa in Jure, sed ex quadam consuetudine, *Covar. var. resol. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 9. *Benzonus in Speculo Episcoporum de fuga lib.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 7.

Septimò: Non potest suspendere, & iterum examinare Confessarios Regula-

18 res, examinatos ab Episcopo prædefuncto, & simpliciter approbatos absque præfixione temporis, vel ad tempus non dum elapsum, propter privilegium, quod habent, de quo *Diana part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 27., *& part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 200. *Pellegrin. d. subsect.* 3. *n.* 31.

Octavò non videtur eidem permissum, ut possit procedere in his casibus,

19 in quibus Episcopus procedere valet jure tantùm delegato, *Sbrozius de Offic. Vicarii lib.* 1. *qu.* 16. *num.* 1., *& lib.* 2. *quæst.* 135. *num.* 4. *Genuensis in praxi cap.* 85. *Barbosa de Jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 108. *Pellegrin. suprà n.* 2.

Fallit tamen supradicta conclusio in delegatione perpetua facta Episcopo à

20 Tridentino, & sacris Canonibus; nam licèt in his casibus Episcopi procedant jure delegato; tamen competit eis cognoscendi facultas, veluti jure speciali communi, & quasi ex ordinaria jurisdictione: ac proindè jurisdictio delegata videtur quodammodo facta pars Ordinariæ jurisdictionis, tamquam perpetuò annexa dignitati Episcopali: & sic transit ad Capitulum, & ejus Vicarium, tamquam ordinaria non delegata, *Molina de Justitia, & Jure tom.* 6. *tract.* 5. *disp.* 11. *n.* 8. *Genuensis in praxi cap.* 66. *num.* 22., *& cap.* 85. *num.* 31. *Barbosa de Jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 71., *& sequentibus*, *Garz. d. part.* 5. *cap.* 7. *num.* 41. *Pellegrin. suprà num.* 34.

Nonò: Non videtur eidem permissum, ut possit conferre beneficia vacan-

21 tia, ad *Text. in cap. illa*, *Ne Sede vacante* ibi: *Cum nusquam inveniatur cautum in jure quod Capitulum vacante Sede fungatur vice Episcopi, in collatione præbendarum* = concordat Constitutio sancti Pii V. quæ incipit: *Sanctissimus*, *Card. de Luca ad Tridentin. disc.* 31. *num.* 35. *Fagnan. in d. cap. Illa num.* 34. Potest

22 nihilominus concursum edicere, & digniorem eligere, ad normam *Tridentini sess.* 24. *cap.* 18., providendum à Sanctissimo de beneficio, super quo fuerit magis dignus ille reputatus, ut ex sententia Sacræ Congregationis docet *Fagnan. suprà num.* 17. *&* 34.

Decimò: Vicarius Capitularis non potest concedere licentiam erigendi no-

23 va Monasteria, cum hodiè nec Episcopis permissum videatur, *Barbosa de Canonicis, & dignitatibus cap.* 42. *n.* 60. *Card. de Luca de Regular. disc.* 29. *n.* 17. *Sacra Congr. Concil.* 19. *Februarii* 1633.

Sequitur, ut videamus, an, & quatenus expiret Vicarii Capitularis jurisdictio: Et certum est, illam expirare, Ecclesia provisa de novo Pastore,& post literarumApostolicarum expeditionem,
24 & actualem ostensionem, seu illarum productionem, Capitulo Cathedralis congregato, alioquin non videtur cessare illius jurisdictio, *Pax Jordan. lucubr. Canon. lib.*12. *tit.*2. *n.*55. *&* 56.,
25 Sicuti etiam, ubi illius administratio alteri fuerit commissa à Papa, *Pax Jordan. suprà num.*57.

Demum expirat illius jurisdictio, si datâ legitimâ causâ, per Sacram Con-
26 gregationem recognitâ, Vicarius ab officio, & administratione removeatur: *Pax Jordan. suprà num.*59. *Sacra Congreg. Episcop. in una Asten.* 30. *Septembris* 1650. *Monopolitana* 2. *Maji* 1653.

Demum finito officio, tenetur ipse Vicarius Capitularis reddere rationem suæ administrationis,& stare debet Syndicatui: undè ante adventum novi Pa-
27 storis, Capitulum petere potest ab eodem redditionem rationis, quam repetere valet novus Episcopus ab illo, ad *Tridentin. sess.* 24. *cap.*15. *de Reform. Pax Jordan. suprà num.* 43. *Pellegrin. in praxi Vicar. part.*1. *sect.*4. *subsect.*4. *num.*15., & hæc satis de ipso Vicario Capitulari Cathedralis Ecclesiæ.

ARGUMENTUM.

De Vicario Capitulari Collegiatæ Ecclesiæ Nullius *Diœcesis, ubi de ejus auctoritate, dignitate, & potestate, & quæ facere is valeat, quæve facere nequeat?*

SUMMARIUM.

1 *Collegiatæ Ecclesiæ aliæ subsunt jurisdictioni Ordinarii; aliæ verò exemptione gaudent*, & num.2.
3 *In Collegiatis*Nullius, *post mortem Abbatis, eligendus est Vicarius Capitularis.*
Hujusmodi tamen Vicarius necesse non est, ut sit laureâ Doctorali insignitus, num.4.
5 *Vicarius Collegiatæ* Nullius *sententiam quidem ferre potest declaratoriam censurarum ob violatam immunitatem, non verò decidere, num immunitas locum habeat, necne.*
6 *Nec potest hujusmodi Vicarius concedere Monitoria Excommunicationis, ad revelationes habendas; sed illa obtinenda sunt à S. Sede*, ut num.7.
8 *Item non valet concedere literas dimissoriales ad ordines suscipiendos, nisi habeat territorium separatum, cum facultate congregandi Synodum.*
9 *Literas tamen testimoniales de vita, & moribus, potest concedere.*
10 *Prohibetur Vicario Collegiatæ* Nullius *quicquam consequi pro revisione rationum Administratorum Ecclesiæ, aliorumve locorum piorum.*
11 *Sive procurationem recipere in pecunia, præterquam victualia.*
12 *Vel ultimas voluntates commutare.*

DISCEPTATIO XI.

Quamplures reperiuntur Ecclesiæ, quæ Capitulum habent cum dignitatibus, & Canonicis, & *Nullius Diœcesis* vocantur, quæ quidem sub nomine Collegiatarum veniunt.
1 Collegiatæ sunt in duplici differentia, ac in duas species dividuntur,ac classes. Etenim aliæ sunt subjectæ Ecclesiæ Cathedrali, in cujus Diœcesi sitæ sunt; aliæ verò sunt Collegiatæ, quæ existunt quidem intra fines alicujus Diœcesis, non sunt verò subjectæ Cathedrali, sed exercent jurisdictionem particularem ex seipsis, & subjiciuntur immediatè proprio Prælato, posteà S. Sedi Apo-
2 stolicæ, & dicuntur *Nullius Diœcesis*, uti de Ecclesia Nullius Altamuræ, Cotignolæ, Putignani, Prioratus Barii &c.

Adveniente morte Prælati Collegiatæ *Nullius*, quocumque nomine vocetur, sive Abbatis, Prioris, Præpositi, vel
3 simili, debet Capitulum eligere Vicarium Capitularem infra octo dies, ex dispositione *Tridentin. sess.* 24. *cap.*16. *de Reform.*, ut in præcedenti Disceptatione.

Vicarius Capituli *Nullius*, non est opus quod sit Doctor, ut de Vicario
4 Cathedralis Ecclesiæ suprà in præcedenti de-

ti demonstravimus, quemadmodum
habetur ex quadam resolutione *Sacræ
Congreg. Concilii* 12. *Septembris* 1585.,
ubi fuit dubitatum, an *capitulum de-
cimumsextum Tridentini seß.*24. *de Re-
form.* extendatur ad Ecclesiam Colle-
giatam *Nullius*, defuncto ejus Prælato,
qui ordinariam jurisdictionem, omnia-
que jura quasi Episcopalia habebat, Sa-
cra Congregatio respondit, *Negativè*,
ut refert *Garz. de benefic. part.*5. *cap.*7.
*num.*20.

Vicarius Collegiatæ *Nullius Diœce-
sis* procedere valet in causis violatæ Im-
munitatis Ecclesiasticæ, ad effectum tan-
5 tùm declarandi, reos criminis ob viola-
tam Immunitatem in censuras incidisse:
quod secùs videtur quoad actum decla-
randi, reum criminis gaudere, vel non
gaudere Immunitate Ecclesiastica; cùm
hoc spectet ad Episcopum, in cujus Diœ-
cesi existit Collegiata, vel ad Episcopum
ipsius Collegiatæ *Nullius*; nam inferio-
res Prælati non habent facultatem prò-
cedendi in hoc, ut clarè habetur ex Con-
stitutione Gregorii XIV., quæ incipit:
Cum alias ibi = *Volumus, dictâque au-
ctoritate decernimus, & declaramus,
ne curia sæcularis, ejusque Judices, &
Officiales, ab Ecclesiis, Monasteriis, Lo-
cisve sacris prædictis, Laicum aliquem
ut præfertur, delinquentem, in nullo
ex casibus supradictis sine expressa licen-
tia Episcopi, vel ejus Officialis, & cum
interventu personæ Ecclesiasticæ ab eo
auctoritatem habentis, ad quos solos, &
non alios Episcopis inferiores, etiamsi aliàs
Ordinarii sint, aut Nullius Diœcesis, aut
Conservatores ab hac Sede specialiter, vel
generaliter deputati, prædictam licen-
tiam dandi, facultas pertineat*. Et ita
ex *Sac. Congr. Immunitatis in una Nul-
lius Abbatiæ Militen. sub titulo SS. Tri-
nitatis* 23. *Maji* 1638., & 21. *Janua-
rii* 1659. ibi = *Supposita jurisdictione
Abbatiæ SS. Trinitatis Militen.*, *cen-
suit, Vicarium illius procedere posse pro
defensione violatæ Immunitatis Ecclesia-
sticæ contra Ministros Curiæ sæcularis,
qui extraxerunt Hiacyntum ab Ecclesia
ejusdem Abbatiæ: cognitionem verò su-
per extractione, & an Extractus gau-
deat, vel ne Immunitate Ecclesiastica,
spectare ad Episcopum solum viciniorem*.

Videtur pariter denegatum Vicariis
Collegiatæ *Nullius*, concedere excom-
6 municationis Monitoria, ad finem re-
velationis habendæ de rebus deperditis,
aut furto subtractis: Subditi enim hu-
jusmodi Vicariorum Collegiatarum
7 cum privilegiò *Nullius* debent à S. Se-
de hujusmodi literas Monitoriales obti-
nere, *Barbosa de Episcop. allegat.* 96.
num. 12. *Ugolin. de potestate Episcopi
cap.*45. *Pellegr. in praxi Vicar. part.*1.
*sect.*5. *num.*23. *Fagnanus in cap. Acce-
dentibus num.* 25. *de excessibus Prælat.
& in cap. Sacro, num.*58. *de Sentent. ex-
communic.*, *& in cap. Quoniam n.*44.
de offic. delegati.

Literas dimissoriales ad Ordines con-
cedere non valent Vicarii Collegiatæ
8 *Nullius*, ad hoc ut eorum subditi or-
dinari valeant à quocumque Catholi-
co Antistite; nisi habeant jurisdictio-
nem cum territorio separato, & quasi
Episcopalem potestatem, cum facultate
9 congregandi Synodum; nam tunc dicun-
tur habere ordinariam jurisdictionem in
eorum Diœcesi: secùs tamen dicendum
videtur de literis testimonialibus, super
bona vita, & moribus, impetrantis il-
las, *Sacra Congr. Concil. in una* Nullius
Provinciæ Hispalen. 17. *Septembr.* 1706.
*ad dub.*1.

Sicuti pariter videtur interdictum
hujusmodi Vicariis Collegiatæ, seù Ab-
10 batiæ *Nullius*, ut aliquid recipiant pro
susceptione redditionis rationis rerum
Administratarum Ecclesiæ, vel alterius
loci pii, *Sacra Congr. Concil. in d. Hi-
spalen. ad dub.*2.

Eisdem etiam Vicariis videtur inter-
dictum, ne possint recipere procuratio-
nem in pecunia, sed tantùm victualia,
ad formam Tridentini, ac Constitutio-
nis Innocentii XI. super hoc editæ. Imò
11 possunt cogi restituere, quod indebitè
receperunt, *Sacra Congr. Concil. in d.
Hispalen. ad dub.*4.

Ultimas voluntates nequaquam com-
12 mutare possunt Vicarii prædicti, eadem
*Sacra Congr. Concil. in d. Nullius Hi-
spalen.* 18. *Decembris* 1706. *ad dub.*6.,
facit *Tridentin. seß.* 24. *cap.*6. *de Re-
form.*

ARGUMENTUM.

De Vicario Apostolico: Ubi de causis, ob quas constitui possit? Quænam sit illius Jurisdictio, facultas, & potestas? Quæ nequeat facere Vicarius hujusmodi? Illius jurisdictio quatenus cesset?

SUMMARIUM.

1 *Vicarius Apostolicus à quo, & quibus concurrentibus causis deputetur*, usque ad num. 18.
19 *Vicarius Apostolicus ipse succedit in jurisdictione Episcopi.*
20 *Eidem consuevit concedi facultas exequendi literas Apostolicas, Episcopo directas.*
21 *Vicarius Apostolicus potest Diœcesim visitare; ita tamen ut medietate procurationis contentus esse debeat*, ut num. 22.
23 *Potest itidem Synodum, & concursum ad Parochias convocare*, & num. 24.
25 *Vicarius hujusmodi vigil esse debet circa fidelem administrationem redditu͞um mensæ Episcopalis, ejusdemque bona tueri*, ut num. 26.
27 *Vicario Apostolico citra expressam facultatem prohibetur literas dimissoriales concedere, ad suscipiendos ordines*, & num. 28.
29 *Item beneficia conferre.*
30 *Quemadmodum processum informativum conficere contra Vicarium Episcopi, sive contra ipsius bona procedere*, & num. 31.
32 *Vicarius Apostolicus absque speciali commissione nequit sese ingerere in causis sive civilibus, sive criminalibus contra Episcopum.*
33 *Minor in majorem non habet imperium.*
34 *Episcopus, contra Vicarium Apostolicum sibi deputatum, nequit procedere.*
35 *Nec potest tenere Vicarium, usqueque durat Vicarius Apostolicus, sive quicquam expedire, quod spectet ad suam jurisdictionem ordinariam*, num. 36. *vel exequi literas Apostolicas, sibi directas*, num. 37.
38 *Pontificales functiones, solemnia celebrare, aliave similia facere nequit Vicarius Apostolicus; id tamen curare tenetur, ut omnia ritè, rectèque peragantur*, & num. 39.
40 *Vicarius Apostolicus à censuris, S. Sedi reservatis, nequit absolvere.*
41 *Nec personas, aut res è loco immuni extrahi facere*, & num. 42.
43 *Neque etiam Cadaveris extractionem ab hujusmodi loco permittere, pro recognitione corporis delicti.*
44 *Vicarius Apostolicus contra Violatores Immunitatis Ecclesiasticæ diligenter procedere debet.*
45 *In choro ubinam sedere debeat hujusmodi Vicarius*, & num. 46.
47 *Quale salarium Vicario Apostolico assignandum sit, & quænam ei debeantur emolumenta*, usque ad num. 53.
54 *Emolumenta, provenientia ex sigillo, reservantur Episcopo, nec potest Vicarius Apostolicus illa prætendere.*
55 *Vicarii Apostolici jurisdictio quomodo cesset*, usque ad num. 58.

DISCEPTATIO XII.

Prosequendo materiam jam incœptam, quæ sit Vicarii Apostolici dignitas, jurisdictio, & potestas, hic demonstrabimus. Vicarii isti Apostolici creari solent à Papa per viam *Brevis*, vel à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, concurrente legitima causâ, ad regimen alicujus Ecclesiæ malæ gubernatæ, vel alio motivo, Summo Pontifici, vel Sacr. Congreg.
1 Episcoporum benè viso. Dixi *data legitima causa* transmittendi illos, causæ enim quamplures esse possunt, ut infra demonstrabimus.

Prima causa erit, ubicumque aliquis Episcopus, se malè gerat in gubernio suæ Ecclesiæ, & populi sibi commissi, tunc enim ad evitanda majora mala, per Papam transmitti potest Vicarius Apo-
2 stolicus, pro gubernanda Ecclesia in his, quæ respiciunt actus jurisdictionales tantùm, *Sacra Congr. Episcop., & Regul. in una Vulturanen. 22. Novembris 1664. Pellegrinus in praxi Vicar. part. 1. sect. 6. post numerum tertium, vers. prima est.*

Se-

Secunda causa est, ubi Episcopus sit sordidus, & committat extorsiones, inju-
3 stè emungendo crumenas pauperum subditorum, *Sacra Congreg. Episc.*, & *Regul. in una Theanen.* 15. *Januarii* 1602. *Pellegrin. suprà vers. secunda est*.

Tertia causa est, quando Episcopus est senio confectus; itaut propter gra-
4 vem ætatem impeditus forsan, & ferè inhabilis reperiatur pro gubernio suæ Ecclesiæ, *Sacra Congreg. Episc. in una S.Agathæ* 7.*Decembris* 1582. *Pellegrin. suprà vers. tertia causa*.

Quarta causa est, ubi Episcopus fue-
5 rit suspensus à sua jurisdictione, *Sacra Congreg. Episcop. in una Tranen.* 19. *Maji* 1645., & 8.*Februarii* 1650. *Alatrina* 5. *Maji* 1651. *Melfitana* 2. *Maji* 1613. *Pellegrinus suprà vers. quarta causa*.

Quinta causa est, quando Episcopus
6 non expedivit bullas, post multos annos, à die, qua provisus fuit de Ecclesia, sed fructus Episcopatus percepit cum solo Brevi, *Sacra Congreg. Episcop. in una Ofseranen.* 9. *Septembris* 1645. *Pellegrin. suprà vers. quinta causa*.

Sexta causa est, quando Episcopus est
7 morosus in solvenda pensione, ubi tamen hoc dolo facit, *Sacra Congreg. Episcop. in una Avellinen.* 17. *Augusti* 1646., & in altera *Avellinen.* 20. *Aprilis* 1663., *Pellegrin. suprà vers. sexta causa*.

Septima causa est, ubicumque contra
8 Episcopum formandus erit processus; nam difficile esset posse delegatum inquirere, ipso Episcopo præsente in loco, & jurisdictionem exercente, *Sacra Congreg. Episcop. in una Anglonen.* 17.*Maji* 1642. *Pellegrinus suprà vers. septima causa*.

Octava causa est, si Episcopus cita-
9 tus fuerit, ut accedat ad Urbem in pœnam sui criminis, quo casu pro gubernanda Ecclesia, solet transmitti Vicarius Apostolicus, *Sacra Congreg. Episcopor. in una Cotronen.* 2. *Maji* 1653. *Pellegrin. suprà vers. octava causa*.

Nona causa est, ubicumque Episcopus
10 non vult residere in sua Diœcesi, *Sacra Congreg. Episcop. in una Cassanen.* 23. *Martii* 1619.

Decima causa est, quando Episcopus
11 non vult recipere Vicarium missum, vel deputatum à S. Sede, vel impedit ei jurisdictionis exercitium, *Sacra Congreg. Episcop. in una Theanen.* 8. *Novembris* 1614. *Pellegrin. suprà vers. decima est*.

Undecima causa est, quoties Eccle-
12 sia Cathedralis vacat ob mortem violentam Episcopi, *Sacra Congreg. Episc. in una Arianen.* 8. *Decembr.* 1645. *Pellegrin. suprà vers. undecima est*.

Duodecima causa est, quando, Sede
13 Episcopali vacante, Capitulum non concordavit in electione Vicarii Capitularis, ad normam Tridentini, & plures electi fuere Vicarii Capitulares, *Sacra Congreg. Episcop. in una Motulen.* 8. *Novembris* 1647. *Pellegrin. suprà vers. duodecima est*.

Decimatertia causa est, quando Ca-
14 pitulum, Sede vacante, elegit Vicarium indoctum, & propter ejus imperitiam multa insurrexerunt inconvenientia, *Sacra Congreg. Episcop. in una Triventina* 2.*Martii* 1646. *Tropien.* 13.*Julii eodem anno*, *Motulen.* 8. *Novembris* 1647. *Pellegrin. suprà vers. decimatertia causa est*.

Decimaquarta est, quando Vicarius
15 Capitularis vocatur ad Urbem pro sese justificando à sibi imputatis excessibus, vel ubi removendus erit pro justis causis, tunc transmitti potest Vicarius Apostolicus, *Sacra Congreg. Episcop. in una Asten.* 30. *Septembris* 1650. *Monopolitana* 2. *Maji* 1653. *Pellegr. suprà vers. decimaquarta est*.

Decimaquinta causa est, quando per
16 longum temporis spatium Cathedralis Ecclesia diu vacaverit, & non fuerit provisa de Pastore, *Sacra Congreg. Episcop. in una Alerianen.* 28. *Junii* 1649. *Ugenti a* 17. *Septembris* 1655. *Pellegrin. suprà vers. decimaquinta est*.

Decimasexta causa est, quando The-
17 saurarius generalis Rev. Cameræ, propter interesse ipsius Rev. Cam. Apostolicæ, ita censet expediens, ut mittatur Vicarius Apostolicus, *Sacra Congreg. Episcopor. in una Alerianen.* 10. *Junii* 1650. *Pellegrin. suprà vers. decimasexta est*.

Decimaseptima causa est, ubicumque
18 Papa, vel Sacra Congregatio cognoverit, ita expediens esse Divino servitio,

vitio, quieti animarum, & bono servitio Ecclesiæ, & Cleri, *Sacra Congreg. Episcopor. in una Consentina* 10. *Junii* 1650. *Pellegrin. suprà vers. decimaoctava est*. Vel ubi Sacræ Congregationi visum fuerit expediens deputare Vicarium Apostolicum, *Sacra Congreg. Episcop. in una Arianen.* 8. *Decembr.* 1645. & sic de similibus casibus Summo Pontifici, vel Sacræ Congregationi benè visis.

Postquam recensuimus causas deputandi Vicarium Apostolicum, deputatus ubi fuerit, quæ sit illius jurisdictio,
19 opus est, ut videamus. Is maximam jurisdictionem habet in Diœcesi, in qua deputatus est. Etenim habet eamdem jurisdictionem, quam habebat Episcopus, & actualiter habet in potentia, (licèt per Apostolici Vicarii deputationem, eidem impeditum sit jurisdictionis exercitium) undè regulariter circa jurisdictionalia potest facere Vicarius, quidquid poterat Episcopus, ita *Sbrozius de offic. Vicar. lib.* 2. *quæst.* 64. *num.* 6.

Ultra facultatem ordinariæ jurisdictionis sibi concessæ, eidem concedi solent multæ aliæ facultates pro tempo-
20 rum diversitate. Inter facultates solitas concedi ea est, ut possit exequi literas Apostolicas, Episcopo, vel ejus Vicario directas, ac si eidem Vicario Apostolico dirigerentur: & ita declaravit in casu dubio *Sacra Congreg. Episcop. in una Bisinianen.* 18. *Maji* 1632. *Pellegrin. suprà num.* 5.

Eique pariter videtur concessum, vi-
21 sitare Diœcesim, ut ex literis patentalibus. Eidem tamen Vicario Apostolico Diœcesim visitanti non debetur inte-
22 gra procuratio, sed tantum medietas procurationis, ubi illa datur in pecunia, ut ex *Sacra Congreg. Concil. in una Hieracen.* 14. *Martii* 1682.

Pariter eidem permissum est, ut possit convocare Diœcesanam Synodum, ac
23 illam celebrare absque interventu Episcopi, quatenus ipse Episcopus fuerit in Diœcesi, *Sacra Congreg. Episcop. in una Licien.* 22. *Septembris* 1628.

Ac etiam pariter concursum convo-
24 care, ubi Ecclesia curata orbata fuerit suo Pastore, & quem magis idoneum agnoverit, ad Dominum Datarium mittere, cum fide approbationis, ut ab eo collationem obtineat, *Sacra Congreg. Episc. in una Bisinianen.* 16. *Maji* 1653. *Sessana* 9. *Julii* 1660. *Pellegrin. suprà num.* 8.

Non solùm potest, sed etiam tenetur
25 invigilare, super manutentione introituum mensæ Episcopalis, & ne bona mensæ dilapidentur, cum ad ipsum hoc spectet, *Sacra Congreg. Episcop. in una Tranen.* 7. *Junii* 1652.

Undè quatenus bona pertinentia ad
26 Episcopalem mensam fuerint asportata in loco immuni, ei datur facultas extrahendi, & assecurandi illa, ut ex *Sacra Congreg. Immunitatis in una Hieracen.* 19. *Februarii* 1695. *lib.* 1. *decr. Vallem.* Non potest verò se intromittere circa redditus Mensæ Episcopalis, nisi in quantum sibi debetur pro suo interesse, & salario, *Sacra Congreg. Episcop. in una Lancianen.* 17. *Novembris* 1646.

Interdictum autem est Vicariis Apo-
27 stolicis literas dimissoriales ad ordines suscipiendos concedere, licèt hoc sit de potestate jurisdictionis, non autem ordinis Episcopalis, *Sacra Congreg. Episcop. in una Tranen.* 9. *Junii* 1645., & in alia *Ugentina* 8. *Octobris* 1655.

In Statu verò Ecclesiastico solet hoc
28 prohiberi expresè Vicariis Apostolicis, quoad ordines tantùm sacros suscipiendos, *Sacra Congreg. Episcop. in una Terracinen.* 26. *Junii* 1648.

Pariter ei videtur interdictum beneficia simplicia conferre, ut ex solito Bre-
29 vi, vel literis Apostolicis, solitis concedi, & dari hujusmodi Vicariis, nisi aliter habeatur ex Brevi, vel literis ipsis, *Pellegrin. suprà num.* 12.

Interdictum quoque videtur eidem Vicario Apostolico, processum infor-
30 mativum sumere contra Vicarium suum antecessorem, ac bona illius sequestrare, ad instantiam alicujus personæ, quamvis privilegiatæ, sine licentia Sacræ
31 Congregationis. Eoque minus sese intromittere valet in causis personam Episcopi concernentibus, sive civiles, sive
32 criminales, aut mixtæ illæ fuerint; eo quia minor in majorem jus dicere non valet, *cap. inferior*, *cap. denique* 21. *dist.*
33 Nisi illi specialiter fuerit hoc commissum

sum à S.Sede, vel Sacra Congregatione, *Sacra Congreg. Episcop. in una Cajacen.* 20. *Aprilis* 1640.

Et sicuti Vicarius Apostolicus non potest se intromittere in causis Episcopi,
34 ut ex dictis, ita pariter neque Episcopus se intromittere valet, in consulto Papa, vel Sacra Congregatione in causis Vicarii Apostolici; itaut, si ipse delinquat, Episcopus non potest contra illum informationes capere, nec quidem finito officio, *Sacra Congreg. Episcop. in una Theanen.* 30. *Martii* 1612. *Monopolitana* 16. *Octobris* 1627.

Ita pariter videtur eidem Episcopo prohibitum, ne possit tenere Vicarium
35 generalem, tempore, quo adest constitutus Vicarius Apostolicus; neque ullo modo se ingerere valet in negotiis
36 tangentibus jurisdictionem, imò neque potest exequi literas Apostolicas sibi di-
37 rectas sub nomine *dignitatis*, sed omnia agenda sunt per Vicarium Apostolicum, *Sacra Congreg. Episcop. in una Nolana* 27. *Septembris* 1641.

Rursus, interdictum videtur ipsi Vicario Apostolico functiones Episcopales
38 facere, absente, vel impedito Episcopo, cum hoc spectet ad Canonicum primam dignitatem de Capitulo, vel ad secundam, impeditâ primâ, & sic de cęteris, *Sacra Congreg. Rituum in una Brundusina* 5. *Februarii* 1614. *Alatrina* 22. *Januar.* 1618. & in altera *Brundusina* 20. *Decemb.* 1621. de quibus *Barb. Summ. Apostol. decis. collect.* 715. *n.* 6.

Solemnes Missas canere, Sanctissimum Sacramentum, aut sacras Reliquias
39 paratus deferre nequit Vicarius Apostolicus, aut in aliis functionibus Ecclesiasticis se immiscere, sed tantùm præesse debet, ut omnia suo ordine rectè fiant, *Sacra Congreg. Episcop. in una Bisinianen.* 16. *Maji* 1600. *Spoletana* 22. *Decembris* 1611. *Ortonen.* 19. *Septembris* 1627.

Videtur etiam interdictum Vicariis Apostolicis, ne possint absolvere inno-
40 datos aliquâ censurâ, absolutio cujus spectet ad S. Sedem, etiam sub prætextu, aut causa legitima, *Sacra Congreg. Immunitatis in una Consentina* 10. *Maji* 1633. *lib.* 2. *decr. Paulutii.*

Circa verò confugiatos in Ecclesia, vel alio loco immuni, auctoritatem non
41 habet Vicarius Apostolicus extrahendi illos, quod idem locum habet quoad res traductas ad locum immunem, il-
42 losque extractos, ac bona extracta, è loco prædicto, tenetur restituere loco ipsi immuni, quia ante omnia Ecclesia restituenda est, *Sacra Congreg. Immunit. in una Nolana* 2. *Aprilis* 1695. *lib.* 1. *decr. Valleman.*

Imò non solùm extrahere nequit confugiatos in Ecclesia, sed neque permit-
43 tere debet, ut extrahatur cadaver ab Ecclesia pro recognitione corporis delicti, habenda à Judice laico; adeout in casu quo id fecerat Vicarius hujusmodi, reprehensus fuit, ut ex *Sacra Congreg. Immunitat. in una Sorana* 13. *Januarii* 1699. *lib.* 1. *dec. Valleman.*

Insuper reprehensione dignus erit Vicarius Apostolicus, ubicumque reni-
44 tens fuerit procedere contra violatores Immunitatis Ecclesiasticæ, *Sacra Congreg. Immunit. in una S. Agathæ Gothorum* 10. *Februarii* 1699. *eodem lib.* 1. *dec. Valleman.*

Quem locum habere debeat Vicarius Apostolicus in Choro, aliisque sessioni-
45 bus, videre est. Et dicimus quòd, ubicumque ille non fuerit Canonicus propriæ Cathedralis, eidem debetur præcedentia, super omnes de Capitulo; non debet tamen sedere in solio Episcopali, *Sacra Congreg. Episcop. in una Cajetana* 22. *Januarii* 1596.

Quod si dignior sedes Chori esset occupata, tunc dignitates, & Canonici
46 descendere debent inferiùs, relinquendo majorem locum ipsi Vicario Apostolico, eadem *Sacra Congreg. Episcop.* 20. *Augusti* 1589., *& in una Licien.* 14. *Augusti* 1590.

Ejus verò salarium quale esse debeat, sequitur ut videamus. Vicario Apo-
47 stolico constitui debet salarium scutorum biscentum monetæ Romanæ pro singulis annis ex fructibus mensæ Episcopalis solvendum, nisi in Brevi Pontificis aliter exprimeretur; & scuta quinquaginta ejusdem monetæ pro accessu, & recessu, idest scuta vigintiquinque pro accessu,
48 & totidem pro recessu; licèt aliquando taxetur plus, vel minus, attentâ locorum distantiâ, eadem *Sacra Congreg. Epi-*

Episcoporum in una Caputaquen. 20.*Septembris* 1580. *Cajacen.* 17. *Februarii* 1603.

Scuta vigintiquinque pro recessu, de-
49 bentur, tempore quo recedit, *Sac. Congreg. Episcoporum in una Cajacen.* 23. *Novembris* 1640.

Scuta verò quinquaginta pro accessu, & recessu debentur Vicario Apostolico, quoties ipse fuerit extraneæ Diœ-
50 cesis; Etenim si deputaretur aliquis, qui residet in Civitate, vel Diœcesi; non potest aliquid prætendere pro accessu, & recessu, *Sacra Congreg. Episcop. in una Bisinianen.* 9. *Junii* 1645. *Triventina* 2. *Martii* 1646.

Salarium, de quo suprà, non incipit à die, quo quis constitutus est Vicarius,
51 sed à die captæ possessionis, & quo cœpit jurisdictionem exercere, *Sacra Congreg. Episcop. in d. Cajacen.* 23. *Novembris* 1640.

An verò dictum salarium scutorum bis centum, constituendum erit indefinitè cuicumque Apostolico Vicario, sive redditus Ecclesiæ fuerint pingues,
52 sive tenues? & certum est quod ubicumque redditus Ecclesiæ fuerint tenues, itaut detracta provisione prædicta, non posset Episcopus decenter sustentari, cum eo quod remanet; tunc provisio Vicarii venit diminuenda, habita ratione paupertatis Ecclesiæ, *Sacra Congreg. Episcopor. in una Nullius Altamuræ* 7. *Decembris* 1604. & in altera 2. *Augusti* 1647. & in *Ferentinen.* 22. *Augusti* 1653. & *Cotronen. ejusdem anni* 3. *Octobris*.

Ultra provisionem prædictam debentur Vicario Apostolico solita emolumenta Vicariatus, & honoraria pro de-
53 cretis. Non potest tamen recipere emolumenta, quæ proveniunt ex sigillo; nam
54 illa spectant ad Episcopum, & Episcopalem mensam, *Sacra Congreg. Episcop. in una Theanen.* 21. *Augusti* 1615.

Demum est videndum, an, & quatenus cesset hujusmodi Vicarii jurisdi-
55 ctio, & potestas. Et primo cessat, ubicumque Episcopus restitutus fuerit ad gubernium Ecclesiæ, *Sacra Congregat. Episcopor. in una Beneventana* 14. *Februarii* 1652. *eadem Sac. Congreg. Episcop. in una Hieracen.*

Sicuti etiam, ubi post deputationem, Vicarius Apostolicus fuerit detectus
56 infamis, malæ vitæ, & conditionis, aut aliquid egerit contra formam præscriptam à Papa in Brevi, vel in literis facultativis, concessis à Sacra Congregatione, & ita de similibus casibus.

An verò illius jurisdictio, & potestas cesset morte Episcopi; itaut illius gubernium statim pertranseat ad Capitulum Cathedralis: & in hoc duas invenio sententias Sacræ Congregat. Episcoporum; prima est, ut statim, ac mortuus fuerit Episcopus, cujus locum occupabat
57 Vicarius Apostolicus, quoad jurisdictionales actus, statim Capitulum subintret in locum Episcopi, itaut cessare videatur potestas Vicarii Apostolici, ut ex *d. Sacra Congreg. Episcop. in una Ragusina* 16. *Januarii* 1665.

Secunda verò est, jurisdictionem Vicarii Apostolici non cessare per mortem Episcopi, sed illam perdurare usque ad novum ordinem Papæ, vel Sacræ Congregationis, ut ex *d. Sac. Congreg. Episcop. in una Hieracen.* 26. *Aprilis* 1686. & in altera *S. Agatæ Gothorum* 22. *Maji* 1699.

Cui quidem secundæ sententiæ adhæreo: Etenim, cum ipse Vicarius Aposto-
58 licus sit deputatus à Papa, valet dici Papæ delegatus; ideoque non debet relinquere gubernium, ipso Papa inconsulto, nam aliter esset in culpa.

ARGUMENTUM.

De Vicario perpetuo, vel amovibili, ad curam animarum regendam destinato, ubi ex quo agnoscatur, an sit perpetuus, vel amovibilis.

SUMMARIUM.

1 *Vicarii Curati alii sunt perpetui, alii amovibiles.*

2 *Unio beneficii Curati alicui Ecclesiæ Collegiatæ, vel Monasterio, dupliciter fit: accessoriè, vel pleno jure.*

3 *In beneficio, unito accessoriè, constitui debet Vicarius perpetuus: ubi verò unio fuerit pleno jure, deputatur* *Vica-*

Vicarius ad nutum amovibilis, n.4. & num.15. cum seqq.

5 *Cura animarum inhærens beneficio, quod fuit plenariè unitum Collegio, habitu residet penes ipsum Collegium, & actu apud Vicarium deputatum*, & num.7. ac num.20. & 21.

6 *Beneficium, pleno jure unitum, efficitur membrum, atque prædium Ecclesiæ, cui unitur*, & num.25.

8 *Vicarius Ecclesiæ, pleno jure unitæ, tanquam nudus minister, potest ad libitum amoveri.*

9 *Unio, num plenaria fuerit, vel potiùs accessoria, quomodo dignoscatur*, & num.10. cum seq.

11 *Conjecturis non est opus, ubi verba sunt clara.*

17 *Vicarius amovibilis potest deputari, quoties beneficium est subjectivè unitum Capitulo, etiamsi in bulla unionis caveatur, curam animarum à Capitulo esse exercendam perpetuò per Vicarium.*

18 *Perpetuitas relativè ad exercitium, potest à pluribus diversis personis impleri.*

19 *Institutio Collativa Episcopi perpetua est; secùs si fuerit auctorizabilis.*

22 *Institutio auctorizabilis respectu beneficii Curati, plenariè uniti, spectat ad Episcopum loci Ordinarium.*

23 *Verbum* instituere *quandoque sumitur impropriè, ad significandum quemcumque modum prævidendi*, & nu.24.

26 *Beneficium unitum non dicitur ampliùs vacare; & affertur ratio.*

27 *Vicarii perpetui deputari debent ab Episcopis, prævio examine, in iis locis, ubi Vicariæ perpetuæ Apostolicâ auctoritate fuerint erectæ.*

28 *Vicarius perpetuus, tanquam verus Parochus, tenetur ad residentiam. Atque in domo Parochiali, vel intra Parochiæ fines habitare*, num.29.

30 *Dispositio, quæ loquitur de Parochiali procedit etiam in Vicariis perpetuis.*

31 *Vicarius perpetuus loco Parochi est, eique incumbit cura suarum ovium. Et potest compelli etiam infra annum ad suscipiendum ordinem Presbyteralem*, num.33.

32 *Vicario perpetuo debetur congrua, quemadmodum Parocho.*

34 *Vicarius perpetuus agere potest pro juribus suæ Ecclesiæ, absque alio mandato.*

35 *Vicarius perpetuus sine gravi causa nequit amoveri.*

36 *Curæ animarum magis consultum remanet per deputationem Vicarii perpetui, quàm amovibilis.*

37 *Vicarius deputandus Ecclesiæ unitæ Collegio, vel Monasterio, Episcopo debet esse probatus.*

DISCEPTATIO XIII.

Dantur, & alii Vicarii ad gubernium curæ Animarum, qui aliquando sunt perpetui, aliquando verò ad nutum amovibiles: undè ubicumque fuerint perpetui, veri Parochi obtinent no-
1 men: secùs verò ubi fuerint amovibiles ad nutum illius, qui ad tale munus deputavit illos. Quæ verò sit differentia inter unam, & alteram speciem Vicarii, quod multum interest scitu, ex infrascriptis habebis, ò amice Lector.

Scias pro intelligentia præsentis materiæ; beneficium cum cura animarum,
2 aliquando esse annexum Cathedrali, Collegiatæ, Monasterio, Collegio, vel simili loco, accessoriè, aliquando verò pleno jure.

Ubicumque beneficium curatum accessoriè fuerit unitum Collegiatæ, Col-
3 legio, vel Regularium Monasterio, vel simili, hoc casu in Ecclesia curata relinqui debet Vicarius, qui perpetuò inservire debet Ecclesiæ prædictæ: & tunc qui habet beneficium unitum, non potest illi deservire per se, invito Vicario perpetuo; cùm iste dicatur verus Parochus, ad *Text. in c. Extirpandæ* §. *Qui verò de Præben.* ibi: *In ipsa Parochiali Ecclesia, idoneũ, & perpetuum habeat Vicarium, Canonicè institutum, qui congruentem habeat de ipsius Ecclesiæ proventibus portionem*; *cap.1. eodem tit. in 6. cap. unico de Capell. Monach. Barbosa de Jure Eccles. lib.3. cap.6. num.3.*

Dixi *ubi accessoriè* tantùm; etenim ubi Parochiale beneficium fuerit unitum Cathedrali, vel Collegiatæ Eccle-
4 siæ, vel Collegio, Monasterio, aut simili, pleno jure, cum omnibus actionibus, aliisque prærogativis; quia om-

nimoda cura videtur translata in ipsum Capitulum Cathedralis, vel Collegiatæ Ecclesiæ, sive in ipsum Collegium, Monasterium, vel simile, apud quæ animarum cura residet, possunt ab his pro libito deputari Vicarii, ad nutum amo-
5 vibiles; nam cura habitualis residere videtur penes ipsum Capitulum Cathedralis, vel Collegiatæ Ecclesiæ, Collegium, Monasterium, vel simile; actualis verò cura residet penes Vicarium deputatum, qui curam animarum gerit, *Felin. in cap. Postulasti de Rescript. Rota recent. part.* 18. *decis.*400. *num.*2. *&* 3.

Undè fit quòd Ecclesia tali modo unita, videlicet pleno jure, à primæva sui
6 natura recedit, & reputatur membrum, & grangia Ecclesiæ, cui unita fuit, *Felin. in cap. cum in nostra de Rescript. num.*30. *Oldradus cons.*255. *n.*13. *Gonzalez ad Regulam* 8. *Cancell. Glossa* 5. §.7. *num.*2., *&* 3. *Rota coram Cavalerio decis.*330. *n.*1., *& recent. part.*14. *decis.*10. *num.*1.

Ac proindè, cùm habitualis cura videatur residere penes Capitulum &c.
7 Actualis penes Vicarium à Capitulo, vel &c. deputatum, ab Ordinario loci
8 approbandum, hujusmodi Vicarius nudum Ministerium habere dicitur cum jure congruæ pro ejus labore; proindè ad libitum Capituli amoveri potest, *Rota d. decis.*10. *part.*14. *num.*2., *&* 3. *Fagnan. in cap. Ex parte num.*12. *de offic. Vicarii*, *& in cap. ad Monasterium num.*38. *&* 39. *de statu Monachorum*.

In materia, de qua supra, an unio Ecclesiæ Parochialis dicatur accessoriè facta Capitulo, Collegio &c. An verò pleno jure; consideranda sunt verba litterarum Apostolicarum ipsam unio-
9 nem continentium: etenim aliquando mutatur tantùm nomen Rectoris in Vicarium simpliciter; quo casu, cùm nomen Vicarii sit subrogatum in nomen Rectoris, Vicarius dicitur perpetuus, & non amovibilis ad nutum Rectoris Collegiatæ, Monasterii, vel Collegii, cui fuit annexa: ut in casu, de quo disputatum fuit per *S. Rotam Recent. part.* 18. *decis.*400. *num.*4. *& per totam*, ubi *num.*3. *habetur*, quod si ipsa unio Parochialis fuit facta Collegiatæ, cum omnibus suis juribus, & redditibus; hoc casu videtur cura habitualis residere penes Capitulum Collegiatæ; actualis verò penes Vicarium Curæ prædictæ.

Dixi, esse recurrendum ad lecturam litterarum Apostolicarum, materiam unionis continentium: Undè sciendum
10 est, quòd ubi verba Apostolicarum literarum fuerint clara, tunc sumus extra quæstionem; etenim quod clarum est, nullâ indiget interpretatione; *l. ille aut ille ff. de legatis* 3.

Quoties verò verba non sunt clara,
11 recurrendum erit ad conjecturas, ex quibus desumi potest, quæ fuerit mens Papæ, an illam voluerit unire accessoriè, vel pleno jure: ex quibus trahitur successivè, an Vicarius deputandus debeat esse perpetuus, vel ad tempus, scilicet amovibilis ad nutum.

Itaque, si tempore, antea elapso,
12 Vicarius fuerit nominatus à Capitulo Collegiatæ, vel à Monasterio &c., hęc est conjectura quod cura habitualis penes Capitulum resideat, *Rot. d. dec.*400. *num.*7.

Rursus si quis antea de Vicariatu fue-
13 rit provisus à S. Sede Apostolica, vel ordinario, tamquam de libera collatione, Vicarius censetur perpetuus, *Rota d. dec.*400. *n.*8., *&* 17.

Item, ubicunque Vicario in ipsa
14 unione fuerint assignata, & reservata omnia bona, ac redditus Rectoriæ, seu Parochiæ suppressæ, & unitæ Capitulo, Monasterio, Collegio, vel simili, hoc casu tam cura actualis, quàm habitualis videtur residere penes ipsum Vicarium; itaut possit dici perpetuus, *Rota rec. part.*9. *dec.*37. *nu.*7., *& dec.* 400. *n.*9. *supra part.*8.

Nec desunt jura, ex quibus constat, quod ubi Ecclesia Parochialis secularis fuerit unita Monasterio, vel dignitati
15 Cathedralis, vel Collegiatæ, debeat gubernari per Vicarium perpetuum, *ad Text. in cap. extirpandæ* §. *Qui verò de præbendis*, *glossa in Clem. unica V. Parochialem*, ubi Doctores *de offic. Vicarii*. *Rota rec. part.*7. *dec.*5. *num.*7., *& part.*14. *dec.*10. *n.*4.

Verùm hæc jura procedunt, & locum habent in unione tantùm simplici-

ter

ter facta, cujus vigore superior Eccle-
16 siæ, cui facta fuit unio, tenetur ad-
ministrare curam in Ecclesia unita, per
Vicarium perpetuum, ut colligitur ex
præcitata *decis.*10. *numer.*5. *part.* 14.
rec.

Secùs tamen videtur, ubicunque
unio facta fuerit Capitulo, Collegio,
vel Monasterio non accessoriè, sed ple-
17 no jure, & subjectivè; nam tunc Ca-
pitulum, Collegium, sive Monaste-
rium &c. tenetur curam exercere per-
petuò per suum Vicarium; non est igi-
tur, quod d. Vicarius electus sit perpe-
tuus, sed perpetuò Ecclesia debet per
Vicarium gubernari; ac proindè ad
18 nutum constituentis ille amoveri po-
terit; *glossa in Clem. unica* §. *quidam
etiam de excessibus prælat. Lotter. de re
benefic. lib.*1.*qu.*33. *num.*93. *Rota Re-
cur. part.*7. *dec.*5. *num.* 7., *& part.* 9.
*dec.*88. *num.*1., *&* 17.,*& part.*14. *dec.*
10. *num.*6.: Undè perpetuitas conside-
ratur in Vicario ratione exercitii, &
onerum, quæ subire tenetur, non ve-
rò quod Vicarius deputatus debeat esse
perpetuus: *Rota dicta decis.* 10. *num.*8.
*part.*14. *rec.*

Neque obstat, ad inducendam per-
petuitatem, dicere, Vicarium fuisse
institutum ab Ordinario; ac proinde
dici perpetuum. Etenim hoc locum
haberet, quotiescunque institutio esset
19 facta per viam Collativæ institutionis,
*ad Text. in cap. unico de statu Monacho-
rum*, *Rota Recent. part.*16. *decis.*93.
*num.*6.

Secùs verò ubi institutio facta ab
Episcopo, fuit quædam institutio Au-
ctorizabilis tantùm, quæ potiùs sonat
in approbationem personæ deputatæ in
Vicarium: sicuti in casu deputationis
factæ à quodam Abbate cujusdam Mo-
nasterii, cui fuerat unita principaliter,
& pleno jure, quædam Parochialis Ec-
clesia, *ut ex S. Rota d. dec.*93. *num.*7.
*part.*16. *rec.*

Etenim implicat, quod Vicarius pos-
sit dici perpetuus, quoties institutio
Vicarii temporalis facta fuit ad no-
minationem Abbatis, qui illum tanquam
amovibilem nominat: *Rot.d.dec.*93.*n.*8.,
*& sequentibus part.*16. *rec.*

Parochialis igitur Ecclesia, ubi fue-
rit unita alicui Monasterio Collegio,
vel Capitulo, aut simili, extinctivè,
20 & per viam incorporationis, Mona-
sterium, Capitulum, vel Collegium
aut simile, dicitur verus Parochus;
proinde Sacerdos, ab eo deputatus, di-
citur nudus minister, & consequenter
21 amovibilis ad nutum ipsius constituen-
tii: *Fagn. in cap. ex parte num.*12. *de
Offic. Vicarii*, *Rota Recent. part.*16.
*d. decis.*93. *n.*1.,*& per totam*.

Nec interest, si ex ipsa unione Paro-
chialis Ecclesiæ, facta Monasterio, ap-
pareat quòd Vicarius sit instituendus
22 ab Episcopo, ut docet *Abbas in cap.
cum plantare n.*6. *de privilegiis*, ubi
dicit, quod licet Ecclesia sit pleno jure
subjecta Monachis; quoties non est sub-
jectus populus, institutio anctorizabi-
lis, quoad curam populi, spectat ad
Episcopum; & ideò Vicarius debet es-
se perpetuus, sicuti dicuntur perpetui
præsbyteri, qui per Monachos ad cu-
ram populi in eorum Ecclesiis præsen-
tantur Episcopo, ut ab ipsis instituan-
tur, *ad Text. in cap. unic. de Cappellis
Monachorum in* 6.

Quia verbum *instituere* hoc casu lar-
23 gè sumitur, continetque quemcunque
modum providendi, ut docet *Barbosa
de Episcop. alleg.*72. *n.*172.

Et in specie quod accipiatur pro de-
24 putatione Capellani, seu Vicarii, amo-
vibilis ad nutum constituentis, docet
Rot. cor. Gregorio XV. *dec.*370. *n.*5. *in
Recent. part.*15.*dec.*49.*n.*24.*& sequen-
tibus*.

Ad doctrinam *Abbatis supra in d.
cap. cum plantare*, responderi potest,
eam procedere in Ecclesiis, alio modo
25 Monachis subjectis, quàm per unio-
nem, factam pleno jure, & per viam
incorporationis; etenim in iis non po-
test quis, propriè loquendo, institui,
ut docet *Garz. de benefic. part.*12.*cap.*2.
*num.*52. *Barbosa de Parochis cap.*1. *nu.*
69. *Tondut. Resol. benefic. part.*2.*cap.*1.
§. 5.*n.*9., cùm per hanc unionem, & in-
corporationem, extinguatur titulus Pa-
rochialis; ita ut non possit dici Ecclesia
Parochialis, sed translata tota cura in
Monasterium, & suum superiorem, Ec-
clesia Parochialis remanet merum præ-
dium, & grangia Monasterii, ut do-
cet

cet *Garz. de benefic. part. 12. cap. 5. num. 192. Rot. Recent. part. 15. dec. 49. n. 29., & duobus sequentibus*, ubi Doctores.

Undè fit, ut beneficium ipsum Parochiale, tali modo unitum, nunquam
26 vacare dicatur; ex eo quia Monasterium, Capitulum, vel Collegium, cui fuit unitum, nunquam superiore carere videtur, ac proinde nunquam vacat, *Rota coram Cavalerio dec. 330. n. 5., & 6.*, & sic superior d. Monasterii, Capituli, vel Collegii, cui facta fuit unio Parochialis, potest exercere ea omnia, quæ possunt exercere alii Rectores, *Rota d. dec. 49. n. 33.*

Dantur & alii Vicarii perpetui, & sunt ii, qui deputantur ab Ordinariis locorum, Monasteriis, Conventibus,
27 Hospitalibus, Collegiis, aliisque Ecclesiis, & beneficiis, in quibus pro regimine, & cura animarum, illis subjectarum, sunt erectæ auctoritate Apostolica Vicariæ perpetuæ; nam post erectionem prædictam, hujusmodi Vicarii admitti debent auctoritate ordinarii, prævio examine, ad formam præscriptam à *Tridentino sess. 24. cap. 16. de Reform. Garz. de benefic. part. 9. cap. 2. n. 285. Fagn. in cap. ex parte nu. 67. de Clericis non resident.*

Posito quod Vicarii perpetui dicantur veri pastores, scias, eosdem teneri ad residentiam in eorum Ecclesia, uti
28 veri Parochi tenentur, *ad Textum in cap. ex parte de Offic.* V*icarii* ibi: *in quibus Vicarias obtinent, resideant*, & ibi *Fagn. num. 2., & 3.* undè fit, ut quemadmodum Parochus tenetur habitare in domo Parochialis Ecclesiæ,
29 quatenus adsit, sin minus infra limites Parochiæ, ut alias diximus, ita Vicarius ipse, ut ex *Fagnano sup. num. 3.* & DD. communiter.

Et pro regula constituitur, ut dispositio loquens de Parochiali habeat
30 locum in Vicaria perpetua, quæ venit appellatione beneficii curati, ut in *Clem. 1. de Offic. Vicarii*; nam Vicarii perpetui, apud quos tota cura animarum residet, habent suum titulum, ac propriè Rectores dicuntur, eisque in-
31 cumbit ex officio gregem sibi ipsis commissum pascere, ut latè ex *Fagn. in d. cap. ex parte de Officio* Vi*carii n. 19. & sequentibus*.

Istis Vicariis perpetuis debetur congrua portio fructuum, quæ non debet esse major scutorum centum, nec minor quinquaginta, assignanda super fructi-
32 bus beneficii; posito quod non fuerit assignata à Sede Apostolica in ipsa erectione, unione, vel simili, ut statuit S. Pius V. in sua Constitutione, quæ incipit *Ad exequendam: Barbosa de Jure Eccles. lib. 3. cap. 6. num. 43.*

Obtinens Vicariam perpetuam, quia dicitur verus Curatus, potest compelli etiam infra annum, ad suscipiendum
33 ordinem presbyteratus, non obstante pœna privationis ipso jure, quæ imponitur à jure, ut doctè de more suo, *Fagn. in d. cap. Ex parte num. 25.*

Et possunt hujusmodi Vicarii agere pro juribus concernentibus suam Vica-
34 riam absque alio mandato, cum habeant verum titulum, ad *Text. in d. Clem. 1. de offic. Vicarii, Fagnan. suprà num. 28.*

Hujusmodi Vicarii perpetui non pos-
35 sunt sive gravi causa amoveri, ad *Text. in cap. ad hæc*, & ibi *Glossa, de offic. Vicarii, cap. 1. de Capellis Monach. in 6.* Ratio est, quia Vicaria perpetua dicitur verum beneficium, *Garz. de benefic. part. 9. cap. 2. num. 285.*, undè minimè removeri potest hujusmodi Vicarius absque causa legitima, ut ex *d. Clem. 1. & c. ad hæc de offic. Vicarii, Abbas ibid.*

Imò non solùm non erunt amovendi Vicarii perpetui, sed esset consu-
36 lendus Papa, ut in beneficiis unitis Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis, vel similibus, constituantur Vicarii perpetui, non autem amovibiles: & suadetur, quia ob mutationum frequentiam, vel ob periculum amotionis, seu aliam causam consimilem, vix reperiuntur Vicarii, qui qualitates habeant requisitas ad curam animarum exercendam: quod, quàm sit Ecclesiis, atque ovibus perniciosum, patet ex *cap. grave de præbendis, cap. indecorum est, & cap. penultimo de ætate, & qualitate*, latè *Fagnan. in cap. ex parte de offic. Vicarii.*

Demùm ad materiam, de qua agimus, nota, quod ubicumque Parochialis Ecclesia fuerit unita Monasterio, Capitulo,

37 lo, aut simili, tunc Vicarius, deputatus à Superiore Monasterii, debet examinari ab Episcopo loci ordinario circa illius scientiam, vitæ bonitatem, & similia, ad *Tridentin. sess. 25. cap. 11. de Regular.* Rota post Murgam ad *Constitut. Apostol. decis. 4. & decis. 13. num. 7.* & ita ex *Constitut. S. Pii V. la 47. Barbosa alleg. 72. n. 185. Emus Card. Petra ad const. Calisti III. tom. 5. sect. 2. n. 127.* & nos latè de Episcopis, quoad Regulares.

ARGUMENTUM.

De Vicario temporali, ad curam animarum deputato, qui dicitur Oeconomus, *ubi à quo deputari possit, & quæ sit ejus facultas?*

SUMMARIUM.

1 *Vicarius, pro cura animarum, quandoque deputatur ad tempus, qui nuncupatur Œconomus.*

2 *Deputatio hujusmodi Vicarii fieri solet ab ipso Parocho, vel ab Ordinario, rationabili concurrente causâ; & quodnam adsit discrimen inter deputationem unius, atque alterius.*

3 *Quibus concurrentibus causis possit Episcopus Vicarium, seu Œconomum deputare*, usque ad num. 17.

DISCEPTATIO XIV.

Datur alia species Vicarii, qui dicitur etiam *Oeconomus*, aut *Vice-Curatus*, ad gubernium curæ animarum destinatus, qui solummodò ad tempus
1 præfigitur. Vicarii hujusmodi aliquando deputantur ab Ordinario loci, datâ legitimâ causâ: aliquando verò ab ipso Parocho principali, cum hac differentia: nam ubicumque aliquis deputatus fuerit ab Ordinario loci, non potest amoveri ab ipso Parocho; deputatus ve-
2 rò ubi fuerit à Parocho, hic ad sui libitum illum amovere valet, etiam sine causa, ita *Fagnan. in cap. ad Monasterium num. 38. de statu Monachorum.*

Quod secùs videtur, ubi fuerit deputatus ab Ordinario, ut dixi, datâ legitimâ causâ. Causæ, ob quas dari possit Vicarius temporalis pro gubernio Parochialis Ecclesiæ habentis animarum
3 curam, quamplures sunt. Prima causa erit, ubi Ecclesia Parochialis viduata fuerit suo Pastore; tunc enim statim Ordinarius loci debet Ecclesiæ vacanti deputare Vicarium temporalem, qui dicitur *Oeconomus*, seu *Vice-Curatus*: quod locum habet, sive Ecclesia fuerit
4 liberæ collationis, sive de Jurepatronatus, juxta dispositionem *Tridentin. sess. 24. cap. 18. de Reform.* ibi = *Debeat Episcopus habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore provideatur* = *Sacra Congreg. Concil. in una Pisana 17. Martii 1696.*

Secunda causa est, quoties Parochus ex legitimo motivo cogitur abesse à sua
5 residentia ad longum tempus; tunc enim deputandus erit Vicarius ab ipso loci Ordinario, ne oves remaneant sine Pastore, ad *Textum in cap. Relatum de Clericis non residentibus*, ibi = *Nisi forte de licentia suorum Prælatorum &c.* ubi *Fagnan. num. 20.*, & ita *ex Trident. sess. 23. cap. 1. de Reform.*, quæ quidem
6 discedendi facultas in scriptis concedenda erit, & gratis, nullo recepto pretio, etiam pro sigillo, ut ex *eodem Tridentin. d. cap. 1.* Et non erit danda ultra bimestre tempus, ut ex *d. cap. 1. Tridentini.*

Et licèt aliquando videatur permis-
7 sum, Vicarium posse eligi ab ipso Parocho, approbandum verò ab ipso Ordinario, ut ex *Sacra Congreg. Episcopor. & Regular.* resolutum habemus, *in una Militen. 7. Decembris 1691., & in eadem 7. Junii 1692.* Attamen tunc approbatio ipsa videtur haberi loco licentiæ, ac si expressè ab Ordinario data illa fuisset, ut nos latè, ubi de Clericis non residentibus sermonem habebimus.

Tertia causa est, ubicumque Rector principalis non explet munus suum, vel
8 explere non valet, ex quo sit nimis occupatus, ut habetur ex *Text. in cap. 1.*
9 *de celebrat. Miss.*, ac etiam ubi peregrinari

nari contingat, ad *Text. in cap. fin. de voto*: ita quoque, quando Rector non
10 intelligit linguam populi sibi commissi, *cap.3. de offic. Ordin.*

Vel etiam ubi ita expostulet necessi-
11 tas, vel utilitas Ecclesiæ, *argum. Text. in cap. exposuisti de præbendis*.

Ita etiam ubi Rector ingreditur Re-
12 ligionem, *cap. de Monachis de præbendis*.

Sicuti etiam quando Rector non ha-
13 bet ætatem *cap.2. de ætate, & qualitate*.

Quarta causa est, ubi Rector princi-
14 palis fuerit morbo affectus, ad *Text. in cap.5., & toto titulo de Clerico ægrotante*, ubi *Fagnan. num.1. & sequentibus*.

Locum habet supradicta conclusio, etiam ubicumque morbus fuerit incura-
15 bilis; etenim hoc casu ne afflicto injungatur afflictio; imò ut potiùs ipsius miseriæ misereatur, dandus ei erit Vicarius, sive Coadjutor, ut habetur ex *citato Textu in cap. ex parte*, ubi *Fagnan. num.4. & 5.*, non verò erit privandus beneficio: facit *Text. in cap. unico §. Verum eodem tit. in 6.* concordat *Text. in cap. Consultationibus de Clerico ægrotante*, ubi *Fagnan. num.40.*, & *Text. in cap. scripsit 7. quæst.1.*, ubi *Gregor.* ita inquit: *Injustum est, ut si molestia corporis irruit, honore suo privetur ægrotus: atque ideò hoc per nos nullatenus fieri potest, ne peccatum in mea anima ex ejus depositione veniat*: Concludendum est igitur, quod ubi Rector beneficii in morbum inciderit, tunc ei dandus erit Coadjutor tantum, non autem venit privandus suo beneficio.

Quinta causa est, ubicumque Parochus principalis admonitus ab Episco-
16 po, quatenus accedat ad examen, ut de illius scientia, & literatura certam cognitionem habeat, renuerit accedere; undè hoc casu apponere valet illi Vicarium, eumdemque Parochum suspendere ab exercitio, neque removendus erit, nisi Parochus, se submittendo examini, idoneus repertus fuerit, *Sac. Rot. recent. part.19. dec.258. per tot.*

Vicarius, ubi deputatus fuerit à Parocho, ut dicitur. *per suo sotto Cura-*
17 *to*, ab eodem removeri potest pro suo libito, ut habetur ex *Fagnan. in cap. ad Monasterium, de statu Monachorum, num.38. Rota in una Pampilonen. Vicariæ 28. Martii 1659. cor. Albergato*.

ARGUMENTUM.

De Vicario Regularium utriusque sexus, scilicet de Vicario Religiosorum, sive Monialium, & quæ sit eorum auctoritas, & potestas.

SUMMARIUM.

1 *Vicarii Regularium utriusque sexus ad id constituti sunt, ut vices Superiorum absentium, vel aliàs deficientium, suppleant*, & num.2.

3 *Vicarius in quibusdam Ordinibus Regularium assumitur loco Generalis, cum iisdem facultatibus, quarum potiuntur Generales*, & num.4.

5 *Vicariæ Monasteriorum Sanctimonialium quando, & qualiter eligantur*, & num.6. & 9.

7 *Vicariarum hujusmodi officium ultra triennium non porrigitur*.

8 *Quæ tamen functa est superiori munere Abbatissæ, in Vicariam deinde eligi non prohibetur*.

DISCEPTATIO XV.

Ut plenior de omni Vicariorum genere notitia habeatur, breviter per nos nonnulla adnotanda erunt de Vicariis Regularium utriusque sexus, puta Religiosorum, & Monialium. Vicarii Regularium ii propriè dicti sunt, qui
1 vices eorum Superiorum gerunt in Monasteriis, seu Conventibus Religiosorum, & ad ipsos spectat officium Superioris agere, absente Superiore Monasterii, non autem ad Religiosum, qui per turnum invenitur hebdomadarius
2 Chori, ut declaravit auferendo abusum prædictum, *Sacra Congreg. Episcopor., & Regul. 7. Maji 1627.*, ubi fuit ponderatus *Text. in l. tutor 20. ff. de testament. tutelar.*

Item sunt Vicarii generales Religiosorum, & Congregationum Regularium, ut de

3 ut de Congregatione Fratrum Discalceatorum Divi Augustini, qui, cum hucusque non habeant Generalem, constituunt Vicarium generalem, & sic de aliis, qui quidem Vicarius generalis potest omnia facere, quæ videntur posse fieri ab aliis Generalibus alterius Religionis, vel fieri possunt à Vicariis generalibus, ipsis Generalibus absentibus, ut declaravit *Sacra Congreg. Visitationis Apostolicæ die 26. Maji 1626.* de qua *Aldan. in Compendio Canon. resol. lib. 1. tit. 43. num. 55.* Adsunt quoque Vicarii inter Fratres Minimos S. Francisci de Paula, qui deputantur in Provinciis à P. Correctore generali totius Ordinis, ut refert *P. Laurent. de Peyrinis de privileg. Regul. ad Constitutionem 14. Leonis X. num. 4.*, & sic de singulis Religionibus, ubi constituuntur Vicarii generales, qui, Generalibus ipsis deficientibus, possunt facere omnia, quæ Generales poterant, usquequo eligatur novus Generalis, vel ubi fuerit absens, usquequo redierit ad Provinciam, ubi Vicarium habet *Clement. Exivi de V. S.*

4 Demum aliud Vicariorum genus respicit Moniales; etenim in Monasteriis illarum solent constitui quædam Moniales antiquiores in Vicarias, seu Præfe-
5 ctas superiores, quarum electiones fieri debent per secreta suffragia; & vota, ac nomina Eligentium publicari non possunt; aliàs electio est nulla, & Electa est inhabilis ad alia officia, ut habetur ex *Tridentin. sess. 25. cap. 6. de Regul.*

Observandum autem est, quòd si hujusmodi Vicariarum electio spectat per
6 ordinationes, & constitutiones Monasterii, ad Abbatissam, & Discretas; ad Episcopum verò tantùm pertinet confirmare illas; ita servari debet, nec Episcopus aliud prætendere potest, ut declaravit *Sacra Congreg. Episcop. & Regular. in una Lamacen. 26. Octobris 1604.*

Observandum est præterea, quod Vicariæ Monasteriorum Monialium non
7 possunt durare ultra tres annos, & postea vacant officio, ut de Abbatissis, & aliis Italiæ Præfectis disponitur in *Constitut. 80. Gregorii XIII.* Per istam tamen Gregorii XIII. Constitutionem non prohibetur, ne possit eligi Vicaria, quæ triennio immediatè antecedenti fuit Abbatissa; dummodò eadem Vicaria non sit prima Superiorissa Monaste-
8 rii, sed subsit Abbatissæ, pro tempore existenti, vel alteri Superiorissæ, ut habetur ex *Sac. Congreg. Episcop. & Regul. in una Cremonen. 28. Julii 1628.*

Deputari pariter potest Vicaria in Monasterio Monialium, ubicumque ob malum regimen Abbatissæ succedunt in-
9 convenientia; & tunc eligitur aliqua ex Monialibus senioribus, ac Monasticæ disciplinæ zelantioribus, sine cujus consensu Abbatissa nihil decernere valet, *Sac. Congreg. Episcop. & Regul. in una Mentis Regalis 9. Novembris 1629.*

ARGUMENTUM.

De Vicario Ecclesiarum Lateranensium, ubi de ejus facultatibus.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesiæ, Capitulo Lateranensi subjectæ, reguntur per Vicarios, quorum munus expenditur.*

2 *Vicarius harum Ecclesiarum visitare potest Confraternitates Laicorum, inibi erectas.*

3 *Episcopus jure delegato visitare potest Ecclesias subjectas præfato Capitulo, quamvis à dicto Vicario visitatas*, n. 4. & num. 9.

5 *Rationum revisio Confraternitatum laicalium, in enunciatis Ecclesiis erectarum, spectat ad Episcopum.*

6 *Ad Episcopum similiter pertinet concursum indicere ad Parochias, dicto Capitulo subjectas.*

7 *Itemque assensum præstare alienationi bonorum earundem Ecclesiarum, ad formam* Can. Terrulas 12. quæst. 2.

8 *Episcopus potest Vicarium dd. Ecclesiarum usurpantem suam jurisdictionem Ecclesiasticis censuris coercere.*

DISCEPTATIO XVI.

PRo complemento totius materiæ concernentis officium Vicariorum, cum in nonnullis regionibus adsint Ecclesiæ subje-

subjectæ Capitulo S. Joannis Lateranensis de Urbe, quæ gubernari solent per eorum Vicarios, in partibus existentes, quanta sit illorum potestas, videre est: Vicarii igitur hujusmodi facultatem habent visitandi præfatas Ecclesias, necnon exigendi annuos Canones, eisdem debitos, ac pariter subditos, quatenus eos habeant, corrigendi, ut patet ex quampluribus privilegiis, eidem Capitulo concessis à diversis Summis Pontificibus.

1

Imò ubicumque in aliqua Ecclesia, Capitulo prædicto subjecta, adsit Sodalitas, seu Societas laicalis, adhuc visitari potest à Vicario prædicto, uti quid accessorium visitationi; & petere valet redditionem rationis ab his, qui bona Confraternitatis, seu Sodalitatis administrarunt; & ubi debitores fuerint, eos compellere ad solvendum summam pro residuo debitam.

2

Sequitur, ut videamus, an Ecclesiæ prædictæ visitari possint ab Episcopo loci Ordinario: & dicimus, posse Ordinarium eas visitare, si non Jure Ordinario, saltem jure delegato; etenim ea, quæ non potest agere Episcopus in Ecclesiis, sibi non subjectis, jure Ordinario, facere valet jure extraordinario, & tanquam delegatus S. Sedis Apostolicæ.

3

Undè concludendum est, posse eosdem Ecclesias visitare, non obstante quòd illæ visitatæ fuerint ab eorum Ordinario, scilicèt Vicario, deputato ab eodem Capitulo, ut ex *Sacra Congreg. Concil. in una Mileten.* 23.*Aprilis* 1701. *ad dubium* 1. Neque Episcopus tenetur ostendere actus visitationis eidem Vicario Ecclesiarum S. Joannis, ut ex *d. Mileten. ad dub.*2.

4

Sequitur, ut videamus, an, ubi in aliqua ex eisdem Ecclesiis subjectis Capitulo S. Joannis, fuerit erecta sodalitas laicorum, munus revidendi computa spectet ad ipsum Vicarium privativè quoad Episcopum loci Ordinarium, vel ad ipsum Ordinarium privativè quoad Vicarium. Et spectare ad ipsum Episcopum loci Ordinarium habetur ex citata Resolutione *Mileten. ad dub.*3.

5

Ita quoque si hujusmodi Ecclesiis fuerit annexum beneficium cum cura animarum, concursum indicere valet Ordinarius privativè quoad Vicarium; nam Vicarius non videtur habere talem facultatem, ut ex *d. Sacra Congreg. in d. Mileten. ad dub.* 4.

6

Et quatenus bona alicujus ex dictis Ecclesiis alienanda erunt, ad normam *Textus in cap. Terrulas, aut vineolas*, tunc, pro habendo beneplacito, recurrendum erit vel ad S. Sedem, vel ad Episcopum loci, intra cujus fines existit Ecclesia, non autem ad Vicarium: qui quidem Ordinarius, servatis servandis, devenire debet ad actum alienationis, *Sacra Congregatio in dicta Mileten. ad dub.*6.

7

Vicarius Ecclesiarum, qui suprà, ubi se ingerere voluerit in his, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis, uti contemptor sacrorum Canonum, potest ab ipso loci Ordinario, cujus jurisdictio violata fuit, censuris Ecclesiasticis innodari, aliisque pœnis puniri, ut ex citata *Sacra Congreg. in d. Mileten. ad dub.*7.

8

Hoc unum nota, quòd, ubicumque loci Ordinarius visitare voluerit Ecclesiam subjectam Capitulo S. Joannis, ut suprà, tamquam delegatus S. Sedis Apostolicæ, debet Vicarius illum admittere, factâ prius protestatione, quòd Visitatio prædicta ab eo fieri intelligatur non jure Ordinario, sed uti delegato S. Sedis: & sic remanebit salvum jus Ecclesiæ.

9

AR-

JOANNIS BAPTISTÆ
A R G Y R Ò
DISCEPTATIONES
ECCLESIASTICÆ,

De Canonicis, Dignitatibus, & Capitulo tàm Cathedralis, quàm Collegiatæ Ecclesiæ, ubi de illorum Dignitate, Officio, Munere, ac Poteſtate, ſupra cęteros de Clero.

LIBER VI. DISCEPTATIONES XXXVII.

ARGUMENTUM.

Canonicus undè nomen habeat? Quot ſint Canonicorum ſpecies? Et quænam ſit Canonicorum dignitas?

SUMMARIUM.

1 *Canonicus nomen deſumit à* Canone, *quod Verbum Regulam ſignificat.*
2 *Canonicorum Origo, atque Inſtitutum traditur*, & num.3. & ſeq.
5 *Canonicorum alii Sæculares, alii Regulares exiſtunt, & quænam ab initio fuerit qualitas utriuſque ſpeciei*, & num.6.
7 *Canonicorum Regularium duo itidèm ſunt genera, quæ referuntur.*
8 *Epiſcopus loci Ordinarius quam habeat poteſtatem in hujuſmodi Canonicos Regulares, expenditur*, & num.9.
10 *Canonicorum Dignitas recenſetur.*
11 *Canonici aliquo particulari ſigno diſtinguuntur, quod tamèn concedere, vel reformare nequit Epiſcopus ſua Ordinaria auctoritate*, & num.12.
13 *Canonici eligi poſſunt in Conſervatores Regularium.*
14 *Poſſunt itidèm eſſe Delegati Apoſtolici: Intellige de Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, non autèm Collegiatæ*, n.16. *Rurſus declara, quatenus Canonicus, in Synodo fuerit deſcriptus*, num.18.
15 *Delegatio facta in Canonicum, num expiret, poſtquam is Canonicatum reſignaverit?*

DISCEPTATIO I.



1 Uoad primum quæſitum: cum de Canonicis hic agere velim, operæ pretium duxi priùs de ethymologia hujus nominis aliquid adnotare. Vox *Canonicus* à Canone originem traxit, quod idem eſt, ac Regula, ad *Textum in cap.1.diſt.3.* Undè inquit Juo Carnoten. Epiſc.decretorum collector *epiſt.203.: Canonici appellati eſtis, quòd Canonicas Regulas vos velle obſervare cęteris artiùs devoviſtis: Lotterius de re benefic. lib.1. quæſt.19. num.2.*

2 Etenim conſueverunt Epiſcopi eligere Clericos, ad ſanctiorem vitam aſpirantes, ad effectum, ut ſecum in Clauſura, paupertate, & Præpoſitorum obedientia permanerent, ut ex *Toletano Concilio 2. cap.1.*, & ex *B. Auguſtino Serm.22.de communi vita Cleric.* indeque ortum habuit Canonicorum ordo, & regula in Eccleſiis Cathedralibus,

bus, *Coriolan. ad Concilium Toletan.4. Can.22.*

Nam olim Canonici, in cœtus congregati, seorsim à cęteris habitabant, & eumdem locum simul incolebant, & omnes uno Refectorio, & Dormitorio utebantur, qui à communi, & regulari quadam vita, quam ducebant, Canonici dicti sunt. Quapropter, sicut Monachi, res immobiles in communi possidebant, ex quibus singulis alimenta præstabantur, quæ postea Præbendæ dictæ sunt. Facit Constitutio *Gregorii I.* anno Domini 592. relata *in cap. quia tua Fraternitas* 12. *quæst.*1., & Eugenii I. anno 654. relata *in cap. Necessaria* 11. *quæst.*1., & Gregorii VII. anno 1073. relata *in cap. quoniam de vita, & honestate Cleric.* ac dispositio Moguntini Concilii *cap.9. tom.3. Conciliorum* ubi sic legitur: *In omnibus igitur, quantum humana permittit fragilitas, decernimus, ut Canonici Clerici, canonicè vivant, observantes Divinæ Scripturæ doctrinam, & documenta Sanctorum Patrum; & nihil sine licentia Episcopi sui, vel Magistri eorum positi agere præsumant. In unoquoque Episcopatu & ut simul manducent, & dormiant, ubi his facultas id faciendi suppetit, vel qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt; & in suo claustro maneant, & singulis diebus manè primo ad lectionem veniant, & audiant quod eis imperetur. Ad mensam verò similiter lectionem audiant, & obedientiam secundum Canones Magistris suis exhibeant*: Sicuti traditur *ab Antonio Augustino in Epitom. Juris Pontif. veter. lib.9. tom.1. tit.5. cap.2., & tit.56. cap.2.*

Quoad secundum. Canonicorum duo sunt genera; etenim alii dicuntur Seculares, alii Regulares. Seculares sunt ii, qui jus habent Canoniæ, & præbendæ in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia, ad *Textum in cap. dilectus filius de præbendis*. Origo descendit ab illis Clericis in minoribus constitutis, Sacerdotibus subditis, qui sub eisdem ministeria quædam explebant in Templo, ibique ab eis stipendia ex re Ecclesiastica accipiebant, qui & psallendi officio fungebantur, ut ex *Concilio Aquisgranen. sub Ludovico Pio Imperatore cap.*117., & *ex Concilio Agathen.* 3. *cap.*18., & *Laodicen. cap.*15.

6 Licèt postea hujusmodi ordini Clericorum honoris titulus, & ordo Sacer adjunctus, ac certæ præbendæ ex fructibus Ecclesiæ assignatæ fuerint, ut Episcopi fratres essent, ac ejus Consiliarii, ad *Text. in cap. Novit de his, quæ fiunt à Prælatis*, ubi Canonistæ.

7 Alii dicuntur Canonici Regulares, quorum duæ sunt species; etenim nonnulli sunt Canonici Regulares, qui Monasticam vitam ducunt in Claustris, uti sunt Lateranenses, S.Rufi, & alii, de quibus nos infra *lib.10. discept.1.* Alii verò sunt Canonici Regulares, qui in Ecclesia Cathedrali Regulari, seu non Cathedrali Canonici Regulares sunt, obtinentes suas portiones loco Canonicatuum, & jus administrandi, quæ suo victui sunt destinata; & habent bona saltem ad usumfructum, de quorum usufructu possunt disponere inter vivos ad opera pia, *Rota cor. Cavalerio dec.606. num.6. Navarrus consil.13. num.2. de statu Monach.* In Sicilia adsunt duæ Cathedrales gubernatæ per Canonicos Regulares Panormitana una, Montis Regalis altera.

8 Quam potestatem habeat Episcopus in hujusmodi Canonicos Regulares, sequitur ut videamus. & dicimus quòd ubi Episcopus non fuerit simul Episcopus, & Abbas, hoc casu habere videtur potestatem, ac omnimodam jurisdictionem in illos, exceptis iis, quæ concernunt Regularia instituta, ad *Text. cum Glossa in cap. Nullus de Elect. in 6. Rota recent. part.1. decis.69.*

9 Si verò Episcopus fuerit Episcopus, & Abbas, & sic polleret Abbatiali, & Episcopali facultate; & tunc omnimodam potestatem habet, *Lotter. de re benefic. lib.1. quæst.18. n.14.*

10 Quoad tertium. Quæ sit Canonicorum, signanter Cathedralium, dignitas, videre oportet. Canonicorum maxima dignitas est; etenim ipsi dicuntur fratres Episcopi, & in nonnullis faciendis, debet Episcopus eorum consensum habere, in nonnullis verò eorum consilium petere, ut nos latè *infra Disceptat.18.*

Ipsi

Ipsi propter dignitatem, quam habent, & præeminentiam supra cęteros
11 Clericos, signum aliquod habere debent, ut à cęteris dignoscantur, *Novar. quæst. forens. quæst. 24. num. 15. tom. 1. Riccius in praxi rerum fori Eccles. part. 4. resol. 363.*

Quod quidem signum concedere Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, vel con-
12 cessum mutare, inconsultâ Sede Apostolica, non valet Episcopus, *Sac. Congreg. Rituum in una Hidruntina 1. Septembris 1612.*

Canonici præ dignitate, quâ funguntur, possunt eligi in Conservatores Re-
13 gularium pro illis Monasteriis, quæ existunt in Diœcesi, ut habetur ex Constitutione *Gregorii XV.*, quæ incipit: *Sanctissimus* ibi = *vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant* = *Sacra Congreg. Concil. in una Lancianen. 29. Januarii 1633. Barbosa de Episcopis allegat. 106. num. 55.*, quidquid aliter servaretur ante citatam *Gregorii* Constitutionem.

Possunt pariter esse Delegati Ponti-
14 ficis, ad *Text. in c. statutum de Rescrip. in 6.*, & per *Trident. sess. 25. cap. 10. de Reform.*, ubi innovatur dispositio *Text. in d. cap. statutum*, *Gonzalez ad Regulam* 8. *Cancell. Glossa 2. num. 39. Genuen. in practicabilibus Eccl. qu. 612. Barbosa de Canonic., & dignit. cap. 19. num. 5.*

Canonicus verò, cui causa delegata fuit, post introductum judicium si re-
15 nunciaverit Canonicatum, adhuc procedere valet in causa ipsa, eamque terminare, quando non est nominata persona, vel nisi assumpserit qualitatem repugnantem, videlicet quòd fiat laicus, posito quòd non fuerit Subdiaconus, *Felin. in cap. quoniam num. 5. de offic. Delegati*, *Riccius in praxi decis. 616.*, *aliàs resol. 614. Gratianus disceptat. forens. cap. 92. Barbosa supr. n. 8.* ubi *alii DD.*

Quod diximus de Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, non habet locum in Cano-
16 nicis Ecclesiæ Collegiatæ: etenim Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ, quamvis peritissimus ille Doctor fuerit, non potest esse Delegatus Papæ, neque Judex Synodalis constitui valet; quia id tan-
17 tùm quoad Canonicos Ecclesiæ Cathedralis expressum reperitur, ad *Text. in d. cap. statutum* confirmatum per *Trident. in d. cap. 10. Genuensis d. qu. 612. n. 4. Lotter. de re benefic. lib. 3. qu. 5. num. 14.* Licèt contrarium dicat *Riccius suprà decis. 637. aliàs resol. 575.*

Canonicus, ut possit esse Judex delegatus, ut suprà, debet esse designatus in Synodo Provinciali, vel Diœcesana, ut habetur ex *Tridentin. dicto cap. 10.*, ubi mandat in singulis Conci-
18 liis Provincialibus, vel Diœcesanis designandas esse certas aliquot personas, quæ requisitas habeant qualitates, juxtà Constitutionem *Bonifacii VIII. in d. cap. statutum.*

ARGUMENTUM.

Canonicorum numerus qualis esse debeat? numerus ipse an & quando, à quo, ac quibus servatis augeri, vel minui possit? ubi de Canonicis supranumerariis.

SUMMARIUM.

1 *Canonicorum numerus servandus est, qualem Papa in erectione præscripsit* & num. 2.

3 *Ecclesiam Parochialem erigere in Collegiatam, ad solum Papam spectat.*

4 *Episcopus potest novos Canonicatus erigere, & redditur ratio*, num. 5.

Declara, ut num. 8. & seq.

6 *Ad hanc tamèn erectionem tenetur adhibere consensum Capituli.*

7 *Quid autem servandum, quatenùs Canonici invicem dissentiant.*

10 *Prò augendo Canonicorum numero, quænam Causæ requirantur; quænam verò econtrà prò eo reducedo*, & num. 11. cum seq.

15 *Beneficiorum fructus aucti potiùs præsumuntur, quàm diminuti.*

16 *Præbendas reducere, pro augendis distributionibus quotidianis, Episcopo non licèt, nisi in Cathedralibus, aut Collegiatis insignibus.*

17 *Et dummodo numerus præbendarum præfinitus non fuerit auctoritate Apostoli-*

ftolica cum decreto irritanti.

18 *Suppressio Canonicatus facta per Vicarium Episcopi, vel Capituli, Sede Episcopali vacante, irrita est.*

19 *Canonici supranumerarii quinam dicuntur, & quot sint species eorumdem*, num.20.

DISCEPTATIO II.

QUoad primum: Qualis esse debeat Canonicorum numerus, hic primo loco nobis est demonstrandum, deinde de cęteris, ut in præposito ar-
1 gumento. Numerus debet esse ille, qualis in erectione Cathedralis, sive Collegiatæ Ecclesiæ à Papa fuerit præfixus, cum ad ipsum spectet novam Cathedralem, vel Collegiatam Ecclesiam erige-
2 re; & in ipsa erectione numerum præfigere, ac insignia Canonicorum assignare, ita *Barbosa de Canonicis, & dignitat. cap.2. num.1., & 21. Card. de Luca eodem tract. disc.6. num.1.*

Ad Romanum verò Pontificem spectat, & non ad alium inferiorem illo,
3 erigere etiam Ecclesiam Parochialem in Collegiatam *Lotter. de re benefic. lib.1. quæst.14. num.49. Sacra Congreg. Concil. in una Conversana 27. Junii 1626.*

Quoad secundum: Postquam verò erecta fuerit Cathedralis, numerum ip-
4 sum augere potest Episcopus, & novos Canonicatus creare: câ ratione quia Canonicatus, cum sint beneficia, & beneficiorum appellatione in materia non
5 odiosa comprehendantur, sicuti quævis beneficia possunt creari ab Episcopo loci Ordinario, ita Canonicatus, ut ex congestis per *Barbosam d. cap. 2. n. 22. Gonzalez ad Regulam octavam Cancell. Glossa 5. num. 7. Rota coram Cavalerio decis.639. num.8. Lotter. de re benefic. lib.2. quæst.5. nu.40. Panimolla d.c.98. annot.1. num.2., & DD. passim.*

Non potest tamen fieri ab Episcopo erectio novorum Canonicatuum tàm in
6 Ecclesiis Cathedralibus, quàm Collegiatis, absque consensu Capituli, sed omninò Capituli consensum exigere tenetur *Panimolla suprà num.4. Fagnan. in cap. dilectus num.18. de Præbendis: Sac. Congreg. Concil. in una Aquinaten. 20. Februarii 1677. Mazarien. 20. Septembr.1692. Sabinen. 14. April.1696.*

Quotics verò Canonici irrationabiliter se opponunt, tunc Sacra Congre-
7 gatio Concilii supplere valet illorum defectum, ut in *dicta Sabinen. 2. Junii 1696.*

Quoties verò Canonici in erectione facta jurarunt non augerę statutum nu-
8 merum, tunc solius Papæ est augere illum, non autem Episcopi, *Fagnan. in cap. dilectus num.22. de Præbendis, Barbosa de Canonicis cap.3. n.3. Card. de Luca eodem tract. disc.6. num.4.*

Ubi habetur quòd quatenus primus numerus fuerit præfixus à Papa, tunc
9 Ordinarius loci non valet augere illum: secùs dicendum videtur, ubi fuerit præfixus ab Ordinario *Barbosa sup.d.cap.3. Panimolla suprà num.7.*, ubi DD.

Numerus augeri potest data Ecclesiæ necessitate, & ubicumque aucti fuerint
10 redditus, aut proventus Capituli; ita ut tàm novi, quàm veteres Canonici,
11 commodè sustentari valeant, nam aliter numerus illorum augendus non erit, *Barbosa d. cap.3. num.2. Card. de Luca de Canonicis, & dignitatibus disc.36. num.8. Rota recent. part.19. decis.206. num.4., & 5.* ubi DD. *Panimolla suprà num.13.*

Sicuti econtrà Episcopus, cum consensu Capituli, Canonicorum numerum
12 minuere potest, ubicumque redditus ita diminuti fuerint, ut ob tenuitatem præbendarum, ac distributionum quotidianarum difficile sit, ut possint sustentari tot Canonici, quot sunt in numero, ut ex *Tridentin. sess. 24. de Reformat. cap.15. Gratian. discept. forens. cap.829. Card. de Luca d. nu.8. Rota coram Dunoz. jun. decis.250. num.7. cum seq. & decis.206. num.7.*

Ipsa tamen suppressio facienda erit
13 absque præjudicio possessoris, ut ex *d. Card. de Luca d.num.8. Panimolla suprà num.20, & 21.*

Reductio tamen non erit facienda,
14 nisi concludenter probata diminutione reddituum, cum beneficia de sui natura
15 præsumantur congrua, & eorum redditus potiùs aucti quam diminuti, *Barbosa d. cap.3. num.21.*

Ad intelligentiam decreti Tridenti-
16 ni, suprà citati, nota, recensitum decre-

cretum procedere, & locum habere solùm in Ecclesiis Cathedralibus, aut insignibus Collegiatis; secùs verò in aliis inferioribus, in quibus nulla videtur Episcopis data potestas extinguendi præbendas, ut augeantur distributiones, etiam causâ augumenti cultus divini, ut decisum refert *Moneta de distribut. quotid. quæst.5. num.28. Barbosa de Episcop. alleg.67. num.2., & de Canonicis d. cap.3. num.20., & ad Tridentin. d. cap.15. num.2.*

Canonicatus, auctoritate Papæ confirmati, cum præfixione numeri, & de-
17 creto irritanti, non possunt supprimi per Episcopum loci Ordinarium; nam hoc casu recurrendum erit ad ipsam S. Sedem, vel Sacram Congregationem Eminentissimorum S.R.E.Cardinalium, Sacri Concilii Tridentini Interpretum, petendo facultatem suppressionis, attenta diminutione reddituum, ut docet *Barbosa de Episcop. alleg. 67. num. 5., & de Canonicis, & dignit. dicto cap.3. num.19.*

Neque valet supprimi Canonicatus à Vicario Episcopi, vel Vicario Capitu-
18 li, Sede vacante, in casibus, in quibus posset Episcopus, cujus est Vicarius, *Sbroz. de offic. Vicarii lib.2. quæst.116. num.9. Garz. de benefic. part.12. cap.2. num.49. Gratian. discept. forens. cap.278. num.35. Moneta d. cap.12. num.129.*

Dantur non semel quidam Canonici, qui dicuntur supranumerarii, & sunt ii,
19 qui in Canonicorum Collegium cooptantur, & Canonici creantur ultra numerum certum præbendarum, & Canonicatuum, absque ulla præbenda ipsis statim attributa.

Horum autem duæ sunt species, una
20 juris, altera facti: Juris, quando Papa mandat Capitulo, ut recipiat aliquem in Canonicum, & fratrem, & illi conferat jus Canoniæ; & per talem receptionem efficitur Canonicus: alia est, quando Papa creat aliquem Canonicum supranumerum, & mandat, ut illi assignetur locus, & stallus: ita *Tuscus litera C. conclus.33. de Senis consil.290. num.5.*

ARGUMENTUM.

Quibus qualitatibus præditi esse debeant ii, quibus Canonicale beneficium erit conferendum, aut conferenda Dignitas in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia.

SUMMARIUM.

1 *Canonici quales eligi debeant.*

2 *Pro Canonicatu obtinendo in Cathedralibus, jure novissimo Concilii Tridentini requiritur, ut quis ordine sacro insignitus sit, vel in ea saltem ætate constitutus, ut ad illum infra annum promoveri valeat*, & num.4.

3 *Canonicatus Cathedralis Ecclesiæ sacros ordines habent annexos, quibus respectivè debent esse insigniti, vel sese insigniri facere, qui obtinent eosdem Canonicatus, sub pœnis contentis in* Clementin. 2. de ætat. & qualit. & num.9.

Amplia, etiamsi Canonicatus fuerit de jurepatronatus, num.6.

Rursus, amplia, ut num.14.

Limita in Canonicatibus Germaniæ, num.7.

Declara, d. Clementin. *procedere, quatenus provisus nullo legitimo impedimento detentus fuerit, num.8.*

Vel nisi à Papa desuper dispensatum fuerit, ut num.15.

Dispensatus tamen, ubi ad legitimam ætatem pervenerit, cogi potest ad suscipiendum ordinem annexum, num.16.

10 *Negligens suscipere ordinem, suo Canonicatui annexum, incurrit pœnam privationis vocis, ac medietatis distributionum, etiamsi Divinis Officiis interfuerit.*

11 *Et puniri potest etiam pœnâ privationis tituli ab Episcopo, per seipsum, vel adhibito adjunctorum consilio*, n.13.

12 *Hanc tamen pœnam privationis præcedere debent trinæ monitiones Canonicæ.*

17 *Dispositio* Sacri Concilii Tridentini sess.24. cap.12. de Reform. *circa ætatem*

tem promovendorum ad Canonicatus in Cathedralibus, non extenditur ad Collegiatas, pro quibus sufficit ætas annorum 14. *sicut ante Concilium*.

18 *Declara nisi aliter consuetudine, vel statuto cautum reperiatur, ut in Collegiata Seminariæ Diœcesis Mileten.*, num. 19.

20 *Vel nisi Canonicatui sive Dignitati Ecclesiæ Collegiatæ sit annexa animarum cura, quo casu promovendus pollere debet iis omnibus qualitatibus, quæ requiruntur pro assecutione beneficii Curati*, num. 21.

22 *Ad Canonicatus Cathedralium promoveri nequeunt illegitimis orti natalibus, dummodo cum eis Papa non dispensaverit*, ut num. 23.

Ad obtinendos tamen Canonicatus in Collegiatis sufficit dispensatio Episcopi, quatenus statuto vel consuetudine Ecclesiæ Canonicatus sacrum ordinem non habeat annexum, ut num. 26.

24 *Filiis illegitimis præcluditur ascensus ad ordines sacros, absque dispensatione Papæ*.

25 *Episcopus cum illegitimis dispensare potest ad effectum solummodo consequendi ordines minores*.

DISCEPTATIO III.

Canonici, vel Dignitates in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia, juxta dispositionem *Tridentin. sess. 24. cap. 12. de Reform.* eligendi erunt illi, qui pos-
1 sint esse aliis bono exemplo, ac virtutibus ornati, & possint suo muneri per se ipsos satisfacere, *Barbosa ad Tridentin. d. cap. 12. num. 58.*

Ex Tridentino quoque, ubi supra habetur, ut omnes Canonici Cathedralis
2 Ecclesiæ saltem sint constituti in Sacro Subdiaconatus ordine, vel in ea ætate, ut infra annum talem ordinem recipere valeant; & idem procedit, ubi Canonicatus fuerit Diaconalis, vel Presbyteralis; Etenim in quampluribus Cathedralibus Canonicatus dividuntur in
3 Subdiaconales, Diaconales, & Presbyterales; & sic quisque juxta suum gradum, debet esse insignitus ordine suo gradui annexo, *Gratian. discep. forens. cap. 591. num. 4. Rota recent. part. 14. decis. 169. num. 1., & part. 19. decis. 56. num. 30., & 31. part. 16. decis. 222. num. 14.*

Quocumque enim casu, sivè præbendæ fuerint distinctæ in Subdiaconales,
4 Diaconales, vel Presbyterales, sive non eligendus in Canonicum debet esse Subdiaconus, vel saltem habere ætatem ad recipiendum illum infra annum, ad *Tridentin. in d. cap. 12. vers. Neminem, Sacra Congreg. Concilii apud Barbosam de Canonicis cap. 13. num. 9. idem Barbosa de Episcopis alleg. 60. num. 70. Card. de Luca de Canonicis disc. 5. num. 2. vers. & quamvis, Rota recent. part. 10. decis. 205. num. 9.*

Uti dixi, ubi gradus Canonicorum fuerint distincti, in Subdiaconales, Dia-
5 conales, & Presbyterales, tunc provisus de Canonicatu debet habere ætatem correspondentem gradui: quatenus verò non fuerit insignitus tali ordine, nec fuerit talis ætatis, ut infra annum ad requisitum ordinem promoveri possit, subjacet pœnis contentis in *Clem. 2. de ætate, & qualitate*, quæ incipit *Relatum*, confirmata per *Tridentin. sess. 22. cap. 4.*, concordat *Trident. in d. cap. 12. Ventriglia in praxi sub tit. de ætate in beneficiis* §. 1. *num. 15. Card. de Luca de Canonic. & Capit. disc. 5. num. 3., & de benefic. disc. 95.* & DD. passim.

Quod quidem locum habet etiam, ubicumque beneficium Canonicale fuerit de Jurepatronatus laicorum; nam
6 pariter hoc casu non valet præsentari ad illud, qui non est insignitus tali ordine, vel saltem habeat ætatem, ut infra annum promoveri possit ad ordinem, juxta gradum requisitum, *Garz. de benefic. part. 6. cap. 4. num. 85. Vivian. de Jurepatron. lib. 6. cap. 6. num. 7. Campanil. diversf. Juris Canonici rubric. 7. cap. 6. num. 6. Card. de Luca d. disc. 5. num. 7., & de benefic. d. disc. 95.*

Canonicatus verò Germaniæ conferun-
7 tur etiam habentibus ætatem minorem *Rota recent. part. 10. decis. 205. nu. 16. & part. 17. decis. 260. num. 34.*

Pœnis verò prout in dicta *Clem. 2., & Trid. d. cap. 4.* non veniunt afficiendi illi, qui justo, atque legitimo impedi-
8 mento detenti, ordinem recipere non valent juxta eorum gradum, ut colli-

colligitur ex d. *cap*.4. *Tridentini* ibi = *jussio impedimento cessante*.

Qui quidem, ubi non curent ordi-
9 nari infra tempus præscriptum à dicta *Clementina*, *&* *Tridentino locis citatis*,
carent voce in Capitulo, ac etiam amittunt medietatem distributionum, quæ
dantur iis; qui certis horis intersunt, non obstante quacunque consuetudine
in contrarium.

Quod locum sibi vindicat, etiamsi intersit in Choro, ac officium recitet
10 cum aliis, juxta citatam *Clementinam* §. *illi verò*, *Moneta de distribut. quotid. part*.2. *qu*.19. *num*.30. *Barbosa de Canonicis cap*.16. *n*.15.

Imò potest aliis pœnis puniri, etiam
11 privationis; ut colligitur ex dicta *Clem. Sacra Congr. Conc. in una Patavina* his
verbis = *Canonici, qui ordines sacros debitos post monitionem sumere recusant ab ordinario privari debent*, de qua
Garz. de benefic. part.3.*cap*.4.*num*.16., ubi prius *num*.4. habetur non incurrere
privationem, nisi præmissis monitionibus.

Ubicunque verò quis venit privan-
12 dus vel fructibus, aut voce activa, & passiva, vel Canonicatu, vel dignitate,
causa, de qua supra, vel aliis debitis causis, hoc fieri potest ab ipso Episco-
13 po Ordinario loci, vel ex se, vel cum Adjunctis, ut ex congestis per *Barbos. de potest.Episcopi alleg*.73.*n*.12.

Dato quod non fuerit idoneus ad suscipiendum ordinem annexum suo Ca-
14 nonicatui, privandus erit voce activa, & passiva, *Sacra Congreg.Concil. in una Mutinen*. 13. *Decembris* 1653. *lib*.19. *dec*.

Diximus supra, Canonicum non habentem ordinem annexum suo Canonicatui, non lucrari integras distribu-
15 tiones; hoc tamen non procedit in Canonico dispensato à Papa super ætate;
etenim hic lucratur distributiones quotidianas, etiamsi ad ordinem annexum
suo Canonicatui non fuerit promotus, dummodo intersit in Choro: *Sacra Gongr. Conc. in una Reatina* 13. *Septembris* 1631., & in altera *Mediolanen. 6. Martii* 1632. ibi: *Sacra &c. censuit Canonicum, qui propter ætatis defectum, non potuit ordinari ad Sacros ordines, & provisus fuit à Papa cum expressione ætatis, debere lucrari distributiones quotidianas*.

Ubi verò pervenerit ad ætatem legi-
16 timam, pro suscipiendo ordine, licèt fuerit dispensatus quo ad ætatem,
hoc casu potest compelli ad suscipiendum ordinem debitum, *Sac. Congreg. Conc.in una Romana* 18. *Maji* 1686.

Circa ætatem verò promovendorum ad Canonicatus Collegiatarum Ecclesiarum, nihil innovavit *Trid. supra*, sed
17 id relictum est intra terminos, qui ante dictum Concilium præscripti sunt:
undè valet quis obtinere Canonicatum Collegiatarum hujusmodi, etiam si habuerit
solam ætatem annorum quatuordecim, ut ex *Sacra Congreg*. apud *Gonzalez ad Regulam* 8. *Cancell. Glossa* 5. *num*. 92. *Piasec. in praxi Episc. part*.2. *cap*.5. *num*.21. *Ricc. decis*.735. *alias res*.512. *Gratian. Discept.forens. c*.591. *num*.10. *Barbosa de Episcop. allegat*.60. *n*.71. *Card. de Luca de benefic. disc*.17. *num*.17. *Sacra Congreg. Concil. in una Romana* 22. *Decembris* 1692. *Rota recent. part*.18. *decis*.766. *num*.4.

Sed hoc intellige, nisi ex Statuto, vel Consuetudine aliter habeatur; nam
18 si Statutum, vel Consuetudo requirat, ut Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ sit insignitus
ordine Subdiaconali, Diaconali, vel Presbyterali, vel quod habeat ætatem, ut infra annum promoveri possit
ad hujusmodi ordinem; tunc non valet provideri de hujusmodi Canonicatu, qui talem ordinem non habet,
sive ætatem sufficientem ad ordinem infra dictum tempus suscipiendum, ita *Franc. Leo in Thesauro part*.2. *cap*.18. *num*.22. *Zerola in praxi Episcop. V. Canonia*, §.6. *Gratian. Discept. forens. cap*.482. *n*.13. & *cap*.591. *num*.13.

Ut servatur in insigni Collegiata Se-
19 minariæ Meliten. Diœcesis, ubi Canonici debent esse Sacerdotes, attenta
Institutione, & Fundatione.

Si verò Canonicatui, vel Dignitati, tàm in Cathedrali, quàm in Collegiata
20 Ecclesia, fuerit annexa cura animarum; tunc opus est, quòd promovendus, sit Sacerdos,
vel saltem, ut infra annum promoveri possit ad Sacerdotium; necnon, ut concurrant in illo om-

nia, quæ requiruntur in eo, qui providendus erit de Parochiali beneficio,
21 ad *Text. in cap. cum in cunctis de Elect. cap. Licèt Canon eodem tit. in 6.*, & benè ex *citato cap. 12. Tridentin. suprà, Barbosa in d. cap. cum in cunctis, Sacra Congreg. Concil. in una Cotronien. 4. Decembris 1627.* ubi fuit decisum, ætatem annorum vigintiquinque inceptorum requiri ad obtinendam dignitatem, cui subest animarum cura.

Secunda qualitas est Legitimitas natalium; requiritur enim, ut eligendi
22 in Canonicos, vel dignitates, in Cathedralibus Ecclesiis, sint ex legitimo matrimonio procreati, quoniam illegitimi non possunt obtinere Canonicatum in Cathedrali Ecclesia, nisi prævia dispensatione Papæ, cum Episcopus nō possit dispensare super dicta illegitimitate, *Glossa* communiter recepta *in cap. fin.*
23 *de filiis Præsbyter. Zerola in praxi Episcop. part. 1. V. Canonia §. 3.* Ratio desumitur ex suprà firmatis, ex quibus habetur, quod ad Canonicatus in Cathedralibus Ecclesiis, nemo assumi valeat, qui non sit in ordine Subdiaconatus constitutus; at quia ad ordines sacros non valet quis admitti, ubi fuerit ille-
24 gitimus, nisi præviâ dispensatione Papæ, cùm Episcopus tantùm possit dispensare cum illegitimis ad minores ordines; inde sequitur, quòd illegitimus non
25 potest esse Canonicus Cathedralis, nisi prius Papa cum ipso dispensaverit, eâ ratione, quia sine dispensatione non potest recipere ordines sacros, ut ex congestis per *Barbosam de Canonicis, & dignitat. cap. 13. num. 26.*

Dixi quo ad Cathedrales Ecclesias; etenim, ut illegitimi possint obtinere Canonicatus in Ecclesia Collegiata, etiam insigni, potest dispensare Episco-
26 pus (nisi consuetudine, vel Statuto Canonici debeant esse constituti in sacro ordine, ut suprà diximus) ita *Bellet. disquisit. Cleric. part. 1. tit. de discipl. Cleric. §. 3. n. 27. Garz. de benefic. part. 2. cap. 2. num. 69. Gratian. Discep. forens. cap. 591. n. 16. Barbosa alleg. 45. n. 20. de Potestate Episcoporum.*

ARGUMENTUM.

Canonicatuum, seu Dignitatum, Præbendarumque provisio ad quos spectat? Ubi de Legitima possessione capienda.

SUMMARIUM.

1 *Canonicatuum, sive Dignitatum collatio ad quem pertineat.*

2 *Canonicatus, aut Dignitates conferre habens, debet esse in primis persona Ecclesiastica.*

3 *Papa conferre potest omnia beneficia hujus mundi, tanquam absolutus dominus eorundem*, ut num. 4.

5 *A Papa facultas conferendi descendit ad alios collatores inferiores.*

6 *Obtinens Canonicatum, opus deinde habet illius possessionem Capitulariter apprehendere.*

Capitulariter tamen capienda non est possessio Dignitatis, nisi hæc fuerit de Capitulo, num. 7.

8 *Dignitates, de consuetudine propemodum universali Italiæ, dicuntur de Capitulo.*

9 *Possessio Canonicatus, quæ Capitulariter capta non fuerit, non est manutenibilis*, & num. 13. & seqq.

10 *Possessio hujusmodi, Capitularis adhuc dicitur, non obstante irrationabili aliquorum Canonicorum contradictione; & quamvis tradita fuerit ab uno Canonico, dummodo præcesserit Capitularis consensus*, num. 11.

Possessionem tamen capere debet novus Canonicus sui proprii stalli, sub n. 11.

12 *Possessio Canonicatus quomodo probetur legitimè apprehensa*, & num. 13. cum seq. & num. 18. cum seq.

15 *Possessio Canonicatus haberi debet pro Capitulariter capta, quatenus Capitulum injustè illam tradere dissenserit*, & num. 17.

16 *Et hoc casu tenetur Capitulum restituere fructus à die denegatæ possessionis.*

20 *Capitulum pro receptione novi Canonici nil potest exigere, nisi convertatur in solius Ecclesiæ utilitatem*, & n. 22.

DI-

DISCEPTATIO IV.

QUoad primum: Ad quem, seu quos
pertineat provisio Dignitatum, Ca-
nonicatuum, seu Præbendarum
1 Cathedralis, seu Collegiatæ Ecclesiæ,
non est expresso jure cautum: etenim
jura, quæ de hac re loquuntur, vel lo-
quuntur secundùm consuetudinem, &
jus speciale Ecclesiæ, vel narrativè, &
ex suppositione, factum possibile sup-
ponendo, non autem dispositivè: ita
ex sequentibus capitulis, si benè ex-
pendantur, nimirum *cap. fin. de suppl.
negligentia Prælator. cap. ea noscitur de
his quæ fiunt à Prælatis, cap. postulastis
de concess. Præbendæ, cap. à collatione
de appellat. in 6.* his positis.

Dignitates, & Canonicatus, tàm
in Cathedrali, quàm in Collegiata Ec-
2 clesia, cum sapiant spiritualitatem, om-
ninò à persona Ecclesiastica erunt confe-
rendi. Inter collatores autem primum
locum obtinet Papa, tanquam caput
3 omnium Ecclesiasticorum, apud quem
ex suæ potestatis plenitudine libera est
dispositio omnium beneficiorum, ad
*Text. in cap. 2. de Præbendis in 6. Clem. 1.
in fine, ut lite pendente*; omnis enim po-
testas data fuit à Christo D. Petro, nam
ei soli dixit: *Tu es Petrus, & super
hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*:
Unde Papa est absolutus dominus super
4 collatione illorum, *DD. communiter*
cum *Card. de Luca de benefic. disc. 46.
num. 27.*

Hæc verò absoluta potestas confe-
rendi beneficia videtur communica-
ta ab ipso Papa Legatis, Archiepisco-
5 pis, & Episcopis, & aliquando simulta-
neè Episcopis cum Capitulo Cathedra-
lis: Undè illi non semel possunt con-
ferre beneficia, & sic Canonicatus, &
dignitates. At quia de materia hac col-
lationis beneficiorum, & de iis, quo-
rum est conferre illa, dicemus infra
lib. 13. discept. 3. ubi de beneficiis, ideo
me remitto ad dicta in *citata disceptа-
tione*.

Quoad secundum: Dignitate, vel
Canonicatu ubi aliquis provisus fuerit,
6 opus est quod Capitulariter possessio-
nem capiat, *Lotter. de re benef. lib. 3. q. 5.
n. 33. Gratian. Discept. forens. cap. 992.
num. 23., & 24. Barbosa de Canonicis,
& dignit. cap. 15. num. 1.* ubi quamplu-
res decisiones S. Rotę, *Card. de Luca
de Canonicis, & Capitulo disc. 4. num. 6.*

Dignitas verò in Cathedrali tunc de-
mum Capitulariter possessionem capere
7 debet, quoties ita sit de consuetudine,
nam aliter secùs, ut ex d. *Card. de Lu-
ca de Præemin. disc. 19. num. 10.*

Ea ratione quia Dignitates non di-
8 cuntur de Capitulo, nisi aliter de Con-
suetudine, quæ hodie viget, quasi per
totam Italiam, ut sint de Capitulo, *idem
de Luca d. disc. 4. num. 6.*

Hinc, ubi non fuerit capta capitula-
9 riter, cùm esset taliter capienda, illa
non erit manutenibilis de Jure, *Rota co-
ram Seraphino decis. 1044. num. 1. Theo-
dos. Rub. in singularibus Rotæ tom. 2.
part. 2. circa stylum. V. Decanus.*

Possessio dicitur capta capitulariter,
10 etiam ubi capta fuerit, aliquibus Cano-
nicis contradicentibus, *Glossa ad Tex-
tum in cap. si Capitulo de concess. Præ-
bendæ in 6. Rota in una Sorana Be-
neficii* 11. *Januarii* 1630. *coram Mer-
lino.*

Vel ubi tradita fuerit ab aliquo Ca-
11 nonico, nomine Capituli, & de ejus
licentia, & permissione, *Innocent. in
cap. in literis nu. 2. de Restitut. spoliat.
Rota recent. part. 1. decis. 594. num. 5.*
& apud *Post. de Manutent. decis. 177.
num. 6.* Debet tamen ille possessionem
capere Canonicatus, vel Dignitatis in
sede propria, *Rota dicta decis. 594.
num. 4. & coram Cavalerio decis. 198.
num. 2.*

Possessionem fuisse captam Capitula-
riter, probari potest per testes, depo-
12 nentes fuisse captam coram repræsen-
tantibus majorem, & saniorem partem
Capituli, ut ex *S. Rota coram Buratto
decis. 522. num. 5. & DD. passim.*

Etenim actus dicitur Capitulariter
13 gestus, licèt non omnes intervenissent
Post. de Manutent. observ. 30. num. 7. &
apud *eum Rota decis. 3.*

Non servatis verò omnibus, de qui-
bus supra, possessio dicitur nulliter ca-
pta, undè per *S. Rot. in una Syracusana
Canonicatus* 1. *Februarii* 1623. *coram
Pirovano* fuit dictum, quod cum instru-

14 mentum possessionis præseferret tantummodò possessionem fuisse captam, coram Notario, & testibus, in stallo Canonicali, nulla facta mentione de præsentiâ Capituli tunc congregati, possessionis actus remansisset invalidus, & irrelevans pro obtinenda manutentione; quia in apprehensione possessionis Canonicatus debet Capitulum congregari, & ab eodem sic congregato possessio tradi, ad *Text. in cap. si Capitulo*, *juncta Gloss. de concess. Præbendæ in 6.* & *Canonistæ communiter*, *Rota coram Emerix Jun. decis. 945. n. 7. & part. 7. recent. decis. 318. Dunoz. Jun. decis. 388. Otthobon. decis. 153. num. 9. Cerrus Sen. decis. 162.*

Dicitur nihilominus validè capta possessio, etiam si capitulariter non fuerit
15 capta, ubicumque Capitulum, nulla urgente ratione, denegavit tradere possessionem; quia tunc aliter capta, habetur ac si capitulariter fuisset capta, ad *citatum Textum in cap. si Capitulo*, & ibi *Ancharanus*, *Rota cor. Gregorio XV. dec. 364. n. 2. in recent. part. 9. dec. 78. & 388. Emerix Jun. decis. 945. num. 2.*

Imò Capitulum in hujusmodi casu tenetur restituere fructus pro tempore,
16 quo denegavit tradere possessionem Canonico, *Rota coram Seraphino decis. 1015.*

Sed hoc intellige, quatenus Capitulum sine justa causa recusat tradere pos-
17 sessionem; quia si habuerit justam causam, non suffragatur possessio, non capitulariter capta, *Rota in una Cæsaraugustana Onerum 3. Junii 1623. coram Pirovano*, & in *Alexandrina Archipresbiteratus 28. Julii 1627. coram Merlino.*

Canonicatus possessio dicitur benè capta, si Canonicus, vel ejus Procu-
18 rator suo nomine, per Ecclesiam deambulaverit, & in stallo, & Choro sederit, de quibus actibus possessoriis, medio publico Instrumento, testibus præsentibus, fidem facere tenetur Notarius, *Rota apud Post. de Manutent. decis. 175. num. 2.* Ut benè dicatur capta possessio, debet Canonicus sedere in illa sede Canonicatus, de qua est controversia, & non alia, *Rota recent. part. 6. decis. 233. num. 4.*

Capta possessione Canonicatus, cen-
19 setur capta possessio omnium bonorum, fructuum, annexorum, ac jurium Canonicatus, *Gonzalez ad Regulam octavam Cancellariæ Glossa 34. num. 109. Vivian. de Jurepatronat. part. 2. lib. 3. cap. 2. num. 8. Gratian. discept. forens. cap. 425. num. 18., & 19. Rota recent. part. 2. decis. 171. num. 2. decis. 199. n. 6. decis. 639. num. 3. decis. 659. num. 2.* & *coram Cavalerio decis. 240., & 565. num. 2.* & *coram Gregorio XV. decis. 54. & 364. & 557. num. 4 Rota apud Postium de Manutent. decis. 327. num. 17. & 330. num. 25.*

Pro admissione ad possessionem Canonicatus, aut præbendæ, nihil reci-
20 pere valent Canonici à novis Canonicis, vel Dignitatibus; undè neque dulciora exigere valent; sed gratis d. novum Canonicum admittere debent ad possessionem, quocumque privilegio, vel
21 consuetudine in contrarium non obstante, ut habetur *ex Bulla S. Pii V.*, quæ incipit: *Durum nimis*, & ita ex altera Constitut. *Innocentii Papæ XII.* quæ incipit: *Ecclesiæ* §. 9. & 10., atque ex *Tridentino sess. 24. cap. 14. de Reform.*, *Sacra Congreg. Concil. in una Tridentina 19. Februarii 1633.*

Sustinetur verò consuetudo, & similiter statutum, quo caveatur aliquid exigi ab obtinentibus Canonicatus, &
22 quotidianas distributiones, quoties non tendit in ipsorum Canonicorum utilitatem, sed in utilitatem Ecclesiæ, modò non pro ingressu ipso, & admissione, sed ad alium finem accipiatur, *Abbas*, & *Felinus in cap. cum M. Ferrariensis de constitut. Riccius decis. 567. alias resol. 489. Garz. de Benefic. part. 8. cap. 1. num. 84. & sequent. & Doctores passim.*

AR-

ARGUMENTUM.

Canonicorum, vel Dignitatum Cathedralis Ecclesiæ Onus, quoad Fidei professionem emittendam, ubi intra quod tempus debeant emittere illam? Eam non emittentes intra tempus debitum quas pœnas incurrant?

SUMMARIUM.

1 *Provisi de Canonicatibus, vel Dignitatibus Ecclesiasticis obligantur emittere Professionem fidei, sive Seculares ii fuerunt, sive Regulares*, ut num.7.

Et quamvis occasione assecutionis similis Canonicatus hujusmodi Professionem aliàs emiserint, & num.8.

Ac sive per obitum, sive alio modo provisi fuerint, num.10.

2 *Num verò eam emittere possint per Procuratorem?* & num.3.

4 *Canonico, qui legitimè occupatus in Curia Romana, professionem fidei non potest emittere in loco Canonicatus, indulgeri solet à Sacra Congregatione Concilii, ut illam emittat in manibus Datarii, vel Vicarii Urbis.*

5 *Canonicus, noviter provisus, Catholicam fidem profiteri debet coram Episcopo, vel, eo defuncto, coram Vicario Capitulari*, & num.9.

6 *Jurisdictio Ordinarii, ubi is defecerit, transfunditur in Vicarium Capitularem.*

11 *Obligatio emittendi professionem fidei, inhærens novis Canonicis, vel Dignitatibus, non porrigitur ad reliquos Beneficiatos, vel Portionarios.*

12 *Professionem fidei obtinentes Canonicatum, vel Dignitatem, debent emittere intra duos menses à die adeptæ possessionis.*

13 *Tempus præfinitum differendæ tantùm pœnæ gratiâ, obligationem non solvit.*

14 *Canonicus, qui neglexerit intra legitimum tempus fidei professionem emittere, quam pœnam incurrat*, & n.15.

16 *Pœna amissionis fructuum respectu Canonici, qui neglexit fidei professionem emittere, non extenditur ad distributiones quotidianas.*

17 *Distributiones quotidianæ dicuntur merces laboris, neque appellatione fructuum propriè continentur.*

18 *Fidei professio emissa post præscriptum tempus non suffragatur pro recuperandis fructibus interim amissis.*

19 *Pœna inflicta contra Canonicos negligentes emittere fidei possessionem, remitti nequit ab Episcopo.*

20 *Episcopus non potest dispensare circa pœnas comminatas per Concilium Tridentinum, nisi in casibus in eo expressis.*

21 *Canonicus, qui minimè implevit obligationem emittendi fidei professionem non gaudet privilegiis præsentium, dummodo à Papa dispensatus non fuerit*, ut num.22.

23 *Fructus subtrahendi in pęnam Canonici negligentis emittere professionem fidei, ad pios usus debent erogari, quemadmodum fructus non Residentium.*

DISCEPTATIO V.

Quoad primum: Ad normam *Tridentini sess.*24. *cap.*12. *de Reform.*, & ex *Pii IV.* Constitutione, quæ incipit: *Injunctum*, tenentur Canonici, & Dignitates Cathedralis Ecclesiæ, infra duos menses, post adeptam pacificam possessionem, emittere professio-
1 nem Fidei, non solum coram Episcopo, seu ejus Vicario generali, sed etiam coram Capitulo. Verba Tridentini sunt: *Provisi autem de Canonicatibus, & Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, non solùm coram Episcopo, seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur &c.* latè *Barbosa de Canonicis, & Dignit. cap.*17. *sup. Quaranta in Summa Bull. V. Fidei professio, Pax Jordan. lucubrat. Juris tom.*2. *lib.*10. *tit.*48. *num.*12. ubi DD.

Provisus de Canonicatu, vel Dignitate, an possit emittere professionem fidei per Procuratorem, videre est. Et in hoc variæ sunt Doctorum sententiæ:
2 pro prima, quod possit emittere illam per Procuratorem, habentem speciale man-

mandatum, hoc docet *Navarr. conf.4. sub num.2. de Summa Trinit. in antiquis, aliàs consil.11. de Jurejurando in novis, Campanil. divers. juris Canonici rub.8. cap.3. num.19. Ricciull. de Jure pers. lib.1. cap.13. à num.11. Vivian. de Jurepatronat. lib.15. cap.3. num. 27. Gratianus discept. forens. cap.166. n.22. Gonzalez ad Regulam 8. Cancell. §.7. num.169.*

Contrariam verò sententiam sustinent alii, relati à *Barbosa de potest. Episcop. alleg.61. num.20.*, & ad *Trident. d. cap.12. num.29. Sperell. decis.106.*
3 *num.37.* & pro hac secunda sententia facit Resolutio *Sacræ Congreg. Concil. in una Calaguritana 22. Septemb.1697.* ibi = *Non admittat provisos ad professionem fidei, nisi per se ipsos emittunt illam.*

Undè, quoties aliquis provisus fuerit de Canonicatu, vel Dignitate in Cathedrali Ecclesia, & reperiatur in Curia Romana, vel impeditus aliquâ legitimâ causâ, non possit statim acce-
4 dere ad suam residentiam, ibique emittere professionem fidei, juxta dispositą per *Tridentinum*, & *Bullam Pianam suprà*, tunc recurrere potest ad Sacram Congregationem Concilii pro gratia, ut eam emittere possit, vel in manibus D. Datarii, vel Præfecti ejusdem Sacræ Congregationis, aut Eminentissimi D. Cardinalis Vicarii, ut in casibus, de quibus eadem *Sacra Congreg. Concil. in una Bergomen. 23. Novembris 1630.*, & in *Syracusana 11. Januarii 1698.*, & in *Neritonen. 16. Novembris 1719.*, ubi fuit resolutum, Canonicum Petrum Manerium posse emittere professionem fidei in manibus Eminentissimi Cardinalis Vicarii.

Dubium oritur, quid servandum, mortuo Episcopo, an professio ipsa sit emit-
5 tenda coram Vicario Capitulari cum Capitulo ipso; & affirmativè respondendum
6 videtur: ratio est, quia jurisdictio Episcopi transfunditur in ipsum Vicarium Capitularem, *Garz. de Benefic. part.3. cap.3. num.27. Ricciull. de Jure personarum lib.1. cap.13. num.16. Navarr. in Summa Bullarum V. Fidei professio num.6.*

Hujusmodi fidei professionem emittere solent Canonici, ac Dignitates Ca-
7 thedralium, non solùm ubi illi fuerint Seculares, sed etiam ubi fuerint Regulares, ut ex *Garzia suprà num.16. Ricciullo suprà num.13.*

Idem locum habet, sive illi fuerint subjecti, sive exempti, *Garz. suprà n.21. Ricciull. suprà num.14.* Pariter locum
8 habet in eo, qui aliàs emiserit professionem fidei, ob adeptionem alterius Dignitatis, vel Canonicatus, *Garz. suprà num.17. Ricciull. suprà num.19. Barbosa alleg.61. num.8.*

Idem in proviso, sede Episcopali va-
9 cante, *Garz. suprà num. 24. Ricciull. suprà num.15. Barbosa dicta alleg. 61. num.17.*

Demum locum habet, sive sit provi-
10 sus per obitum, sive per resignationem, *Ricciull. suprà num.17.*

Quod diximus de Canonicis, vel Dignitatibus quoad onus emittendi pro-
11 fessionem fidei, non habet locum quoad Portionarios, Hebdomadarios, Beneficiatos, vel Cappellanos ipsius Ecclesiæ Cathedralis; nam Tridentinum suprà loquitur de Canonicis, & Dignitatibus tantùm; ac proinde, cum isti non sint tales, non comprehenduntur sub hoc Conciliari decreto; nam aliud est esse de Capitulo, & Capitularis, aliud verò est esse de Capitulo, & Canonicus, *Ricciull. suprà num.57. Barbosa ad Tridentin. dicto cap.12. num.25. Garz. d. part.3. cap.3. num.13.*

Sequitur, ut videamus, intra quod tempus emittenda sit professio fidei, & attenta tam dispositione Tridentini, quàm Pianæ constitutionis, ubi supra,
12 illa erit emittenda intra duos menses à die captæ pacificæ possessionis. Quod si infra dictum tempus Canonicus eam non emiserit, non ob id censetur solutus vinculo emittendi illam in posterum: etenim terminus duorum mensium à
13 Concilio assignatus, non est præfixus ad remittendam, seu terminandam obligationem, sed ad differendam pœnam *Garz. sup. n.29. Ricciullus supra n.37. Riccius in praxi Decis.220. num.4. parte 1.*

Quoad secundum. Quibus pœnis erit puniendus Canonicus, vel obtinens dignitatem in Cathedrali Ecclesia, ubicum-

cumque non emiserit d. fidei professionem tempore statuto, ut supra: & ultra peccatum mortale, quod incurrit, ubi
14 data opera, & in spretum, hoc egerit, ut docet *Garz. d. cap.3. n.65.*, *& Barbosa all.61. n.29.*: incurrit quoque pœnam amissionis fructuum decursorum post lapsum duorum mensium, non verò amittere videtur fructus decursos in ipsis duobus mensibus, ut habetur tam ex *Trid. d. cap.12.*, *& Piana constitutione*, *Garz. supr. num.39. Sacra Congreg. Concil. in una Bisinianen. 17. Augusti 1630.*

An autem teneatur in conscientia restituere fructus sic amissos, videlicet exactos post duos menses; & secundùm
15 unam sententiam, non tenetur restituere illos, donec condemnetur, scilicet sequutâ sententiâ declaratoriâ, *Doctores relati à Barbosa d. alleg.61. n.28.*

Alii verò putant, non emittentem professionem fidei intra dictos duos menses, ita fructus suos non facere, ut in conscientia teneatur illos restituere, etiam aliqua sententiâ non interveniente: ita *Garz. d. cap.3. n.35. Ricciull. sup. d. cap.13. n.43.*

Superiùs resoluta rectè procedunt in fructibus non autem in distributionibus quotidianis, quæ ob non factam pro-
16 fessionem fidei infra dd. duos menses non amittuntur, ea ratione quia illæ
17 dicuntur pretium laboris, & personalis servitii, eæque, proprie loquendo, fructuum nomine non veniunt, neque corpus beneficii augent: *Moneta de distribut. quotid. part. 2. q. 19. num.39. Riccius part.3. res.294.*, *& decis.112. part.4. Barbosa d. alleg.61. num.30. Ricciullus d. cap.13. num.51. Novar. in sum. bull. V. fidei professio n.11.*

Professio fidei, de qua supra, ubicumq; facta fuerit post lapsum temporis, illa non retrotrahitur, ad recuperandum
18 fructus amissos post dictos duos menses *Ricciull. supr. num.39. Garz. d. cap.3. n.30. Barbosa d. alleg.61. n.23.*

Quæ pœna procedit usque adeò, ut nec Episcopus loci Ordinarius possit
19 condonare fructus amissos ob non factam fidei professionem: ea ratione, quia Ordinarius loci non valet remittere
20 pœnam inflictam à Tridentino, nisi in casibus ibi expressè permissis, *Garz. d. cap.3. num. 53. Barbosa d. alleg. 61. num.32.*

Neque ante fidei professionem provisus potest haberi pro præsente in Ca-
21 pitulo, *Garz. supra num.50. Ricciullus supra lib.1. cap.16. num.8.*, ubi *num.9.* declarat, nisi forte hoc faciat ex indulto Papæ.

Omissio verò professionis fidei non
22 tollit possessionem in proviso, sed tantùm impedit illius effectum quoad fructuum perceptionem, *Ricciull. d. cap. 16. num.10. Barbosa d. alleg.61. n.26. Campanil. Rub.8. cap.3. n.17.*

Demum scias, fructus amissos ob non factam fidei professionem tempore de-
23 bito, applicandos esse in usum pauperum, vel fabricam Ecclesiæ, sicut fructus eorum, qui non resident, per *Trid. sess.23. cap.1. de Ref. Garz. d. cap.3. n.36. Barbos. d. alleg.6. n.31.*

ARGUMENTUM.

Canonicorum, seù Dignitatum onus, circa Ordines suscipiendos eorum Canonicatui, vel Dignitati annexos, expenditur. Negligentes ordines hujusmodi suscipere, quibus pœnis puniendi sint.

SUMMARIUM.

1 *Canonici, seu Dignitates, ordinem annexum suscipere tenentur, aliàs incurrunt pœnas à Sacris Canonibus præscriptas, atque à Concilio Tridentino innovatas*, & num.2. & 3.

Intellige nisi legitimo impedimento fuerint detenti, num.4.

5 *Canonicus, provisus à Papa de Canonicatu habente annexum ordinem, sub expressione ætatis insufficientis ad illum infra annum suscipiendum, tacitè videtur dispensatus super ætate, ut possit nihilominus distributiones lucrari*, & num.6.

7 *Pœna privationis medietatis distributionum, inflicta contra negligentes intra annum assumere ordinem Canonicatui annexum, de quibus distributionibus*

nibus sit intelligenda,& n.8. cum seq.

10 *Canonici, qui, ex eo quod recusaverint sese ad ordinem annexum promoveri facere, incurrunt pœnam privationis vocis activæ, num incapaces efficiantur vocis etiam passivæ, contendunt* DD. & num.11.

12 *Contra Canonicos detrectantes ascendere ad ordinem suo Canonicatui annexum, possunt Episcopi etiam ad pœnam privationis canonicè procedere*.

DISCEPTATIO VI.

CUm sint in aliquibus Cathedralibus, seù Collegiatis Ecclesiis, Canonici, seu dignitates, vel præbendati, aut similes, qui habent annexum certum ordinem; hinc videre est, an isti sint obligati eumdem ordinem suscipere infra annum, quatenus eodem non fuerint
1 insigniti de tempore provisionis factæ de hujusmodi dignitate, Canonicatu, vel præbenda; & aliter facientes, an incidant in pœnam? Et, quo ad utrunque, affirmativè respondendum videtur: ad *Textum in Clem. ut ii de ætate, & qualitate*, cum qua concordat, ac eamdem innovat, *Trid. sess.22.cap.4. de Reform. Moneta de distribut. quotid. part.2. qu.19. n.3.*

Tenentur igitur omnes Dignitates, Canonici, seu Præbendati, vel similes, tam Cathedralis quàm Collegiatæ Ecclesiæ, quibus annexus est certus ordo, ubi eo non fuerint insigniti, agere, ut infra annum ad eumdem ordinem pro-
2 moveantur; aliàs hoc agere non curantes (justo tamen impedimento cessante)
3 non solùm privantur voce activâ in Capitulo, sed etiam medietate distributionum, quæ dantur interessentibus in Choro, ut ex citata *Clementina, & Conciliari decreto Tridentini*.

Dixi *justo impedimento cessante*; etenim, quoties per Provisum non steterit, quin ordinem debitum susciperet, puta si toto illo anno ægrotavit, vel quia Epi-
4 scopus erat absens à Diœcesi, neque literas commendatitias habere potuit, vel eum Episcopus ordinare noluit, aut his similia contigerint, prout exemplificat *glossa in cap. commissa de Elect. in 6. V. justo impedimento, glossa in d. Clem. ut ii V. impedimenta:* post annum adhuc percipiet integras quotidianas distributiones: ratio est quia per ipsum non stetit, quin promoveretur, ita *Moneta de distribut. part.2. qu.19. n.22.*

Sicuti percipiet eas, ubi provisus à Papa cum expressione ætatis, ob defe-
5 ctum ætatis, ordinem ipsum suscipere non potuit, etenim exprimendo æta-
6 tem, videtur cum illo Papa dispensasse, ut quamvis nõ ordinatus ordine annexo suo Canonicatui, possit lucrari distributiones integras, interessendo in Choro, ut ex *Sacra Congreg. Conc. in una Reatina 13. Septembris 1631.*, & in altera *Mediolanen. 6. Martii 1632.*, ubi censuit, Canonicum, qui propter defectum ætatis, non potuit ordinari ad Sacros ordines, & provisus fuit à Papa cum expressione ætatis, debere lucrari distributiones quotidianas, si choro interfit, *Barbosa de Canonicis, & Dignitatibus cap.16. num.12.*

Privatio medietatis distributionum, quam incurrunt Canonici, vel Dignitates, & alii non curantes ordinem annexum eorum gradui suscipere infra annum, intelligenda est de iis dumtaxat
7 distributionibus, quæ propriè, & strictè distributiones quotidianę dicuntur: nempè quæ dantur iis, qui horis, seu officiis ordinariis intersunt, de quibus loquitur dicta *Clementina: Ut ii*; non autem de distributionibus extraordinariis, quæ dantur pro funeribus, seu anniversariis defunctorum, aliisque hujus-
8 modi, quæ largè, & generaliter distributiones dicuntur, ut benè *Moneta*, contra alios, *de distribut. quotid. part.1. quæst.3. num.12.* ubi *alii DD.*

Quod intellige, nisi distributiones
9 funeralium, seu anniversariorum, sint unitæ cum horis, *Garz. de Benefic. par.3. cap.4. in addit. sub num.15.*

Vocis appellatione de qua supra, ad normam *Clementinæ: Ut ii*, & *Tridentin. d. cap.4.*, qua privatur, qui non curat infra annum promoveri ad ordi-
10 nem annexum suo gradui, intelligenda est vox activa, quæ absolutè, & simpliciter vox dicitur, non autem vox passiva, undè hujusmodi Provisus valet eligi, quamvis alium eligere non possit, ita *Garz. d. num.15.*

Quam-

Quamvis *Less. de Justitia, & Jure lib.3.cap.34.num.105.* dicat, amittere
11 non solùm vocem activam, sed etiam passivam.

Ultra pœnas, de quibus supra, potest aliis pœnis affici in casu quo Cano-
12 nicus, de quo supra, negligens fuerit adimplere dispositionem jurium, de quibus supra, ut benè colligitur ex dicta *Clementina: Ut ii*; ibi = *Et pœnis aliis, quæ contra tales promoveri ad ordines recusantes statuuntur in Jure, nihilominus in suo robore permansuris*; & ita declaravit *Sacra Congreg. Concilii in una Patavina*, his verbis: *Canonici qui ordines sacros debitos post monitionem sumere recusant, ab Ordinario privari debent*, de qua *Garz. dict. part.3. cap.4. num.16.*

ARGUMENTUM.

Canonicorum, seu Dignitatum Onus, quale esse debeat circa officium in Choro peragendum: quale circa Missas, & similia.

SUMMARIUM.

1 *Canonici debent Missis Conventualibus, ac sacrarum horarum recitationi interesse.*

2 *Canonicis inhæret onus sua munia explendi per semetipsos; adeout nec sola eorum præsentia in Choro sufficiat*, & num.3.

Nisi aliter sese habeat consuetudo, legitimè præscripta, ut num.4. & seq.

6 *Canonicus, quatenus præ vocis exilitate, aliave justa causâ, onus canendi subire nequeat, potest alium ad hoc substituere.*

7 *Cantu figurato canere non tenentur Canonici, quibus proinde diebus solemnioribus hujusmodi cantus usui est, Canonici satisfaciunt simplici eorum assistentiâ.*

8 *Canonici, justâ concurrente causâ, Divina persolvere valent etiam extra Chorum, exceptis festivis diebus*, & num.9.

Imò extra quoque Cathedralem, præterquam similiter in solemnioribus festivitatibus, num.11.

10 *Lumina saltem duo stare debent in Ara majori accensa, dum Divinum officium recitatur.*

Canonici sine habitu Canonicali, ac superpelliceo interessentes, punctantur tanquam absentes, sub n.10.

12 *Ecclesia, quatenus polluta fuerit, Canonici alibi Divina officia peragere tenentur.*

13 *Canonicis legitima ex causa indulgetur, ut horâ etiam post solis ortum, Divinum recitent officium.*

14 *Canonici, prius quam in Choro conveniant, præmittere debent signum, deindeque expectare tertia parte horæ; & postea inchoare possunt officium, ampliùs non expectato Vicario*, ut num.15.

16 *Canonici egredientes è Choro, dum adhuc Divina peraguntur, non aliter evitare possunt punctaturas, quàm venia impetrata à prima Dignitate in Choro existente.*

17 *Canonici, præter recitationem horarum Canonicarum, tenentur Conventualem Missam celebrare certis statutis temporibus, atque insuper Missam de die singulis festivis diebus, quamvis contigerit cani aliquam Missam votivam*, ut num.18.

19 *Missam Conventualem Canonici canere tenentur per seipsos, neque ad illi assistendum possunt cæteros de Clero compellere.*

20 *Missam Conventualem Canonici applicare debent pro suffragio Fundatorum, nec pro ea possunt eleæmosynam recipere.*

21 *Pro functionibus, personaliter à Canonicis, ac Dignitatibus explendis, prima Dignitate deficiente, succedit secunda, & sic deinceps.*

22 *Canonico celebranti inservire debent alii similiter Canonici, non verò cogi poterunt Capellani, vel alii Beneficiati*, & num.23.

24 *Mansionariis, sive aliis inferioribus, Canonici non tenentur ministrare in officio Subdiaconi, vel Diaconi.*

Sicuti nec Dignitates Canonicis, num.25.

26 *Canonici, præsente Episcopo, celebrantes, ubi, & quomodo sedere debeant.*

27 *Canonici qui Missam celebrant, tenentur insuper officium vespertinum eodem die post prandium persolvere.*

28 *Punctator in Cathedralibus, sive Collegiatis Ecclesiis, ad quid constituatur, & in quibus versetur munus ejusdem*, & num.29.

30 *Episcopus potest exigere à Canonicis juramentum de fideliter punctando.*

31 *Libri punctaturarum Capituli defertur circa Canonicorum interessentiam.*

32 *Maximè, cum legaliter tenti fuerint, ac rogati per Secretarium Capituli, qualitate etiam Notarii præditum.*

DISCEPTATIO VII.

CAnonici, Dignitates, cęterive de Capitulo, sive Cathedralis, sive Collegiatæ Ecclesiæ, ut lucrentur fructus, & distributiones quotidianas, muneraque sua obire possint, Missæ sacris,
1 septemque horarum canonicarum precibus interesse debent: Etenim ob hanc rationem collegia hujusmodi instituta sunt, quo simul, dum Missæ sacrum cantu celebratur, ac recitantur preces septem horarum, ibi intersint, *Ugolin. de potest. Episcop. part.1. cap. 19. §.1. num.1.*

Munus hoc adimplere debent Canonici, & Dignitates per se ipsos, non
2 autem per alios; nam aliter non satisfaciunt eorum muneri ob solam assistentiam in Choro, ut expresè habetur dispositum à *Tridentin. sess. 24. cap.12. de Reform.* ibi = *Omnes verò divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut aliâ Pontificalia exercenti assistere, & inservire, atque in Choro ad psallendum instituto, hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devotèque laudare* = facit *Textus in cap.1. de Clericis non residentibus in 6. Sacra Congreg. Concil. in una Tarvisana 23. Februarii* 1636. *lib.15. dec. fol.*312.

Quod locum habet, etiam ubi non fuerint, nisi duo, vel tres Canoni-
3 ci: quo casu etiam tenentur canere officium in Choro, aliàs erunt ab Ordinario loci privandi distributionibus quotidianis, *Sacra Congreg. Concil. in una Nallius Orbitelli* 31. *Martii* 1696.

Licèt alii putent, Canonicos satisfacere eorum muneri solâ assistentiâ in
4 Choro; ac proindè distributiones quotidianas lucrari, licèt non cantent, juxtà dispositionem *Tridentini sup.* ibi = *Distributiones verò, qui statutis horis interfuerint, recipiant*: *Moneta de quotid. distribut. part.2. quæst.2. Bonacina de horis Canonicis disp.1. quæst. 3. part.2. §.1. num.17.* concordat *Text. in cap. licèt de Præbendis* ibi = *qui intersint horis Canonicis exhibentur* = *cap. unico de Clericis non resident. in 6.* ibi = *Qui eisdem officiis in ipsis Ecclesiis adfuerint.*

Sed tu sic concilia, primam esse veram de Jure, ex eo quòd verba Triden-
5 tini sunt clara. Secundam locum habere posse in iis Ecclesiis, in quibus viget consuetudo, aut statutum, ut Canonici satisfaciant interessendo in choro tantùm, & canendo per Cappellanos officium divinum, & Missam, aut per cantores musicos, *Doctores apud Bartol. à S. Fausto de horis Canonicis lib. 3. quæst.19.*

Potest verò Canonicus, quoties habuerit vocem adeò debilitatam ex diu-
6 turna infirmitate, itaut canere non valeat, satisfacere per alium Canonicum, qui non est de hebdomada, ac distributiones quotidianas percipere, præstitâ tamen per se ipsum interessentia in choro, *Sacra Congreg. Concil. in una Nullius 7. Februarii* 1643. *lib. 17. decret. fol.*140.

In persolvendis horis, Canonici non tenentur ad harmoniacam modulatio-
7 nem cantus figurati, sed satisfaciunt in magnis festivitatibus, in quibus Ecclesia eo cantu utitur, assistendo cum debita attentione cantoribus, *Comitol. Responsf. Moral. lib.1. quæst.62. num.2. Cenedus pract. quæstionum Canonic. lib.1. quæst.2. à num.5., & 14.*

Canonici, ut dixi, licèt recitare debeant officium divinum in choro, nihil-
8 ominus aliquando, legitimâ concurrente causâ, veluti ob frigus, extra illum possunt horas canonicas recitare arbitrio Episcopi, diebus verò festivis debent

9 bent illas recitare in choro, quacumque
consuetudine in contrarium non obstan-
te, *Sacra Congreg. Rituum in una Lu-
nen. Sarzanen.* 3. *Martii* 1633. ubi etiam
fuit decisum, lumina duo, ad minus, in
Altari accensa esse debere, dum recita-
10 tur divinum officium, & Canonicos in-
teressentes divinis officiis sine habitu
canonicali, & superpelliceo, debere
punctari, *Barbosa de Canonicis cap.* 34.
num. 8. *erga finem*.

Sicuti etiam eisdem videtur permis-
sum, ob insalubritatem aeris, ut in alia
11 Ecclesia, præter Cathedralem, offi-
cium divinum persolvere possint, exce-
ptis solemnioribus anni festivitatibus,
Sacra Congreg. Concil. in una Nebien.
7. *Februarii* 1637.

Vel, ubi Cathedralis Ecclesia fuerit
12 polluta, tunc in alia possunt, & debent
celebrare divina officia, *Sacra Congreg.
Concil. in una Savonen.* 4. *Martii* 1665.
lib. 19. *decret. fol.* 115.

Erit tolerandum Canonicis, quod re-
citent divinum officium post ortum So-
13 lis etiam per horam, propter insalubri-
tatem aeris loci, in quo sita est Cathe-
dralis, vel Collegiata Ecclesia, ut ex
*Sacra Congreg. Concil. in una Romana
S. M. in Cosmedin*, quæ dicitur: *la boc-
ca della verità*, 11. *Decembris* 1694.,
26. *Martii* 1695. & 12. *Februar.* 1666.
& *in Trojana* 4. *Februarii* 1699.

Ubi accedere voluerint ad chorum
pro peragendis divinis officiis, debent
priùs dare signum, quo dato tenentur
14 aliquantulum expectare, etiam per ter-
tiam partem unius horæ; & postea offi-
cium inchoare, *Sacra Congreg. Rituum
in una Tarentina Cryptaliarum* 3. *Se-
ptembris* 1605. *ad dub.* 5.

Quo quidem brevi tempore transa-
cto, inchoare possunt officium, etiam
15 non expectato Vicario generali Epi-
scopi, accedere volente ad Ecclesiam,
& chorum, *Sac. Congreg. Rituum in una
Neritonen.* 2. *Februarii* 1606. *Sell. in
Selectis Canonicis cap.* 3. *num.* 96. *Bar-
bosa de Canonicis cap.* 34. *num.* 7. & 8.

Cum in choro fuerint congregati, si
ab illo exire voluerint, ad effugiendas
16 punctaturas, debent petere veniam à
prima Dignitate Capituli existente in
choro; *Barbosa supra n.* 22. *Sacra Con-
greg. Rituum in una Cassanen.* 5. *Mar-
tii* 1633. *Sac. Congreg. Episcop. & Re-
gul. in una Lunen. Sarzanen.* 4. *Junii*
1701.

Quoad secundum: Ultra officium de
quo supra, Canonici, attento onere
eisdem injuncto, tenentur canere Mis-
17 sam Conventualem tempore Adventus,
Quadragesimæ, ac quatuor Temporum;
necnon Missam de die omnibus diebus
festivis; nam aliter non videntur satis-
facere eorum muneri, *Ugolin. de Offic.
Episcop. part.* 1. *cap.* 19. §. 1. *Sacra Con-
greg. Rituum in una Faventina* 25. *Ju-
nii* 1611., & 28. *Januarii* 1612., *Lu-
nen.* 5. *Martii* 1633.

Quod locum habet, etiam si accide-
rit, eo die cantari Missam votivam,
18 quia nec tunc est omittenda Missa Con-
ventualis, *eadem Sac. Congreg. Rituum
in dicta Faventina* 16. *Januarii* 1627.
abrogata omni contraria consuetudine,
ut in *eadem causa* 18. *Julii*, & 28. *Au-
gusti* 1628. *Sac. Congreg. Concil. in una
Forosempronien. Missarum* 7. *Augusti*
1683. *ad dub.* 2.

Missam verò prædictam debent cane-
re per se ipsos Canonici; cum non va-
19 leant cogere alios de Clero pro assi-
stentia, quacumque consuetudine in
contrarium non obstante, & ita habe-
tur ex *Tridentin. sess.* 24. *cap.* 12. *de Re-
form.* per hæc verba: *Omnes verò divi-
na per se, & non per substitutos compel-
lantur obire officia*: *Sac. Congreg. Con-
cil. in una Civitatis Castelli* 16. *Martii*
1654., & *in Squillacen.* 24. *Septem-
bris* 1712. *ad* 1. *dub. Ciarlin. controv.
forens. lib.* 1. *cap.* 38. *num.* 29.

Pro applicatione dictæ Missæ Con-
ventualis, eleæmosynam recipere non
20 valent Canonici, cùm illa applicanda
sit pro fundatoribus, *Sacra Congreg.
Concil. in una Civitatis Castellanæ* 4.
Martii 1690. *Hidruntina* 1. *Martii* 1692.
Cathacen. 29. *Novembris* 1698. *Pigna-
tell. Consult. Canonic. tom.* 1. *consl.* 321.

Canonici, vel Dignitates de Capi-
tulo, in decantatione Missæ, Evangelii,
vel Epistolæ, debent tale munus exple-
21 re per se ipsos juxta ordinem debitum;
ac proinde, si Missa de Jure canenda sit
per primam Dignitatem Capituli, qua-
tenus is non potuerit, locus spectat ad

P 2 secun-

fecundam Dignitatem, & fic de cœteris, *Garz. suprà num.496. Sacra Rituum Congreg. in una Abulen.* 18.*Maji* 1602. & nos infra *discept.*17.

Canonico folemniter celebranti pro Diacono, & Subdiacono, debent pa-
22 riter infervire Canonici, non autem Capellani, vel Beneficiati, aut Hebdomadarii, quacumque confuetudine in contrarium non obftante, *Sacra Congreg. Rituum in una Sipontina* 18.*Maji* 1631. *Lunen.Sarzanen.*5.*Martii* 1633. *Tolentina* 7. *Aprilis* 1696. *Neapolitana* 25. *Januarii* 1698. *Sacra Rota recent. part.*10. *decis.*102. *Cardin. de Luca de Canonicis, & Capitulo disc.*3. *Sac.Congreg.Concil. in una Cafalen.* 28. *Januarii* 1690.

Quod procedit non folùm in Cano-
23 nicis junioribus, fed etiam in fenioribus, *Sac. Congreg. Rituum in una Nucerina Paganorum* 25. *Januarii* 1698.

Non poffunt verò Canonici cogi miniftrare in officio Diaconi, vel Subdiaconi, Manfionariis, vel Hebdomada-
24 riis, aut cęteris inferioribus ipfis Canonicis, non obftante quacumque confuetudine in contrarium, *Sac. Congreg. Rituum in una Hifpalen.* 1. *Junii*1601. *Materanen.* 5. *Julii* 1614. de quibus *Sell. in Selectis Canonicis cap.*3. *n.*59.

Idem procedit in Dignitatibus Capituli; etenim Dignitates non debent in-
25 fervire pro Diacono, vel Subdiacono Canonicis, *Sacra Congreg. Rituum in una Gerunden.* 3. *Octobris* 1699. Nam effet monftruofum, ut major inferviat minori.

Canonici, feu Dignitates, folemniter celebrantes, non debent federe co-
26 ram Epifcopo in fede cum poftergali, fed in aliquo fcamno oblongo, tapete, vel panno cooperto, à latere Epifcopi, juxta Cœremoniale Epifcoporum, *Sacra Congreg. Rituum in una Turritana* 19. *Maji* 1614. ita *Aldanus in Compendio resolut. Canonic. lib.* 3. *tit.* 12. *num.*9.

Miffam folemnem celebrantes pariter tenentur vefpertinum officium per-
27 folvere eodem die poft prandium, & hora debita, non obftante quacumque confuetudine in contrarium, *Sac. Congregat. Rituum in una Æfina* 25. *Januarii* 1605. de qua *Sellius in Selectis Canonicis cap.*3. *num.*54.

Ad hoc ut Canonici, & Dignitates, cœterive de Capitulo, rectè poffint ad-
28 implere munus eifdem de Jure injunctum, ftatutum eft, ut affignetur, ac conftituatur Punctator, cujus munus eft notare eos, qui non interfunt divinis: qui ante fuam deputationem debet jurare, fe fideliter fuum munus obiturum, propofitâ pœnâ, fi in officio fidelis non erit: ita *Fuscus de visitat. lib.*1. *cap.*15. *num.*29. ubi *DD.*

Qui quidem Punctator tenetur oftendere librum Epifcopo, quotiefcumque
29 ab eo fuerit requifitus, *Ugolin. de Officio Epifc. cap.*19.§.1. *num.*7.

Poterit enim Epifcopus cogere Canonicos ad præftandum juramentum de
30 fideliter punctando in choro, ut cenfuit *Sacra Congreg. Concil.* 17. *Martii* 1619.

Quibus quidem libris Capituli circa Canonicorum intereffentiam in choro
31 ftandum eft, ut docet *Felin. in cap.ad audientiam num.*6. *de præscript. Ancharan. conf.*44. *num.*5. *Rota recent. part.*2. *decis.*629., *& in Elven. distribut.*25.*Junii* 1629. *coram Durano, inter suas est decis.*216. *num.*1.

Eoque magis ipfi libri pro ipfo Capitulo fidem faciunt, fi fuerint tenti, &
32 rogati per Secretarium Capituli, qui fuerit Notarius, *Rota in una Burgen. expensarum* 31. *Januarii* 1625. *coram Merlino inter impressas decis.*154. *n.* 4.

ARGUMENTUM.

Canonicorum, seu Dignitatum onus, circa obsequia Episcopo præstanda, tàm in accessu illius ad Ecclesiam, quàm in recessu ab illa.

SUMMARIUM.

1 *Canonici, itemque Dignitates, tenentur, obsequii gratiâ, è Palatio Episcopali, quatenus parum distet, associare Episcopum accedentem ad Ecclesiam, sacra facturum, vel Divina officia auditurum*, & n.2. & 14.

Vel

Vel ab alio intermedio loco ad id destinato, cùm domus Episcopalis longè distat, num.3.

Quod tamen solemnioribus diebus per Canonicos præstandum est ex debito justitiæ; reliquis verò diebus ex sola urbanitate, num.4. & 6.

Quinimo, exceptis dictis festis solemnibus, sufficit quòd Episcopum excipiant in foribus Ecclesiæ quidam de Capitulo, porrecto per digniorem aspersorio, eumdemque Episcopum redeuntem usque ad Ecclesiæ januam similiter comitentur, num.7.

Nisi aliter sese habeat consuetudo, num.13.

5 *Canonici Diaconi, Episcopo ad Ecclesiam progredienti tunc demum hinc inde assistere debent, cùm ille accedit paratus pluviali, ac mitrâ.*

Declara, ut num.12.

8 *Episcopo ingredienti Collegiatam Ecclesiam porrigere debet aspersorium dignior ipsius Collegiatæ, vel Cathedralis, quatenus interveniat Capitulum ipsius Cathedralis*, & num.9.

10 *Festivitates solemnes quænam dicantur*, & num.11.

15 *Episcopus, quatenus intendat ad Ecclesiam accedere sacra facturus, vel Divina auditurus officia, denunciare debet horam sui adventus.*

Hora autem adventa, adhuc aliquantisper expectandus est; deinde dato ultimo signo, officium incohari potest, absente licèt Episcopo, n.16.

Incohato officio Episcopus si venerit, quomodo excipiendus sit, n.17.

Et qualiter, cum ad Ecclesiam accedit, decantato Evangelio, atque incohata concione, num.18.

Qualiter etiam eidem Episcopo obsequendum sit per Canonicos, ubi completa concione, ante tamen finitam Missam, recedat, num.19.

Vel si absoluto Sacrificio Missæ, ante recitationem horæ sextæ, discedere voluerit, num.20.

21 *Canonici associare tenentur Episcopum revertentem domum suam post recitatum in Choro Divinum officium, januam usque Ecclesiæ, sive illius atrium.*

Vel usque ad januam Palatii Episcopalis, quatenus illud sit contiguum Cathedrali, num.22.

23 *Canonici non tenentur Episcopum associare de Altari, ubi Missam celebravit (ut ajunt) planam, ad Sedem Episcopalem, quatenus Missæ Conventuali interesse velit.*

24 *Nec obligantur, nisi de honestate, comitari Episcopum, qui veniat ad cubiculum Capitulare.*

25 *Canonici, Episcopum incedentem per Ecclesiam, ac benedicentem populo, associare debent, capite detecto.*

DISCEPTATIO VIII.

Non tantùm urbanitate, sed debito justitiæ tenentur Canonici, habitu Canonicali induti, accedere ad domum Episcopi, eumque associare ad Eccle-
1 siam celebraturum, vel divina officia auditurum, cum cappa accedentem; & finito officio illum in reditu associare, ita ex *Ceremoniale Episcoporum cap.15.* ibi = *Cùm Episcopus, rei divinæ peragendæ causâ, ad Ecclesiam venturus erit, sive ipsemet celebraturus sit, sive alter, debent Canonici omnes in eorum Ecclesiastico, & Canonicali habitu, appropinquante hora, ad illum accedere, eumdemque, cappâ indutum, ex ea aula, sive camera, quam ad hoc destinaverit, ad Ecclesiam progredientem comitari, & deducere &c.* & paulò inferiùs habetur ita = *In redeundo idem ordo servetur* = *Sacra Congreg. Rituum in una Ragusina* 8. *Maji* 1617. *Tarvisana* 19. *Januarii* 1619.

Locum habent supradicta, etiam si Palatium Episcopale non sit contiguum
2 Ecclesiæ Cathedrali, dummodo non distet ab illa ultra passus sexaginta, *Sacra Congreg. Rituum in una Colimbrien.* 6. *Julii* 1602. Vel ultra passus 110., ut *per eamdem Sacr. Congreg. Rituum in una Elven.* 10. *Januarii* 1604., vel ultra passus 160., ut *per eamdem in una Terracinen.* 20. *Augusti* 1622.

Si verò palatium sit longè distans,
3 debet associari ex aliquo loco, ad hoc deputato, *Sacra Congreg. Rituum in una Oscen.* 16. *Maji* 1601. *Barbosa de Canonicis cap.32. à num.1. ad 5.*

Supradicta servare tenentur Canonici,

ci, in solemnioribus tantùm diebus,
4 cum accedit Episcopus ad Ecclesiam
Cathedralem, videlicet, in quibus cum
Cappa ad solemniter celebrandum ac-
cedere voluerit, seu, ut divinis officiis
assistat, non autem aliis diebus, *Sacra
Congr. Rituum in una Perusina* 20. *No-
vembris* 1602. *& in Placentina Pro-
vinciæ Compostellanæ* 4. *Julii* 1615. *ad
dubium primum*.

Et Canonici Diaconi non tenentur
hinc inde assistere Episcopo, dum acce-
dit ad Ecclesiam, nisi quando est para-
5 tus cum pluviali, & Mitra, *eadem Sa-
cra Congreg. Rituum in una Æsina*
30. *Augusti* 1602. *Gallemart. ad. Tri-
dentin. sess.*24. *cap.*12. *de Reform.* ubi
*num.*44. adducit quamdam Resolutio-
nem *Sacræ Congreg. Concilii in una
Abulen.*

Dixi *in diebus solemnioribus, & ubi
accedit cum cappa*; etenim aliis diebus,
6 & ubi sine cappa, sed privatè accedit,
tunc Canonici non tenentur ex debito
justitiæ, sed tantùm ex urbanitate hæc
obsequia eidem Episcopo præstare: imò
satis erit, si aliqui ex Dignitatibus, &
Canonicis, ad ostium Ecclesiæ illi oc-
currant, cui dignior ex ipsis asperso-
7 rium cum aqua benedicta ministrare de-
bet; ipsoque abeunte, similiter facere
tenentur, eumdem comitando usque
ad januam Ecclesiæ, *Sacra Congreg. Ri-
tuum in una Brundusina* 2.*Martii*1602.
Asculana 16. *Decembris* 1606. *Ripana*
24. *Octobris* 1609. *Sarzanen.* 12. *Mar-
tii* 1618. *Tarvisana* 19. *Januarii* 1619.
Limana in Indis 26. *Maji* 1621. *Lunen.
Sarzanen.* 3. *Martii* 1633.

Accedente verò Episcopo ad Eccle-
siam Collegiatam, eidem aspersorium
8 porrigendum erit à digniore de illo Ca-
pitulo; si verò adsit cum Episcopo Ca-
9 pitulum Cathedralis, tunc porrigen-
dum erit à digniore de Capitulo Cathe-
dralis, *Sacra Congreg. Rituum in una
Camerinen.* 15. *Martii* 1618. *ad dub.*2.

Quæ autem dicantur festivitates so-
lemnes, ad effectum, de quo agimus,
10 quibus Episcopus potest incedere ad
Ecclesiam cum cappa, seu pluviali, re-
fert *Cæremoniale Episcopor. lib.*2.*cap.*1.
& 34., ad quod recurrendum esse in
hac parte censuit. *Sacra Congregatio
Rituum in una Lemecen.* 17. *Martii*
1607.

11 Dies verò solemnes ad hunc effectum,
sunt illi, de quibus in *Cæremoniale Epi-
scoporum* habetur *cap.*1. *&* 25., ex qui-
bus statuitur, posse Episcopum ad libi-
tum celebrare, vel divinis officiis assi-
stere, ut dicit *eadem Sacra Congreg. Ri-
tuum in una Terracinen.* 18. *Martii*
1623. *&* 1. *Decembris* 1632., ubi do-
cet, festivitates solemnes esse festum
Paschatis Resurrectionis, feriam quin-
tam in Cœna Domini, festum Ascensio-
nis, festum Pentecostes, festum SS. Apo-
stolorum Petri, & Pauli, festum Assum-
ptionis B. V., festum omnium Sancto-
rum, festum Nativitatis D. N., & fe-
stum Epiphaniæ: his diebus tenentur
Canonici Episcopum associare, & re-
ducere.

Dixi *cum cappa*, scias quòd in illis
locis, aut Provinciis, ubi ex consuetu-
12 dine Episcopus accedere solet ad Ec-
clesiam absque cappa, sed alio habitu
indutus, tunc attentâ hujusmodi con-
suetudine, debent quoque Canonici,
ac Dignitates de Capitulo ei præstare
illa obsequia, ac si Episcopus cappâ in-
dutus esset, *Sacra Congreg. Rituum in
una Elbonen.* 8. *Martii* 1600. *Barbosa
de Canonicis, & dignit. cap.* 32. *n.*11.
in fine.

Ita etiam, ubi adest consuetudo, quòd
Episcopus accedat ad Ecclesiam cum
cappa, ut Pontificaliter celebret, vel
13 ut divinis officiis assistat, etiam diebus
dominicis, ac festis non solemnioribus
per annum, adhuc Canonici illum reci-
pere debent à cubiculo, seu camera de-
putata, eumdem associando ad Eccle-
siam, & in reditu, finito officio, usque
ad portam Palatii: & hoc attenta ipsa
laudabili consuetudine, quæ servanda
erit, ut censuit *Sacra Congreg. Rituum
in una Ripana* 30. *Januarii* 1610. *Sel-
lius in Selectis cap.*3. *num.*124., & Do-
ctores passim.

Quidquid diximus de Canonicis,
quoad hujusmodi obsequia præstanda
14 Episcopo tàm in accessu, quàm in re-
cessu, locum habet quoad Dignitates
de Capitulo, licèt Cœremoniale de Ca-
nonicis tantùm loquatur *Sac. Congreg.
Rituum in una Perusina* 21. *Aug.* 1601.
Epi-

Episcopus, ut supra, quoties accedere voluerit ad Ecclesiam, debet ho-
15 ram sui adventus significare Canonicis; ne propter obsequia illi præstanda in associatione prædicta, divina turbentur, *Sacra Congr. Rituum in dicta Elboren. 16. Maji* 1601. *Placentina provinciæ Compostellanæ 4. Julii* 1615.

Quod si fuerit intimata hora certa officii, datoque signo, eo non venien-
16 te, officium est inchoandum; hora verò prius est stabilienda cum Episcopo: tenentur tamen Canonici, dato signo, aliquantulum expectare, & postea dare ultimum signum, & inchoare officium, etiam illo non expectato, pro ut ex *dicta Elboren.*, *& Placentina ad dubium quintum*.

Quando verò, post inchoatum officium, Episcopus ad Ecclesiam descen-
17 dit, tunc satis erit, si quatuor, vel quinque ex Canonicis, ei obviam eant: & major pars Canonicorum in Choro remaneat, *Sacra Congr. Rituum in dicta Placentina*, *eadem Sacra Congreg. in una Lunen. Sarzanen.* 3. *Martii* 1633. ibi: *Sacra &c. censuit quod Episcopo venienti ad Ecclesiam, dum in Choro à Canonicis recitantur horæ Canonicæ, saltem duo ex Canonicis tenentur ex choro discedere, eique obviam ire porrigentes aspersorium*.

Et si Episcopus venit ad Ecclesiam eo tempore, quo post decantatum Evangelium inchoatur Concio, tunc quatuor, vel quinque ex Canonicis ei obviam ire tenentur, laudabiliter eum
18 recipientes, ut dignitas Pastoralis exigit: *Sacra Congreg. Rituum in d. Placentina ad dub.* 2.

Quod si Episcopus finita Concione, velit domum redire, non debent Cano-
19 nici deserere Missam, sed tantùm tres, vel quatuor Episcopum usque ad portam comitari debent, & statim redire, *Sacra Congreg. in dicta Placentina ad dub.* 3.

At si voluerit discedere, post finitam Missam, nec expectare quòd hora sexta
20 recitetur, quæ de consuetudine Ecclesiæ immediatè, finitâ Missâ, cantari solet, omnes saltem usque ad portam Ecclesiæ eum comitari tenentur, *Sacra Congr. in d. Placentina ad dub.* 4.

Finito officio, tenentur Canonici associare Episcopum redeuntem ad suum Palatium Episcopale usque ad ex-
21 trinsecam partem januæ Ecclesiæ, vel usque ad illius atrium, ut in *Cæremoniale Episcop. lib.* 1. *cap.* 1. *in fine*, *Sac. Congreg. Rituum in una Cremonen.* 28. *Septembris* 1602.

Vel usque ad portam domus, seu Pa-
22 latii Episcopalis, quando Palatium est contiguum Ecclesiæ Cathedrali, *Sacra Congreg. Rit. in dicta Placentina ad dub.* 6.

Non teneatur Canonici associare Episcopum ab eo Altari, in quo Missam planam celebravit, ad Sedem Episco-
23 palem, quatenus voluerit Missæ Conventuali assistere: *Sacra Congreg. Rituum in una Tiphernatensi* 1. *Julii* 1603. *Sellius in selectis cap.* 3. *n.* 128.

Nec tenentur, nisi ex urbanitate, associare Episcopum venientem ad ca-
24 meram Capitularem, *eadem Sac. Congr. Rituum in una Salamantina* 16. *Julii* 1605.

Canonici verò, associantes Episcopum incedentem per Ecclesiam, dan-
25 do benedictionem, tenentur eum associare capite detecto: *Sacra Congreg. Rituum in una Lunen. Sarzanen.* 3. *Martii* 1633.

ARGUMENTUM.

Canonicorum, seu Dignitatum onus circa assistentiam Episcopo præstandam, eo celebrante, vel Pontificalia exercente?

SUMMARIUM.

1 *Episcopo solemniter celebranti, vel aliàs Pontificalia exercenti, Canonici, & Dignitates assistere tenentur, eique inservire: & quomodo*, num. 2. & num. 8. cum seqq.

Amplia tum in Cathedrali, tum in reliquis Ecclesiis Civitatis, num. 4.

Limita verò extra Civitatem, n. 5.

Quod si id præstare detrectent, puniri possunt etiam Ecclesiasticis censuris, num. 3.

6 Ca-

6 *Canonici Cathedralis assistere, atque inservire tenentur Episcopo sacrum solemniter celebranti in alia Collegiata, sive Parochiali Ecclesia Civitatis.*

7 *Canonici Cathedralis censentur velut pars corporis Episcopi.*

18 *Cæremoniale Romanum tanquam lex servandum est circa sacras ceremonias*, & num.19.

Limita nisi ex laudabili consuetudine aliter servet Ecclesia, num.20.

21 *Consuetudo contra, vel præter Ceremoniale Romanum, quatenus servari debeat*, & num.22., & seqq. *ubi exemplificatur.*

25 *Episcopo solemniter celebrante, vel supplicationes ducente, Dignitates pluvialibus, Canonici presbyteri planetis, Diaconi verò, & Subdiaconi Dalmaticis uti debent.*

26 *Canonici, an & quomodo assistere teneantur Episcopo suffraganeo loco Metropolitani Divina peragenti*, & num.27.

DISCEPTATIO IX.

Episcopus, ubi solemniter celebraverit, aut ubi Pontificalia exercere voluerit, tenentur eidem Canonici, &
1 Dignitates de Capitulo assistere, & inservire, juxta disposita per *Tridentin. sess.24. cap.12. de Reform.* illis verbis: *Omnes verò divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut Pontificalia exercenti assistere, & inservire. Ugolin. de Officio Episcop. part.1. cap.19.§.3. in principio.*

Hinc cum Episcopus sacra facit, ei assistere tenentur Archidiaconus, seu
2 prima Dignitas Capituli, & duæ aliæ Dignitates, vel duo Canonici præter Diaconum, & Subdiaconum, *Sacra Congreg. Rituum in una Jacensi de anno* 1609. & alibi. Et sic à prima Dignitate, vel à primo Canonico in ordine presbyterali constituto, assistentia cum pluviali Episcopo celebranti facienda erit, *eadem Sacra Congreg. Rituum in una Vercellen. 7. Augusti* 1610. *Reatina* 10. *Januarii* 1609.

Aliàs, hoc agere recusans, debitis pœnis, etiam per censuras Ecclesiasticas
3 cogi potest, etiam si ipsa prima Dignitas sit unica, quia nihilominus ad assistendum etiam sub eisdem pœnis cogi poterit, *Sacra Congreg. Rituum in una Calaguritana* 12. *Decembris* 1620.

Assistentia, de qua suprà, præstare debent Episcopo Dignitates, & Cano-
4 nici, ut demonstravimus, non solùm ubi ipse Episcopus Pontificalia exercet, aut solemniter celebrat in Cathedrali Ecclesia, verumetiam ubi hoc agit in quacumque Ecclesia Civitatis, *Sacra Congreg. Rituum in una Salamantina* 10. *Januarii* 1604., & in *Eboren. 7. Julii* 1612. *Sacra Congreg. Concil. in una Licien. 7. Augusti* 1641. 17. *Aprilis* 1649. *Gratian. discept. forens. c.*467. *à num.*55.

Dixi *in aliqua Ecclesia Civitatis*; etenim, si Episcopus solemnes functiones
5 agere voluerit extra Civitatem, non tenentur Canonici ibi ei assistentiam præstare, *Sac. Congreg. Rituum in una Ragusina* 13. *Julii* 1658. *Pignatell. consult. Canonic. tom.*8. *consult.*35.

Si contigerit quòd Episcopus solemniter celebrare voluerit in Ecclesia
6 Collegiata, vel Parochiali, tunc Canonici Cathedralis ei assistentiam facere debent, non autem Canonici Collegiatæ, aut Parochus, respectivè loquendo, *Sacra Congreg. Rituum in una Bononien.* 20. *Aprilis* 1602., & in *Brundusina* 15. *Julii* 1617. *Barbosa de Canonicis cap.*33. *num.*11.

Ratio supradictorum est, quia Canonici Cathedralis Ecclesiæ dicuntur pars
7 corporis Episcopi; ac proinde semper incedere debent cum suo capite, ad *Text. in cap. requisitis de testam. cap. statutum de rescript. in* 6.

Duo primi Canonici Diaconi, ubi præbendæ sunt distinctæ inter Subdia-
8 conales, Diaconales, & Presbyterales, debent hinc inde assistentiam præstare Episcopo solemniter celebranti, ut expressè cavetur *in lib.* 1. *Cæremonialis cap.*8. *Sacra Congreg. Rituum in una Placentina* 19. *Maji* 1607. *ad dub.*7. *Barbos. Summ. Apost. decis. coll.*100. *n.*5.

Quod quidem locum habet etiam
9 quando facit ordinationes, *Sacra Congreg. in d. Placentina ad dub.*2. *Barbosa d. coll.*100. *num.*7.

Illi præstando assistentiam Episcopo solemniter celebranti, non tenentur ei-
10 dem ponere, & deponere biretum, sicut ei tenentur ponere, & deponere Mitram, *Sacra Congreg. Rituum in una Saonen.* 21. *Augusti* 1604. *Barbosa d. Coll. num.*8., *eadem Sacra Congreg. in una Thelesina*, ubi quæsitum fuit, an Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Martini terræ Cerreti teneantur deponere, ac ponere biretum in capite Episcopi, respondit negativè *sub die* 22. *Decembris* 1629., & in altera *Isernien.* 21. *Augusti* 1632. ibi = *Censuit, neque Dignitates, neque Canonicos assistentes Episcopo teneri caput eidem tegere, & detegere, quando assistit divinis cum*
11 *cappa, & bireto*; nam circa biretum debet Episcopus sibi de per se illud extrahere, *Sac. Congreg. Rituum in una Lauden.* 4. *Aprilis* 1620.

Assistentia prædicta est præstanda per
12 turnum à Canonicis Episcopo celebranti, *Sac. Congreg. Concil. in una Bisinia- nen.* 16. *Januarii* 1638. *lib.* 15. *dec. fol.* 646.

Ipsi tantùm Canonici, & Dignitates de Capitulo, & non alii in Missa solem-
13 ni ante Episcopum, ad *Hymnum Angelicum, Credo, & Sanctus*, debent facere circulum, *Sacr. Congr. Rituum in una Maceraten.* 28. *Septembris* 1630.

Canonici, & Dignitates non tenentur ad benedictionem Episcopi genufle-
14 ctere, sed tantùm inclinare caput, nec tenentur genuflectere, quando Episcopum celebrantem thurificant, *eadem Sacra Congr. Rituum in una Oscen* 4. *Maii* 1613.

Ipsi Canonici, vel Dignitates assistentes, vel aliquo modo Episcopo so-
15 lemniter celebranti inservientes nullo modo tenentur genuflectere: *Sacra Congreg. Rituum in una Monopolitana* 15. *Decembris* 1632.

Canonici assistentes Episcopo celebranti, supervenientibus Canonicis, vel Dignitatibus dignioribus, tenen-
16 tur cedere locum dignioribus ipsis, non obstante, quod officium jam inchoatum fuerat, *Sacra Congreg. Rituum in una Asten.* 18. *Novembris* 1606. *Ferrarien.* 20. *Junii* 1609. *Isernien.* 21. *Junii* 1632.

Non est abs re videre, an Episcopo interveniente Missæ, vel vesperis, assistere debeat, pro Præsbitero assistente,
17 una ex Dignitatibus, an verò Canonicus primus post Dignitates: & *Sacra Congreg. Rituum in una Monopolitana* 15. *Decembris* 1632. mandavit servari dispositionem *Cæremonialis lib.* 1. *cap.* 7. & 8. per hæc verba = *aut præbendæ sunt distinctæ in Presbyterales, & Diaconales, & tunc Episcopo solemniter celebranti assistere debere pro Presbytero assistente Dignitatem de Capitulo, quocunque nomine nuncupetur, dummodo sit in Sacerdotio constitutus; Episcopo verò non celebranti, sed divinis tantùm præsenti, pro Presbytero assistente inservire debere digniorem Canonicum post Dignitates. Aut præbendæ non sunt distinctæ in Presbyterales, & Diaconales, & tunc Episcopo sive solemniter celebret, sive divinis tantùm præsens sit, pro Presbytero assistente inservire debere digniorem de Capitulo juxta dispositionem Cæremonialis lib.* 1. *cap.* 7. & 8.

Cœremoniale enim Romanum servandum esse circa assistentiam facien-
18 dam Episcopo à Dignitatibus, & Canonicis, monuit *Sacra Congr. Rituum in una Visen.* 31. *Junii* 1605.

Prout circa alia omnia servari debere, censuit *eadem Sac. Congr. in una Alexandrina* 15. *Martii* 1608., *in Mexicana* 4. *Aprilis* 1620.

Prout etiam dispositionem Cœremonialis Episcoporum tenetur Episcopus
19 omninò observari facere in Cathedrali, & in aliis Ecclesiis suæ Diœcesis: *Sacra Congr. Rituum in una Agrensi* 15. *Decembris* 1632.

Nisi adsit laudabilis, & immemora-
20 bilis consuetudo in contrarium, *eadem Sac. Congr. Rituum in una Salernitana* 16. *Junii* 1605.

Cœremoniale namque non tollit laudabiles, & immemorabiles consuetudines, sed tantùm abusus, ut expresse
21 habetur ex *eadem Sacra Congreg. Rit. in una Salamantina* 10. *Januarii* 1604. *Brundusina* 17. *Septembris* 1612. *Forolivien.* 4. *Aprilis* 1615. *Hidruntina* 30. *Januarii* 1616.

Undè servanda est consuetudo, tamquam

quam laudabilis, ut Dignitates, &
22 Canonici, Mitram, gremiale, thuribulum, ac similia ministrent Episcopo: *eadem Sac. Congr. Rituum in una Lamacen 5. Julii* 1603. ubi etiam fuit resolutum, servari debere consuetudinem,
23 ut Dignitas, seu Canonicus gestet baculum pastorale ante Episcopum in quibusdam diebus festivis.

Sustinens verò baculum Episcopi, dum celebrat solemniter, thurificandus
24 est immediatè post Diaconos assistentes: *Sacra Congreg. Rituum in una Bracharensi* 28. *Aprilis* 1607.

Tollendus tamen erit abusus, v.g. quod si Episcopus solemniter celebrat, aut
25 in processionibus incedit, omnes Dignitates, & Canonici, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi induantur pluvialibus; cùm Dignitates pluvialibus, Canonici Presbyteri Planetis, Diaconi, & Subdiaconi dalmaticis, & tunicellis uti debent: ita *Sacra Congreg. Rituum in una Neapolitana* 25. *Martii* 1602., & in *Placentina* 19. *Maii* 1607.

Demum est videndum, an Canonici teneantur assistere Episcopo suffraganeo, quando nomine Episcopi proprii, functiones Episcopales exercet, & af-
26 firmativè respondendum videtur: *Sacra Congreg. Rituum in una Bracharensi* 20. *Februarii* 1604.

Non debet verò habere assistentiam
27 duorum Canonicorum, ultra Diaconum, & Subdiaconum assistentes, ut haberet proprius Episcopus, ut *in dicta Bracharensi* 1. *Septembris* 1607.

ARGUMENTUM.

Canonicorum seu Dignitatum Onus circa Residentiam, expenditur: ubi de pœnis contra Canonicos, vel Dignitates non residentes.

SUMMARIUM.

1 *Canonici, & Dignitates in sua respectivè Cathedrali, vel Collegiata residere tenentur, quamvis supranumerarii solùm fuerint*, & n.6.

Atque etiamsi vocem non habeant in Capitulo, nec participare velint de distributionibus quotidianis numer.7.

Et quamvis fructus quoque amittere non curent tanquam omnes consistentes in hujusmodi distributionibus num.8,

2 *Canonici per solam moram in loco Canonicatus, residere non dicuntur, nisi Divinis etiam intersint.*

3 *Canonici nedum Choro interesse, sed canere quoque tenentur, aliaque canonicalia munia expedire*, & numer.4.

5 *Distributiones quotidianas lucratur Canonicus per solam materialem interessentiam.*

9 *Obtinens ex Apostolica dispensatione Monasterium in Commendam, simulque Canonicatum, quatenus Monasterio non incumbat Cura animarum, tenetur residere in Canonicatu.*

10 *Retinens vigore Apostolicæ dispensationis duos Canonicatus, vel duas Dignitates, vel duo alia beneficia æquè residentialia, ubinam residere teneatur*, & n.11. 13. & 14.

12 *Canonicus, qui in vim Apostolicæ dispensationis duos retinet Canonicatus, nequit percipere distributiones quotidianas alterius Canonicatus, in quo non residet.*

15 *Canonicis, ac Dignitatibus indulgetur a* Concilio Tridentin. sess. 24. cap. 12. de Reform. *ut pro tribus mensibus anni abesse possint a residentia, petitâ tamen licentiâ Ordinarii ut* n.16.

Limita, nisi in Ecclesia vigeat laudabilis consuetudo, ut Canonici teneantur toto anno residere, ut numer.21.

Rursus limita, nisi per statutum Ecclesiæ Apostolica auctoritate confirmatum, longior absentia permissa sit, n.22. & 23.

Vel nisi circa residentiam diversa adsit lex fundationis, quæ servari debet n.52., & seq.

17 *Episcopus præfinire potest eum numerum Canonicorum, qui eodem tempore abesse valeant juxta Tridentinum Concilium.*

18 *Ca-*

18 *Canonicis non permittitur abesse ex Indulto Sacri Tridentini Concilii, nec ultra quartam partem ipsorum eodem tempore, nec in occurrentibus anni solemnitatibus*, & n. 19.

20 *Canonicus, qui vigore Concilii Tridentini potest tribus mensibus singulorum annorum abesse a residentia; quatenus eidem specialiter a S. Sede indultum fuerit, ut per tres menses similiter abesse valeat, usque ad sex menses extra residentiam potest commorari.*

24 *Causâ tuendi jura Ecclesiæ, vel Capituli licet abesse a residentia, petitâ tamen licentiâ Episcopi, quamvis hæc injustè denegetur.*

25 *Canonicus, qui abest pro defensione jurium Ecclesiæ, lucratur etiam distributiones quotidianas.*

26 *Canonicus causâ studii excusatur a residentia, concurrente Episcopi consensu, & n. 27.*

Et tunc lucratur etiam duas ex tribus partibus distributionum quotidianarum.

Dummodo tamen in aliqua publica universitate studeat Theologiæ, vel juri Canonico n. 32. *&* 33.

Hujusmodi autem licentia quando, & cuinam concedi possit n. 29. & 30.

31 *Licentiam Canonico, ut possit abesse a residentia causâ studii, Episcopus nequit elargiri ultra quinquennium.*

34 *Causâ obsequii præstandi Episcopo potest quis licitè abesse a residentia, num autem hujusmodi absens lucretur distributiones quotidianas* n. 36. & 37.

35 *Canonicus, durante bello in loco Canonicatus, excusatur ab onere residendi.*

39 *Episcopus pro suo arbitrio concedere potest licentiam, ut quis abesse possit a residentia.*

40 *Canonici, vel Dignitates, qui citra justam causam absunt a residentia, quibus pœnis puniendi sint*, n. 41. & n. 44. & seqq.

Et an præcedere debeant trinæ Canonicæ monitiones, vel quomodo privandi sint n. 42. & 46. & sequen.

43 *Fructus Canonici absentis a residentia absque legitima causa, applicandi sunt in Ecclesiæ utilitatem.*

50 *Pœna privationis, quæ canonicè inflicta non fuerit, irrita est.*

51 *Formam legis citra vitium nullitatis transgredi non licet.*

DISCEPTATIO X.

Quoad primum: Canonici, & Dignitates, attenta dispositione Sacrorum Canonum, & Tridentini
1 Decreto *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* tenentur residere apud eorum Ecclesiam Cathedralem, ubi fuerint de Cathedrali, vel apud Collegiatam, ubi fuerint de Collegiata: ad *Text. in cap. cum jam dudum de præbendis*, ubi *Fagnan. nu.* 19. concordat *Text. in cap. conquerente, & cap. penult. de Clericis non residentibus*, *Card. de Luca de benefic. disc.* 58. *num.* 3. *& disc.* 60. *numer.* 4.

Etenim sicuti illi de altari vivunt, ita pariter eidem inservire tenentur, juxta illud *Sacri Textus lib. numeri* 18. ibi = *Solis filiis Levi, mihi servientibus in tabernaculo, & portantibus peccata populi, dedi omnes decimas filiorum Israel in possessionem*: concordat illud *Apostoli ad Thessalonicenses* 1. *c.* 3. ibi = *neque gratis panem accipimus ab aliquo, sed in labore, & fatigatione, die, ac nocte operantes.*

Ipsorum onus est, non solùm residere in Civitate, vel loco Canonicatus, sed opus est, quòd intersint in Choro, ac
2 divinis officiis peragendis assistant; nam aliàs residere non dicuntur: *Fagn. in cap. licet de præbendis n.* 41. *Pax Jordanus lucubrat. Canonic. lib.* 10. *tit.* 40. *num.* 75. *&* 76. *ubi alii concordantes.*

Imò non solùm requiritur interessentia in choro, sed opus est quod ibi altâ
3 voce horas Canonicas recitent, cæteraque munia canonicalia persolvant, *Barbosa de Canonicis, & dignitat. cap.* 3. *n.* 13. *Pax Jordanus sup. num.* 79. faciunt verba *Tridentini supra* ibi = *omnes verò divina per se, & non persubstitutos compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut Pontificalia exercenti assistere, & inservire, atque in Choro ad psallendum instituto, hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devoteque laudare.*

Undè aliter facientes, non erunt
immunes à pœnis, ac lethali culpâ,
4 quoties non canunt in choro, *Moneta*
de distribut. quotid. part.2. quæst. 2.
concl.3. Garz. de benefic. part.3. cap.2.
n.513.

Licèt secùs sit quoad distributiones
5 quotidianas lucrandas, quas lucrantur
ob solam interessentiam in Choro, *Garz.*
sup. num.154.

Supradicta locum habent etiam
quo ad Canonicos supranumerarios;
6 nam adhuc ii tenentur residere, ut habetur ex *Sacra Congr. Conc. in una Fesulana 3. Martii 1635.*

Item Canonici, & dignitates tenentur ad personalem residentiam, licèt
non habeant vocem in Capitulo, nec
7 participent de quotidianis distributionibus, aut illas velint amittere, *S.C.*
Concil. in una Novarien. 13. Januarii
1648.

Residere etiam tenentur Canonici, &
8 Dignitates, etiam si nullos fructus percipiant, ipsis absentibus, videlicet
quod nullam habeant præbendam, ex
quo omnes fructus consistant in distributionibus quotidianis, *Garz. supr.*
n.188. Gonzalez ad Regulam 8. Cancell.
glossa 5. n.108. Gratian. Discept. forens.
cap.133. n.34.

Posito quòd quis obtinuerit Canonicatum, & Monasterium in Commendam
9 perpetuam, mediante Apostolica dispensatione: quotiescumque Monasterium
fuerit liberum à Cura animarum, tunc
residere debet in Canonicatu, ut docet
Garz. de Benefic. part. 3. cap. 2. n.183.
ubi Resolutio *Sacræ Congreg. Concilii*
per hæc verba = *Obtinens Canonicatum,*
& Monasterium in Commendam, ab Animarum cura liberum, in Canonicatu residere tenetur.

Si verò obtinuerit duos Canonicatus, vel duas Dignitates, mediante
10 Apostolicâ dispensatione, hoc casu ipse
provisus residere tenetur in digniori:
Et quatenus fuerint æquales, potest residere ubi maluerit, *Sac. Congreg. Concil. apud Garz. suprà num.185.* ibi =
Sacra &c. respondit, habens duos Archidiaconatus, Dignitate pares, residere poterit in quo sibi placuerit: si alter est dignior, tenetur in eo residere.

Amittit verò distributiones quoti-
11 dianas illius, in quo non residet, *Sac.*
Congreg. Concil. apud d. Garz. sup. ibi =
Obtinens legitimè duas Dignitates, in
digniori residere tenetur, & fructus alterius lucratur, non tamen distributio-
12 *nes, ac eam tertiam partem præbendæ,*
quæ auctoritate Tridentini sess.22.c.12.
de Reform. in quotidianas distributiones
est conversa.

Quoties verò obtinuerit duo beneficia residentialia, Rector illorum resi-
13 dere debet in illo, quod majorem causam, seu necessitatem residendi habeat:
si verò æqualem causam, seu necessita-
14 tem habeat, potest in quo ipse maluerit residere pro suo libito, prout ex pluribus resolutionibus Sacræ Congregationis docet *Garz. sup. n.186.*

Canonici, & Dignitates, de quibus
suprà, attenta dispositione *Trid. sess.24.*
cap.12. de Reform., gaudent indulto,
15 ut pro tribus mensibus quolibet anno
possint abesse à residentia, recreationis
causa: ita *Fagn. in cap. Cum jamdudum*
num.19. de Præbendis, & Dignitatibus.

Et licèt pro hujusmodi trimestrali
absentia, nulla requiratur causa; nihilominus ubicumque abesse voluerint, pro
16 tribus mensibus, adhuc petere debent
licentiam ab Ordinario loci: ratio est,
ne contingat, quod Ecclesia remaneret sine debito servitio, quatenus omnes
abessent unico, eodemque tempore,
quod facilè accidere posset, si licentia
Episcopi Ordinarii loci, non esset requirenda, *Barbosa de Episcop. alleg.53.*
num.118. & seqq. Sacra Congreg. Concil. in una Terracinen. 11. Februarii
1628.

Proindè Episcopus loci Ordinarius
statuere potest, quota pars Canonico-
17 rum, & Dignitatum ab Ecclesia eodem
tempore abesse possit, ut ex *Barbosa d.*
num.118. Fagn. in cap. licet num.55.
de Præbendis, & Dignitatibus.

Undè non videtur permissum Canonicis, & Dignitatibus, ut possint abes-
18 se ultra quartam partem, nec absentia
ipsa permittenda erit tempore festivita-
19 tum solemnium, videlicèt Nativitatis
Domini Nostri Jesu Christi, Paschatis,
Pentecostes &c. necnon feriarum solemnium,

nium, puta Adventus, & Quadragesimæ, cum omnes his temporibus residere teneantur, *Garz. sup. n.* 316. *Barbosa dicta alleg.*53.*num.*119. *Sacra Congreg. Conc. in una Auximana* 12.*Julii* 1631. *Lunen. Sarzanen.* 3. *Decembris* 1634.

Non semel quamplures, attento Pontificio indulto, excusantur à Residentia
20 per tres menses, pro quolibet anno: hinc videre est, an hujusmodi tres menses uniri possint cum aliis tribus mensibus à Tridentino impertitis; ita ut abesse possint per sex menses continuos: & pro affirmativa sententia facit Resolutio *Sac.Congreg. Concil. in una Auximana* 13. *Augusti* 1650. *lib.* 19. *dec. fol.*70.

Si verò consuetudine introductum fuerit, ut Canonici, & Dignitates in-
21 serviant per totum annum; consuetudo ipsa uti laudabilis servanda erit; atque ideò non gaudent beneficio, ut abesse possint à residentia, etiam per illos tres menses impertitos à Tridentino suprà, *Sacra Congreg. Concil. in una Illerden.* 28. *Novembris* 1699.

Non est abs re videre, an per *Tridentinum suprà* censeatur derogatum
22 Statuto, à S. Sede Apostolica confirmato, quo caveatur, posse Canonicos abesse à residentia ultra tres menses: & prima facie videtur derogatum, attentis verbis *Tridentini d. cap.*12. ibi = *cujuslibet Statuti*. Nihilominus veritas est in contrarium, videlicèt Statutum prædictum non esse abolitum per *Trid. suprà*; nam licèt *Concilium* sustulerit statuta Ecclesiæ, non tamen sustulit illa, quæ fuerunt confirmata ab ipsa Sancta Sede.

Undè cum fuerit dubitatum *in una Valentina* an per *Trid. d. cap.*12. esset
23 sublatum statutum à Sede Apostolica confirmatum, Cardinales Sacræ Congregationis inter se discordantes cum fuissent; nam alii fuerunt pro affirmativa, alii pro negativa sententia; postea, iterum propositâ causâ, cum pariter Cardinales fuissent in dispari sententia, Sanctissimus jussit servari statutum confirmatum à S. Sede, ut benè *Fagnan. in cap. licèt de Præbendis, & Dignitat. num.*59. *&* 60.

Possunt pariter Canonici, & Dignitates abesse à Residentia, ubicumque
24 necessitas ita expostularet, videlicet pro defendendis juribus suæ Ecclesiæ, vel Capituli, quo casu pariter lucrantur
25 distributiones quotidianas; debet tamen quisque Canonicus, ubi abesse voluerit, licentiam petere à suo Ordinario, quamvis illam non obtineat, ad *Text. in cap.unico de Clericis non resid. in* 6. ibi = *aut evidens Ecclesiæ utilitas excusat* = *Sacra Congreg. Concil. in una Cavallicen.* 27. *Septembris* 1687., & in altera *Lauretana* 16. *Aprilis* 1695.

Quoque abesse possunt dd. Canonici, vel Dignitates, causâ studii; Ubicum-
26 que igitur aliquis ex Canonicis, vel Dignitatibus, studiis operam navare voluerit, petita priùs, & obtentâ licen-
27 tiâ à suo Ordinario, licitè abesse valet à Residentia, & à pœnis de Jure latis contra non residentes, ad *Text. in cap. fin. de Magistris, cap. fin. ne Clerici, vel Monachi, cap. relatum, cap.tuæ, de Clericis non resident. Trident. sess.*5. *cap.*1. *de Reform.* concordat *Constit. Pii IV. la* 113.

Imò in tali casu lucratur duas ex tribus partibus distributionum; tertia ve-
28 rò accrescit interessentibus in Choro, *Fagn. in cap. de cætero de Clericis non resid. num.*34. ubi *Resolutio Sacræ Congreg. Concilii*.

Hujusmodi verò licentia non erit concedenda ab Ordinario loci pro libito suæ voluntatis, vel cuicumque petit
29 eam, sed adhibitâ quadam circumspectione, videlicet, an petens illam sit idoneus ad discendum, habeatque ætatem idoneam pro addiscendis scientiis; un-
30 dè per ea, quæ patent ex Sacra Congregatione, licentia hujusmodi non conceditur excedenti annum vigesimum quintum, nisi fuerit in via ad studia, *Sacra Congregat. Concilii in una Urbis* 1692.

Neque liberè erit ei concedenda pro toto tempore, quo Canonico placuerit,
31 sed tantùm per quinquennium, & non ultra, *cap. fin. de Magistris, Fagn. in cap. licèt suprà n.* 7. *&* 37. *Pax Jord. lucubr. Canonic. lib.*10. *tit.*40. *nu.*136. & ita servat *Sac. Congreg. Concil.*

Debent hujusmodi Canonici, vel Dignitates, dare operam literis in aliqua publi-

32 publica Univerſitate ſtudiorum, & non
aliter, ad *Text. in cap. tua de Clericis*
non reſid. concordat *Text. in cap.2. de*
Privileg. in 6. Moneta de Diſtribution.
quæſt.10. n.17. Barboſa alleg.56. n. 21.
Pax Jord. ſup. n.138.

Neque quibuſcumque ſcientiis vaca-
re poſſunt, ſed tantùm ſtudio Sacræ
33 Theologiæ, vel Canonici juris, ad *Text.*
in cap. fin. ne Clerici, vel Monachi, jun-
cto *cap. fin. de Magiſtr.*

Licitè pariter poteſt abeſſe à reſiden-
tia Canonicus, ubicumque adſtrictus
34 fuerit à ſuo Epiſcopo, ut ei obſequium
& ſervitium præſtet, ad *Text. in c. de cæ-*
tero, ubi *Fagn. n.1. & Gonzalez n.3. cap.*
ad audientiam, utrobique de Cleric. non
reſidentibus, Barboſa alleg.56. nu.13.
Guttierez Canonic. quæſt. lib.1. cap.1.
num.149.

Etenim Epiſcopus poteſt habere pro
35 ſuo ſervitio duos Canonicos, *Fagnan.*
in d. cap. de cætero num.15.

Et in actu quo inſerviunt Epiſcopo,
licèt non fuerint præſentes in Choro,
36 lucrantur diſtributiones quotidianas,
videlicet duas ex tribus partibus, ubi
non habent alios redditus; *Fagnan. ſu-*
prà num.29.

Fructus verò præbendæ omnes, per-
37 cipere poſſunt, *Fagnan. in d. cap. licèt*
num.71.

Juſta pariter cauſa abeſſendi è loco
eſt bellum in loco reſidentiæ; ſequuta
38 verò pace in loco ipſo, tenentur Ca-
nonici reſumere reſidentiam, ex quo
ceſſata eſt cauſa non reſidendi, *Rota in*
recent. part.17. decif.141. num.7.

Demum cauſa juſta abeſſendi à reſi-
dentia dicitur illa, quæ talis viſa fuerit
39 Epiſcopo loci Ordinario, cujus eſt li-
centiam concedere, ad *Text. in cap. Re-*
latum de Clericis non reſident. Novar. in
Summa cap.25. n.121. & DD. alibi.

Quoad ſecundum: Sequitur, ut de
pœnis, quibus de jure veniunt punien-
di Canonici, & Dignitates, ut ſuprà,
ubi non reſederint, aliquid dicamus.
40 Et certum eſt quòd ubicumque non re-
ſederint, nec habent cauſam legitimam,
qua excuſari poſſint ab onere reſidendi,
ultra pœnam amiſſionis diſtributionum
quotidianarum, de qua ſupra, puniri
etiam poſſunt aliis pœnis ad normam
diſpoſitionis *Tridentin. dicto cap. 12.*
ſeſſ.24. de Reform. ubi *Barboſa*.

Inde fit, ut Canonicus non reſidens
pro primo anno venit privandus dimi-
41 dia parte fructuum præbendæ; pro ſe-
cundo anno privandus erit omnibus fru-
ctibus; tranſacto verò tertio anno, pri-
vandus erit beneficio, *Garz. de benefic.*
ſuprà cap.2. num.140. Ugolin. de Offic.
Epiſcop. cap.12. Barboſa de Epiſcop. al-
leg.53. num.146. Fagnan. in cap. ex tuæ
n.14. & 15. de Cleric. non reſident. & in
cap. licèt à num.25. & ſequent. de præ-
bend: Panimolla decif.80. num.11. Pi-
gnatell. conſult. Canonic. tom. 1. con-
ſult.164.

Ad prædictam pœnam incurrendam,
nimirum amiſſionis fructuum præben-
42 dæ, non eſt opus, ut præcedant mo-
nitiones canonicæ, contra Canonicum
abſentem, videlicet ut ipſe reſideat ſub
pœnis à Tridentino, & Canonicis ſan-
ctionibus comminatis; nam hoc caſu
tempus abſentiæ præſcriptum à Jure,
interpellat pro homine: ita docet *Garz.*
ſuprà num.145. fuiſſe reſolutum *à Sa-*
cra Congreg. ibi = *Sacra &c. Cenſuit*
Canonicos non eſſe citandos, aut monen-
dos ad reſidentiam, nec opus eſt intima-
tione, ut deſerviant, juxta formam
hujus decreti; ſed ſi abfuerint ultra
tres menſes, citandos eſſe, ad allegan-
dum quare non debeant puniri ſecundum
hoc decretum = Leo in Theſauro fori Ec-
cleſ. cap.33. num.3. ubi latè.

Fructus prædicti applicandi erunt in
43 utilitatem Eccleſiæ, ut reſpondit *Sa-*
cra Congreg. Concil. penes *Garziam ſu-*
prà num.146. ibi = *Fructus præbendæ,*
quibus Canonici, qui abfuerint à ſervi-
tio Eccleſiæ ultra tres menſes privandi
ſunt ex hoc decreto, applicandi ſunt in
uſum Eccleſiæ, & utilitatem illius, dum-
modo tamen ipſa Eccleſia indigeat, aliàs
alteri pio loco, arbitrio Ordinarii, non
excludendo fabricam ipſius Eccleſiæ qua-
tenus indigeat reparatione = Garz. ſu-
prà num.147. Pax Jord. lucubr. Cano-
nic. lib.10. tit.40. num.105. & 106.,
& DD. paſſim.

Prædicta verò pœna, ante ſententiam
minui poteſt ab Ordinario, tollere au-
44 tem ipſe non valet in totum, *Garz. ſu-*
prà num.150. ubi reſolutio Sacræ Con-
gre-

gregationis per hæc verba: *Potest tamen Episcopus hanc pœnam ante sententiam minuere, vel augere, non autem in totum tollere.*

At si fructus Canonicatus omnes consistunt in distributionibus tantùm, quia tunc Canonicus, non residendo,
45 nihil amittit, & nihil percipit; tunc ob non residentiam, puniri potest arbitrariâ pœnâ, Episcopo loci Ordinario benè visâ, citra tamen privationem beneficii, *DD. cum Garz. sup.*

Si verò Canonicus in spretum sacrorum Canonum, & Tridentini decretum de quo suprà, adhuc transacto triennio, ad suam Ecclesiam non redierit, tunc potest Episcopus devenire ad illius privationem, non ipso jure, sed servâtis servandis, videlicet præcedente trina monitione per edictum, ad resi-
46 dendum, quoties non constat de loco, ubi moratur, vel longè abest à sua Ecclesia, dato illi termino competenti, ac expectato semestri post ultimam contumaciam, alioquin privatio erit nulla, *Garz. suprà num.*154. ubi resolutio Sacræ Congregationis per hæc verba, ibi: *Quod si per edictum citati &c. Rota* in individuo *cor. Mantica in una Giennen. Canonicatus* relata à *Garz. suprà num.*156. *Panimolla decis.*80. *num.*14. *Fagn. in cap. ex tuæ de Clericis non resident. num.*4. *Barbosa ad Trident. d. cap.*12. *num.*70. *Pignatell. consult. Canonic. tom.*1. *consf.*163.

Dixi, *quod debeat citari per edictum*; hoc tamen locum habet, ubicumque non valet citari de persona; nam aliàs
47 citandus, & monendus erit de persona ad redeundum infra congruum tempus, consideratâ qualitate loci, temporis, & personæ; cæteroquin privatio inde sequens, erit nulla, ut ex *Sacra Rota coram Amato Dunozetto decis.*878. *n.*8. ubi Canonicus morabatur Romæ, & firmatur, quod eo non redeunte, quoties de persona fuerat citatus, tunc Episcopus loci Ordinarius devenire potuerit ad privationem, ad *Text. in cap. ex parte de Clericis non resid.* ubi *Fagn. Lotter. de Benefic. lib.*3. *cap.*27. *num.*83. *Panimolla decis.*80. *n.*13. *Rota coram Mantica decis.*12. *num.*1. *& coram Seraphino decis.*1346. *num.*5.

Quæ verò sit differentia inter unam, & alteram speciem citationis, dicimus, quòd ubi citatus quis fuerit per edictum, ad residendum, servatis servan-
48 dis; tunc post ultimam contumaciam jam incusatam, expectandi sunt alii sex menses, quibus transactis, devenire potest Episcopus ad privationem: ubi verò citatio fuit personalis, tunc non re-
49 quiritur trina monitio, sed sufficit una tantùm, ad *Text. in cap. ex tuæ de Clericis non resid.* ubi *Abbas n.*10. *&* 13., & *Fagn. num.*35. *Barbosa ad Trident. citato cap.*12. *n.*71. *Panimolla decis.*80. *n.*18. *Pax Jord. sup. n.*118.

Præfati pœnarum gradus omninò servandi erunt, ut suprà, antequam Episcopus deveniat ad actum privationis,
50 aliàs privatio nulla erit. Undè fit quod Canonicus, qui non resederit per annos tres continuos, non potest ab Episcopo unico contextu privari fructibus, præbenda, & beneficio ipso. Ratio est
51 clara, quia, ubi lex præfigit tempus, & tempora, ille, qui tempus, & tempora non servat, nec etiam observare videtur, quod à lege jubetur; ac proindè neque fructibus, neque Canonicatu privari potest; & quatenus fuerit privatus, privatio est nulla, ob non servatam formam à Tridentino præscriptam *d. cap.*12. *Barbosa de Canonicis, & Dignitat. cap.*20. *n.*16. *Sac. Congr. Concil. in una Aquipenden. die* 9. *Novembris* 1662., *&* 17. *Februarii* 1663. *in eadem.*

Diximus suprà, Canonicos, attentâ dispositione Tridentini, posse abesse à residentia per tres menses: hic nota,
52 dispositionem prædictam non habere locum quoad illos Canonicos, quorum Canonicatus sunt de Jurepatronatus laicorum, posito quod Canonici ipsi attentâ lege fundatoris teneantur celebrare quolibet anno certum numerum Missarum per se ipsos, videlicèt tot pro qualibet hebdomada; hoc enim casu isti Canonici non valent uti vacatione dicti temporis à Tridentino concessa. Nam in
53 dicto casu à Canonicis implendum est onus residentiæ præcisæ, vel causativæ juxta expressam legem fundatoris. *Sacra Congreg. Concil. in una Adjacen. celebrationis* 11. *Julii* 1671. *ad dub.*1.

AR-

ARGUMENTUM.

Canonicorum, & Dignitatum jus, circa præcedentiam tàm inter ipsos, quàm supra cæteros Ecclesiasticos.

Argumentum pro Summario.

DISCEPTATIO XI.

Quia de materia hac præcedentiarum latè dicemus *lib.23. infra*, ubi in specie *Dicept.7.* de præcedentia
1 Canonicorum sive Cathedralis, sive Collegiatæ Ecclesiæ tàm quoad cæteros, quàm inter se ipsos: meritò, ne bis idem dicamus, me remitto ad ea, quæ *dicta lib.*, & *Disceptatione* per nos adnotata sunt.

ARGUMENTUM.

Canonicorum, seù Dignitatum facultas, circa distributiones quotidianas percipiendas, ubi quatenus nequeant illas percipere, ostenditur. Quinam lucrari possint eas, licèt non intersint in Choro.

SUMMARIUM.

1 *Distributionum quotidianarum aliæ non distinguuntur ab ipsis præbendis, uti istarum loco subrogatæ, aliæ verò ab eisdem diversæ sunt.*
2 *Distributiones quotidianæ cur tales nuncupentur.*
3 *Distributiones quotidianæ appellari etiam solent manualia beneficia.*
4 *Distributiones quotidianæ non veniunt appellatione fructuum, seu redditu̅um* & num.17.
Limita, ut num.26. & 27.
5 *Distributiones quotidianæ ad quid fuerint in Ecclesia introductæ*, & n.30.
6 Concilio Trident. sess.22. de Reform. cap.3. *cavetur quod omnes tam Cathedrales, quam Collegiatæ Ecclesiæ, de quotidianis distributionibus congruè provisæ sint.*
7 *Tertia pars fructuum, quæ ex Concilii Tridentini præscripto separanda est pro distributionibus quotidianis, intelligitur de fructibus beneficiorum intus ipsas Cathedralem, sive Collegiatam Ecclesiam erectorum, nec non relativè ad solos fructus præsentes*, num.8.
9 *Jus percipiendi distributiones quotidianas apud quos resideat.*
10 *Canonicus, cum quo super ætate dispensatum fuerit, lucratur distributiones quotidianas.*
11 *Canonici supranumerarii, vel expectativam habentes, regulariter percipere possunt distributiones quotidianas, & refertur contraria Rotæ opinio*, num.12.
13 *Canonici supranumerarii universa jura Canonicalia eo sequuntur, nisi diversimodè sese habeat consuetudo*n.14.
15 *Obtinens simul Canonicatum, ac Dignitatem in eadem Ecclesia ex legitima dispensatione duplices distributiones lucratur.*
16 *Distributiones quotidianæ reputantur salarium diurnum ratione laboris.*
18 *Distributiones quotidianæ non comprehenduntur sub spolio Ecclesiastico, sed transeunt in hæredes: & de iis potest Canonicus disponere tanquam de proprio peculio*, num.20.
19 *Fructus beneficiorum maturati, & non exacti, cadunt sub spolio Rev. Cameræ Apostolicæ.*
21 *Pensiones reservatæ super fructibus, ac proventibus quibuscumque, non complectuntur distributiones quotidianas*, & num.23.
22 *Distributiones quotidianæ non augent corpus præbendæ.*
24 *Dictio*, quibuscumque, *universalissima quamvis sit, minimè comprehendit quæ sunt diversæ naturæ.*
25 *Pensionis reservatio tanquam inducens servitutem in Beneficio, reputatur materia odiosa.*
28 *Distributiones quotidianæ debentur solis interessentibus, nisi Canonici aut Dignitates fortasse absint ex legitimis causis, quæ recensentur*, n.35. & 39. cum seqq.
29 *Canonici nequeunt remittere absentibus*

bus punctaturas, ut isti distributiones quotidianas lucrentur: quinimo eæ, quæ remissæ nihilominus fuerint, applicantur fabricæ Ecclesiæ, vel alteri loco pio, & num.31.

Possunt tamen Canonici, postquam receperint easdem distributiones, absenti donare, num.32. & 33.

34 *Canonici absentes ex indulgentia Concilii Tridentini, non consequuntur distributiones quotidianas*..

Nec qui absunt causâ Studii, n.35.

Declara, nisi omnes fructus consistant in distributionibus hujusmodi, quia tunc lucrantur duas ex tribus partibus, num.36.

Vel nisi Canonici absint causâ Studii ex dispensatione Papæ, vel Sacræ Congregationis Concilii cum facultate fructus interim percipiendi, n.37.

38 *Distributiones quotidianas absentium, quæ accrescunt Canonicis interessentibus, nequit Episcopus in alios usus erogare.*

39 *Distributiones quotidianæ nequeunt sequestrari.*

61 *Afflictio non est addenda afflictis.*

67 *Distributiones quotidianæ quænam emolumenta comprehendant.*

69 *Senectus ipsa morbus est.*

71 *Canonico jubilato debentur distributiones etiam, quæ post jubilationem adauctæ fuerint*, & num.72.

Exceptis tamen emolumentis provenientibus ex anniversariis, atque exequiis, quæ testator ordinaverit distribui inter solos præsentes, n.73.

Atque insuper emolumentis procedentibus ex anniversariis incertis, ac extraordinariis, num.74.

Nec non candelis, quæ in Choro distribuuntur, num.75.

83 *Canonicus absens ex speciali Papæ indulto lucratur distributiones quotidianas, etiam eas, quæ accrescunt propter punctaturas.*

DISCEPTATIO XII.

Cum de distributionibus quotidianis pauca verba per nos facienda sint in hac Disceptatione, primo loco nobis est demonstrandum, quid sonet hæc vox *Distributio*: & secundùm ejus essentiam

nil aliud significat quàm suum unicuiq;
tribuere, ad *Text. in l.1. ff. famil. hercì-*
1 *scundæ*. Sed ad materiam, de qua agi-
tur, dicimus, duas esse distributionum species; quarum prima est illa, quæ non distinguitur à præbendis, sed ipsæmet vice præbendarum funguntur, ut sunt distributiones illarum Ecclesiarum, quarum fructus omnes in communi reponuntur, ut Canonicis distribuantur, de quibus *Textus in cap. olim de V. S.* Quædam verò sunt à præbendis separatæ, quales dicuntur illæ distributiones, quæ pro diurno labore Canonicis dantur, licèt hi habeant certas præbendas, de quibus *Textus in cap. unico de Clericis non resid. in 6., cap. fin. de Rescript. in 6. cap. ultimo de concess. præbend. eod. lib.*

Dicuntur quotidianæ, sive quia quo-
tidie distribuuntur, sive potiùs quia
2 distribuuntur iis, qui quotidiè horis
canonicis, divinisque officiis intersunt, quasi quotidianum, & diurnum stipendium, *Moneta de distribut. quotidian. part.1. quæst.1. à num.9. Cened. quæst. Canonic. lib.1. quæst.1. num.1.*

Undè distributiones quotidianæ etiam
manualia beneficia nuncupantur, ad
Text. in d. cap. olim, & d. cap. unico
de Cleric. non resid. in 6. Petrus Grego-
rius Syntagm. Juris l.15. cap.23. n.22.
3 fortasse quia ad manum dantur iis, qui
divinis horis intersunt, ut voluit *Probus ad Monach. in d. cap. unico.*

Quod adeò verum est, ut appella-
4 tione redditum beneficii non veniant
distributiones, ad *Text. in cap. licèt de Præbendis* ibi = *Proventus suos Ecclesiasticos faceretis integrè ministrari, nolumus tamen, ut quotidianas distributiones percipiant, cap.2. de Privil. in 6.* & nos latè infra.

Distributiones istæ fuerunt institutæ,
ut, præter spirituale præmium, quod
5 à Deo pro divinis officiis persolvendis
Clerici consequuntur, etiam temporale stipendium pro eorum victu ab Ecclesia recipiant, ad *Text. in cap. Clericus 20. dist.*, vel ut frequentiùs, & diligentiùs pro celebrandis divinis officiis ad Ecclesiam conveniant, ad *Text. in cap. unico de Cleric. non resid. in 6. Ugolin. de Offic. Episc. cap.10. §.2. n.2.*

Card. de Luca de Canonicis disc.16.n.3. Fagn. in cap. licèt de præbendis n.14.

Undè, ne qua ex parte minuatur divinus cultus, sed in omnibus debitum præstetur obsequium, statuit *Trident. Synodus sess.21. de Reform. cap.3.* ut in
6 omnibus Ecclesiis tàm Cathedralibus, quàm Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter cultus ipse Dei negligatur, tertia pars separari deberet quorumcumque redditum tàm Dignitatum, & Canonicatuum, quàm aliorum omnium ejusdem Ecclesiæ beneficiorum, & in distributiones quotidianas converti, quæ dividantur inter omnes Divinis interessentes, & sic dentur eis propter interessentiam, tanquam causam formalem, *Moneta de distribut. part.1.quæst.4.num.15. Sacra Congreg. Concil.in una Ariminen.20.Junii 1631. Æsina 24. Januarii 1632. Aquipendii 29.Novembris 1692. Civitatis Castellanæ 5. Maji 1696.*

Verùm, tertia pars fructuum de qua supra, non debet deduci, nisi ex fru-
7 ctibus beneficiorum in Cathedralibus, seu Collegiatis Ecclesiis existentium; quia de beneficiis extra Cathedralem, vel Collegiatam Ecclesiam respectivè decretum Tridentini, de quo supra, non habet locum, ut censuit *Sacra Congr. Concil.* quam refert *Garz.de benef.part. 3. cap.2.n.473. Riccius in praxi fori Eccles. res.288. n.3.*

Rursùs, dicta tertia pars detrahenda
8 erit, habito respectu ad taxam fructuum præsentium, non antiquorum, *Garz. sup. num.467. Riccius resol.488. n.3.* ubi Doctores.

Jus percipiendi distributiones pri-
9 mariò competit Canonicis, ad *Text. in cap. unico de Clericis non resid. in 6. Clem.2. de ætate, & qualitate, cap. licèt de præbendis, Trid. sess.24. c.12.*

Secundariò verò Clericis earumdem Ecclesiarum Cathedralium, sive Collegiatarum respectivè, ad *Textum in d. cap. unico* ibi = *Consuetudinem, qua Canonici, & alii beneficiati, seù Clerici Cathedralium, & aliarum Collegiatarum Ecclesiarum distributiones quotidianas &c.* = *Moneta de distribut. part.2. qu.1. n.1. Sanctarell. var. resol. quæst.12. n.1.*

Ita pariter valet percipere illas Canonicus dispensatus à Papa quo ad ætatem: etenim, eo ipso quod fuit di-
10 spensatus, & provisus de Canonicatu, præbenda, fructibus, & stallo, videtur quoque admissus ad participationem quotidianarum distributionum, *Sacra Congr. Conc. in una Reatina 10. Jul. 1627. & in eadem 6. Februar. 1647. Patavina 15. Januarii 1656. Pignatell. Consult. Canonic. tom.3. cons.19., & tom.9. cons.22.*

Canonicis supranumerariis, & creatis cum expectatione præbendæ, competit etiam jus percipiendi distributiones ipsas, nisi aliter appareat ex gratia
11 expectativæ facta à Papa, *Gomez in tractatu de gratia expectativa num.28. Hojed. de incompatibilitate benefic. parte 1. cap.12. nu.6. ad Text. in cap. cum M. Ferrariensis de constitut.* ubi *Canonistæ, Sac.* tamen *Rota penes Em-*
12 *rix Jun. dec.147. n.3., & rec. part.18. dec.104. n.7.* tenet, Canonico supranumerario, etiam de mandato Papæ recepto, non competere distributiones quotidianas.

Ipsi enim Canonici supranumerarii consequuntur statim omnia jura Canonicalia, veluti stallum in choro, vocem
13 in capitulo; atque ideò possunt eligere, & esse delegati Papæ, & habere prærogativas omnes, quibus cœteri Canonici fruuntur, *Hojeda d. cap.12. n.6., Canonistæ in d. cap. cum M. Ferrarien. Gomez de gratia expectativa num.35. & 38.*

Nisi obstet consuetudo, quòd Canonici hujusmodi, ultra numerum rece-
14 pti, non habeant jura Canoniæ, *Felin. in d. cap. cum M. Ferrariensis num.23. circa finem.*

Obtinens dignitatem cum Canonicatu in eadem Ecclesia, an consequi possit duplicatas distributiones, videre est: & pro affirmativa sententia faciunt ad-
15 ducta per *Joannem Andream, Panormitanum, Felinum, & alios, in cap. cum olim de re judic.* & ita docet *Cancerius var. resol. lib.3. cap.13. n.6. Fagn. in cap. cum olim de V. S. post n.53.* ubi *Resolutio S. Congr.*

Ipsæ autem quotidianæ distributiones habentur ut quoddam salarium diur-

diurnum ratione laboris debitum iis,
16 qui inserviunt in vinea Domini, etenim juxta illud *Sacri Text.* = *dignus est operarius mercede suâ*, *Fagn. in cap. Gravis n.8. de restitut. spoliat.*

Ac proinde non veniunt sub nomine fructuum, & redditum Beneficiorum,
17 sed tantùm loco mercedis, ut dixi, ad *Text. in cap. unico de Clericis non resident. in 6. Moneta de distribut. quotid. part.1. qu.6. n.12. Gratian. discep.806. Lotter. de re benef. lib.1. cap.39. n.22. Rota in rec. part.15. dec.88. n.7. & dec.265. n.20. in eadem.*

Ex quo infertur primò, ut non comprehendantur sub nomine spolii, ita
18 ut, ubi illæ non fuerint divisæ in vita Canonici, vel alterius de Capitulo, si mors inde prævenerit, illæ non valent sequestrari, & applicari R. C. Apostolicæ, quemadmodum applicantur fructus beneficiorum maturati, & non exa-
19 cti, cum illæ veniant nomine salarii, & laboris diurni; proinde spectant ad hæredes Canonici defuncti, ita *Pignatell. consult. Canonic. tom.4. consul.126., & tom.9. consult.117. Rota coram Amato Dunozetto dec.336. num.13. Sacra Congr. Conc. in una Neapolitana 9. Februarii 1669., & in altera Frigentina 28. Augusti 1683.*

Unde potest de illis Canonicus disponere suo proprio arbitrio, cum sit
20 præmium sui laboris, ad *Text. in d. cap. unico, Fagn. in d. cap. gravis num.82. de restitut. spoliat. Redoanus de spoliis qu. 1. n.27., & DD.* passim.

Infertur secundò, ut pensiones reservatæ super fructibus, & proventibus beneficiorum, eorumque redditi-
21 bus, non comprehendant distributiones quotidianas: ad *Text. in cap. cum non nullæ de præbendis, cap. licet eodem titulo, Lotter. de re benefic. lib.1. qu.39. n.22. & 27. Rota in recent. part. 15. decis.88. n.1., & 3.*

Siquidem distributiones prædictæ licèt competant Canonicis ratione Canonicatus, non ex hoc dicuntur de
22 corpore Canonicalis beneficii, nec augent corpus præbendæ, *Gratian. discept.283. n.9. Rota in una Romana pensionis 23. Maii 1644. coram Meltio, & nos latè de Pensionibus lib.17.*

Infertur tertiò, ut si pensio reservata, & imposita sit super quibuscúnque fructibus, redditibus, & proventibus beneficii,
23 sub ista generalitate verborum, ac modo effrænato loquendi, non veniunt distributiones quotidianæ; nam aliter esset privare laborantem suo quotidiano victu, & mercede, illi debita pro labore: & licèt dictio universalis *quibuscumque*
24 apta sit comprehendere etiam distributiones; attamen, ubi reperitur inserta in materia odiosa, debet recipere restrictionem secundùm subjectam speciem, ejusque naturam; ita ut non possit egredi ejus limites, nec comprehendere ea, quæ sunt diversæ naturæ,
25 ut est impositio pensionis, cujus natura est, ut imponatur super fructibus certis, non autem super incertis, quales sunt distributiones quotidianæ: *Rota in dicta Romana pensionis coram Meltio.*

Distributiones quotidianæ in quampluribus veniunt sub nomine fructuum.
26 Primò, ubicumque Canonicatus non habet fructus certos, sed tantùm meras distributiones, quo casu illæ veniunt sub nomine fructuum *Dec. consf.49. n.14. lib.1. Marchesan. de commiss. in causa pension. part.1. §.1. n.127. Rota in dicta Romana pensionis coram Meltio supra, & recent. part.15. dec.61. n.3., & dec.88. n.9. Fagn. in cap. quia in tantum n.29. de præbendis.*

Secundò veniunt sub nomine fructuum distributiones hujusmodi, quoties per pensionarium facta fuisset protestatio penes acta curiæ, quod, aut possidens Canonicatum resideat, & intersit horis Canonicis, ut sic interessendo percipiat distributiones, aut dimittat pos-
27 sessionem beneficii pensione gravati: *Gonzalez ad Regul. 8. Canc. §.7. proemii n.156. Rota in dicta Romana pensionis coram Meltio.*

Distributiones, ut supra, cum debeantur interessentibus in Choro (exceptis casibus, ut infra) ideò non potest induci lege, statuto, vel consuetu-
28 dine, ut illas percipere valeant etiam noninteressentes in illo, ad *Text. in cap. unico de Cleric. non resid. in 6. Barbosa ad Trid. sess.24. cap.12. n.109. de Ref. Riccius decis.493. aliàs resol.384. Pignatell. consult. Canonic. tom.1. consf.*

129. *Panimolla dec.*20. *annot.*3. *n.*20. *Card. de Luca de Canonic.& Cap. disc.* 10. *n.*1. *Sacra Congr.Conc.in una Glennen.* 24. *Aprilis, & in altera Avenionen.* 25. *Septembris* 1700.

Undè neque ipsi Canonici, & alii de Capitulo, quibus accrescunt distributiones, ob non Interessentiam aliorum,
29 punctaturas remittere valent favore non interessentium in Choro; cum hujusmodi distributionum privatio emanaverit ob publicum bonum, contemplatione divini cultus, videlicet, ut
30 Canonici perterriti metu pœnæ, faciliùs ad eorum munus incumbant, ut ex *Trid. sess.*24. *d. cap.*12. ibi: *quavis collusione, aut remissione exclusa*: *Barbosa de Episcopis alleg.*53. *n.*140. *Fagn. in cap. licet de præbendis n.*90. *Card.de Luca d.n.*1. *ubi resolutio S.Congr. Conc. in una Novarien.*1660.

Imò *Fagn. sup. num.*9. dicit, fuisse resolutum per *Sac. Congr.* posse Episcopum, portiones, quas Canonici sibi
31 invicem remiserunt, in pœnam fraudis applicare fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio operi.

Possent verò Canonici, acceptam
32 pecuniam ipsis provenientem ex hujusmodi accrescentia, postea donare eidem, qui horis Canonicis non interfuit; nam
33 donant id, quod jam erat effectum suum: *Fagn. sup. n.*91. *Sanctarell. var. resol. quæst.*13.*n.*9. *Moneta de distribut.part.* 3. *qu.*5. *n.*6.

Dixi *pro interessente in Choro*; etenim illæ non debentur Canonico absenti
34 à sua Ecclesia tempore vacationis, puta trium mensium ex indulto *Trid. dicto cap.*12. quia, licèt Canonicis videatur permissum, ut possint abesse absque peccato per spatium dicti temporis; attamen non videtur eisdem permissum, ut percipere valeant distributiones ipsas: *Gonzalez ad Reg.*8. *Canc.* §.7. *proœmii n.*182. *Pignatell. consult. Canonic. tom.* 1. *cons.*129. *n.*1. *Riccius in praxi part.* 3. *resol.*201. *Panimolla dec.*20. *annot.*3. *n.*23. *Sacra Congr. Conc. in una Aquilana* 16. *Januarii* 1644. *Auximana* 3. *Martii* 1646. *Asculana* 15. *Januarii* 1707. *Rota in rec. part.* 4. *dec.* 576. *n.* 149. *in addit.*

Causâ studii ubicumque absit Canonicus, an ei debeantur distributiones quotidianæ, videre est: Et pro negativa sententia faciunt adducta à *Docto-*
35 *ribus, in cap. licet de præbendis, in cap. unico de Cl. non resident. in* 6. *Moneta de distribut. part.*1. *qu.*10. *nu.*27. *Corrad. in praxi dispens. Apost. lib.*5. *cap.*6. *num.*28. *Ricc. part.*3. *Resol.* 96. *num.*17.

Limit. supradicta conclusio in casu, quo omnes fructus beneficii consisterent in distributionibus; nam hoc casu, quia hujusmodi Canonicus non haberet præbendam, ac alios fructus, tunc ex di-
36 stributionibus ipsis, causâ prædictâ abessendo, ei debentur duæ ex tribus partibus; nam tertia pars accrescit interessentibus in Choro: *Corrad. in praxi dispens. Apost. lib.*5.*cap.*6. *n.*28., ubi nonnullæ resolutiones S.Cong., *S.Cong. Conc. in una Romana punctaturarum S. M. in via lata* 17. *Novembris* 1708. Vide *Rot. coram Cerro dec.*124. *n.*4.

Ad hoc ut quis legitimè abesse possit causâ studii, & percipere distributio-
37 nes ipsas, opus est obtinere dispensationem à S. Sede Apostolica, quam pariter solet indulgere *Sacra Congr.Conc.* ad triennium, vel ad quinquennium *Pignatell. consult. Canonic. tom.*1. *cons.* 133. *n.*7.

Distributiones amissæ à Canonicis absentibus, quia illæ accrescunt cœteris interessentibus, ut dixi, inde fit, non
38 posse Episcopum eas applicare ad alios usus, etiam pios: *Sacra Congr. Conc. in una S. Severini* 16. *Julii* 1695., & *in altera Cathacen.*18. *Julii* 1699.

Distributiones, cum sint tamquam pretium laboris diurni, & merces Canonici laborantis in vinea Domini: inde sequitur, eis non posse privari, ad
39 hoc ut solvantur creditores ipsius Canonici, quoties non habuerit undè alias commodè vivere possit, *Pignatell.cons. Canonic. tom.*1. *consult.* 271. *Sac. Cong. Conc. in una Romana* 14. *Martii* 1648.

Quoad secundum. Enumerantur nonnulli, qui, licèt non intersint in choro, adhuc lucrantur distributiones,
40 quatenus fuerint Canonici; ut de Auditoribus S. Rotæ ad *Constitution. Clem. VIII.* incipien. *Convenit.*

Pariter Collector generalis Cameræ Apo-

41 Apostolicæ, ac subcollectores, Advocati, Procuratores, Cancellarii, Fiscalis, & similes, dum sunt in Commissione, ut ex *Constitut. Sixti V. sub datum Romæ* 8. *Martii* 1590.

Item Inquisitores S. Officii, ut ex In-
42 dulto *Pauli III.*, *& S. Pii V.*

Item Prælati Referendarii tam Si-
43 gnaturæ Gratiæ quàm Justitiæ: *Sacr. Congreg. Conc. in una Romana* 6. *Julii* 1647. 1. *Aprilis* 1656.

Archidiaconus habens jurisdictionem visitandi, pro tempore visitationis, *Moneta de distribut. part.*2. *quæst.*11. *num.*63. *Panimolla decis.*20. *annot.* 3. *n.*31. *Sac. Congr. Conc. in una Vlasdilauien* 1. *Decembris* 1646.

Canonicus Pœnitentiarius, si, dum divina celebrantur officia, audiat con-
44 fessiones sacramentales, licèt absens à Choro, adhuc lucratur distributiones, ac si præsens esset in illo, *Garz. de benefic. part.* 5. *cap.* 4. *n.* 124. *Moneta de distribut. part.*2., *qu.*11. *n.*64. *Riccius dec.*496. *Companil. divers. Iuris rub.*7. *cap.* 6. *n.* 27. *Barbosa de Episcop. alleg.* 53. *n.*160. *Panimolla sup. n.*32. *Card. de Luca de Canon.*, *& capitulo disc.*14. *n.*11. *Sac. Congr. Conc. in una Viterbien.* 15. *Martii* 1631. *Theatina* 18. *Aprilis* 1643.

Quod quidem privilegium competit tantùm Canonico pœnitentiario; secùs verò aliis Canonicis, qui, licèt faciant opus bonum, audiendo confessio-
45 nes sacramentales, ubi eas audiant pro tempore, quo debent interesse in Choro, non valent lucrari illas, *Sacr. Congr. Conc. in una Romana servitii Chori* 27. *Septembris* 1690.

Pariter Canonicus Theologus, scilicet habens præbendam theologalem, his quoque diebus, quibus legit, quia habendus erit uti præsens in Choro, meritò lucratur distributiones, quamvis
46 præsens non fuerit in illo: quod procedit non solùm pro illis horis, in quibus legit, sed etiam pro tota illa die, *Moneta supra parte* 2. *qu.*10. *n.*27. *Barbosa de Episcop. alleg.* 56. *n.* 8. *Panimolla decis.*20. *annot.*3. *n.*33. *Card. de Luca ad Trident. disc.*2. *n.*18. *Sacra Congr. Conc. in una Orioien.* 5. *Augusti* 1616.

Canonici interessentes Concilio generali, quia videntur abesse causâ utilitatis Ecclesiæ, licèt absint à Choro,
47 adhuc lucrantur distributiones quotidianas: ita *Barbosa de Episcopis alleg.* 53. *n.*158. *Sanctarell. var. resol. qu.*11. *n.*7. *Iacobat. de Conc. lib.*5. *art.*6.

Ita pariter ubi abessent causâ acce-
48 dendi ad Concilium provinciale, missi a Capitulo, *Sanctarell. sup. n.*22.

Sicuti etiam ubi à Capitulo missi fue-
49 rint ad Pontificem, vel Principem, vel Civitatem gratulationis causâ, *Moneta sup. part.*2. *qu.*11. *n.*91. *& seq.*

Canonicus, cui imminet cura animarum, ex quo cura ipsa annexa fuerit suo Canonicatui, dum in actu administrandi sacramenta, vel exercendi ea,
50 quæ spectant ad Parochum uti talem, abest à Choro, adhuc lucratur distributiones, ac si præsens fuisset in illo, *Barbosa alleg.*53. *n.*127. *Panimolla dec.* 20. *annot.*3. *n.*34. *Sacra Congr. Conc. in una Mediolanen.*3. *Februar.* 1639. *Card. de Luca ad Trident. disc.*15. *n.*6.

Canonicus missus a suo Episcopo ad visitanda limina SS. Apostolorum, vel quia illum comitatus fuit pro visitandis
51 hujusmodi liminibus, lucratur distributiones, eo quia habetur uti præsens in Choro, *Barbosa d. alleg.*53. *n.*159. *Moneta de quotid. dist. part.*2. *qu.*8. *n.*23. *Panimolla dec.*20. *annot.*3. *n.*37., *Fagnan. in cap. licet de præben. num.*134. *Sacra Congr. Conc. in una Neapolitana* 6. *Maji* 1634. *Asten.*6. *Decembris* 1637. *Lucana* 14. *Maji* 1639. *Comen.* 28. *Augusti* 1688.

Quod procedit etiam ubi comitatus
52 fuerit suum Episcopum visitantem diœcesim, *Moneta sup. n.*22.

Lucratur pariter duas ex tribus partibus distributionum Canonicus, licèt
53 absens à Choro, ubicumque ipse addictus fuerit servitio Episcopi, & dummodo omnes fructus Canonicatus consiterint in distributionibus, *Sacra Congr. Conc. in una Callien.* 29. *Iulii* 1628. *Fesulana* 1. *Aprilis* 1662., *& in eadem* 14. *Aprilis* 1663. *Anagnina* 27. *Maii* 1713. *Leodien. Indulti* 10. *Julii* 1717. *Fagn. in cap. de cætero n.*3. *de Cleric. non resid. Barbosa de Episc. allegat.* 53. *num.*143. *Pignatell. consult. Canon.*

*non. tom.*5. *conf.*49. *& tom.*9. *conf.*115.
*num.*27.

Limita, ubi inservierit ei in Officio
Vicarii Generalis, quo casu, non in-
teressendo in Choro horis debitis, vi-
54 detur amittere distributiones ipsas, eo
magis ubi ei constitutum fuerit sala-
rium, seclusâ consuetudine, ac secluso
statuto, vel privilegio, *Barbosa de Iu-*
*re Eccles. lib.*3. *cap.*18. *num.*50. *Pani-*
*molla sup. num.*54. *Pignatell. Consult.*
*Canonic. tom.*1. *conf.*448. *Sacra Congr.*
Conc. in una Bitectensi 18. *Decembris*
1627. *Alboren.* 1648.

Ubi verò fuerit electus Vicarius Ca-
pitularis, quatenus debitis horis absue-
55 rit à Choro, adhuc lucratur distribu-
tiones ipsas, ac si præsens fuisset in illo,
licèt ei fuerit assignatum debitum sala-
rium, *Barbosa d. cap.*18. *num.*49. *San-*
*ctarellus var. resolut. quæst.*11. *num.*18.
*Barthol. à S. Fausto lib.*3. *quæst.*68.

Verùm, ut dicit *Moneta sup. part.*2.
*quæst.*11. *num.* 82. non venit excusan-
56 dus, ubi consuetudo eum non excusa-
ret; ac proindè hoc casu non lucratur
illas, abessendo, ita *Barbosa de Episc.*
*alleg.*54. *num.*166.

Canonicus absens pro evidenti utili-
tate Ecclesiæ, lucratur distributiones,
57 ac si præsens esset in Choro, ad *Text.*
in cap. unico de Clericis non resid. in 6.,
*Fagn. in cap. licèt suprà nu.*158. *Card.*
*de Luc. de Canonicis disc.*12. *n.*5. *&* 8.,
Sacra Congreg. Concil. in una Terraci-
nen. 10. *Januar.* 1637. *Pisana* 13. *Apri-*
lis 1652.

Utilitas verò, vel necessitas Ecclesiæ
debet esse evidens, ad hoc ut lucrari
58 possit illas; & ubi ei non fuerit consti-
tutum salarium; nam aliter non potest
percipere distributiones pro sua absen-
tia, *Moneta d. quæst.*11. *num.*31. *Sa-*
cra Congreg. Concil. in una Vicentina
9. *Novembris* 1647. *Collen.* 28. *Janua-*
rii 1665.

Quod locum habet, etiam si abesset
pro defensione jurium sui Canonicatus;
59 nam tunc dicitur abesse causa utilitatis
Ecclesiæ, *Card. de Luca de Canonicis*
*disc.*40. *num.*5., *Sacra Congreg. Concil.*
in una Collen. 18. *Februarii* 1665. *Me-*
diolanen. 10. *Januarii* 1682. *Lauretana*
16. *Julii* 1695.

Canonicus, ad hoc ut valeat lucrari
illas, etiam eo absente, causa, ut suprà,
60 debet priùs petere, & obtinere licen-
tiam à suo Ordinario, ut ex *Sacra Con-*
greg. Concil. in una Maceraten. seu Ur-
bevetana 27. *Martii* 1664. ibi = *Quoti-*
dianas distributiones non deberi Cano-
nico absque licentia sui Ordinarii absen-
ti, ut se defendat adversùs prætenden-
tem pensionem super suo beneficio, vel
Canonicatu.

Canonicus, ubi fuerit infirmus, quia
propter suam infirmitatem non valet
61 adesse in Choro, ne afflictis injungatur
afflictio, adhuc lucratur distributiones
quotidianas pro sua absentia à Choro, ad
Text. in d. cap. unico de Cleric. non re-
sid. in 6. *Covar. var. resol. lib.*3. *cap.*13.
*n.*5. *Moneta suprà lib.*2. *quæst.*6. *n.*1.,
*Panimolla suprà num.*57. *de Marinis re-*
*solut. quotid. cap.*40. *Card. de Luca de*
*Canonicis, & Capit. disc.*12. *n.*3. *&* 4.,
Sacra Congreg. Concil. in una Mantuana
6. *Februarii* 1627. *Viterbien.* 26. *Au-*
gusti 1628. *Narnien.* 19. *Julii* 1653.
Sacra Congreg. Concil. in una Mediola-
nen. distribut. 4. *Februarii* 1713.

De infirmitate doceri potest per atte-
62 stationes Medicorum quibus defertur,
Sac. Congreg. Concil. in una Lauretana
distribut. 8. *Augusti* 1711.

Sed supradicta locum habent, ubi-
cumque Canonicus infirmus ante infir-
63 mitatem solitus fuerat interesse divinis
officiis, aliter secùs, *Moneta de distri-*
*but. lib.*2. *qu.*6. *n.*21. *Barbosa alleg.*53.
*num.*167. *Panimolla suprà num.*60. *Fa-*
*gnan. in d. cap. licèt num.*148. *Rota in*
una Salmonen. distribut. 20. *Jun.* 1653.
coram Bichio, & 11. *Decembris* 1654.
in eadem coram eodem, Card. de Luca
*de Canonicis, & Capitulo disc.*12. *n.*4.
Sacra Congreg. Concil. in una Asculana
5. *Junii* 1706.

Dixi, ubicumque ante infirmitatem
solitus fuerat interesse divinis officiis;
64 undè nota quod, ubi per ipsum non ste-
terit, quin interesset, ex quo, statim
captâ possessione inciderit in morbum;
quia tunc per eum non videtur stetisse
quin accederet ad Chorum, proindè
habetur, ac si intervenisset; ideoque
ei debentur distributiones, *Sacra Con-*
greg. Concil. in una Sarsinaten. 23. *Ju-*
lii

lii 1650. *Pignatell. tom.*1.*consult*.401.

Amplia 1. supradictam conclusionem etiam ubi infirmitas propriâ culpâ Ca-
65 nonici contracta fuerit, ita *Garz. de benefic. part.*3. *cap.*2. *num.* 363. *Lotter. de re benefic. lib.*2. *quæst.*27. *num.*136. *Moneta d. quæst.*6. *num.*11. *Barbosa d. alleg.*53. *n.*168., & ad *Trid. sess.* 24. *cap.*12. *num.*95. *de Reform. Sanctarell. var. resol. qu.*8. *n.*6. *Guttierez Canonic. quæst. lib.*1. *cap.*1. *n.*138. *Covarr. var. resol. lib.*3. *cap.*13. *n.*8. *Fagn. in d. cap. licèt n.*147. *& seqq.*

Amplia 2. etiam quoad illas distribu-
66 tiones, & emolumenta, quæ debentur Canonicis interessentibus ratione Missarum, *Sacra Congreg. Concil. in una Gravinen.* 17. *Julii* 1649. Ratio est,
67 quia omnia emolumenta comprehenduntur sub nomine distributionum, quoties illa proveniunt ex anniversariis exequiis, aut ex populi oblationibus, *Card. de Luca de Canonicis, & Capitulo disc.*16.*n.*3. ubi *n.*8. includit sub hoc nomine, & vocabulo emolumentorum, candelas, vel pecuniam datam aliis Canonicis pro funere peragendo, ac eorum viatico.

Amplia 3. etiam quoad illas distributiones, quæ accrescunt Canonicis interessentibus pro punctaturis, ex supra-
68 dicta ratione: cùm hi, durante eorum infirmitate, habeantur pro præsentibus in Choro; ac proindè participare debent de omnibus emolumentis quorum participes sunt Canonici præsentes, *Fagn. in d. cap. licèt n.*139., *& in cap.*1. *de Cleric. ægrotante*, *Card. de Luca de Canonic. & Capit. disc.*13. *n.* 3. *Sacra Congreg. Concil. in una Viterbien.* 25. *Augusti* 1628.

Canonicus, ubi propter suam senectutem non valet interesse in Choro,
69 quia uti infirmus habendus est, nam senectus ipsa est morbus, adhuc lucratur distributiones quotidianas, non ob-
70 stante suâ absentiâ à Choro, cum habeatur ac si præsens esset in illo, *Moneta de distribut. quotid. part.*2. *quæst.*7. *n.*5. *Barbosa d. alleg.*53. *Panimolla suprà n.*68. *Fagn. in d. cap. licèt n.* 146. *Riccius resol.*389. *n.*7. *Sac.Congr.Conc. in una Narnien.* 29. *Novembris* 1631., *Romana* 15. *Novembris* 1653.

De Canonico jubilato, sequitur, ut aliquid dicamus. Canonicus jubilatus,
71 quia propter jubilationē dicitur exemptus à servitio Chori, proindè habetur, ac si præsens esset in illo; unde valet lucrari quotidianas distributiones, dummodo aliter non obstet contraria consuetudo, *Fagn. in d. cap. licèt n.*166. *Sac. Congr. Concil. ad dubium jubilationis* 7. *Julii* 1668. ibi = *Canonicus decrepitus, & de sua Ecclesia Cathedrali optimè meritus, ob servitium ultra quadraginta annos, assiduè præstitum, ex hujus Sacræ Congregationis indulto percipit fructus sui Canonicatus, una cum distributionibus quotidianis, etiamsi Choro non intersit, non secùs ac si personaliter omnibus horis divinis interesset* = & ita videtur quoque resolutum *in una Reatina* 19. *Aprilis* 1692. *Aquipendii* 23. *Martii* 1697., *Bononien.* 20. *Aprilis eodem anno*, *Tranen.* 13. *Januarii* 1703.

Imò debentur Canonico jubilato non solùm distributiones, & emolumenta, quæ currebant secundùm tabellam anti-
72 quam, & ante jubilationem, sed etiam lucratur partem emolumentorum, quæ Capitulo accreverunt, postquam ipse fuit jubilatus; unde quoad emolumenta ipsa percipienda, semper habendus erit, ac si præsens esset in Choro, *Sacra Congreg. Concil. in una Lunen. Sarzanen.* 17. *Maji* 1685. *ad dubia proposita ad dubium primum.*

Emolumenta verò, quæ proveniunt ex anniversariis, & funeralibus, in quibus testator disposuit, illa non posse lu-
73 crari, nisi ab interessentibus tantum; tunc, attentâ hujusmodi restrictivâ, Canonici jubilati nullum jus habent in illis, *Sac. Congr. Conc. in d. Lunen.* 30. *Septembris* 1684. *ad dub.*2.

Sicuti quoque non valent lucrari
74 emolumenta provenientia ex anniversariis incertis, & extraordinariis, *Sacra Congr. Concil. in d. Lunen.* 30. *Septembris* 1684. *ad dub.*3.

Ita pariter neque ei debentur candelæ distribuendæ, vel meliùs pars cande-
75 larum, quæ distribuuntur, ac si præsens esset in Choro, *Sacra Congreg. Conc. in d. Lunen. Sarzanen.* 17. *Maji* 1685. *ad dub.*5.

mano-

Canonicus Musicâ eruditus, quoties
ob deficientiam professorum, musicis
76 concentibus solet interesse, dummodò
pro cantu musicæ stipendium non recipiat,
lucratur distributiones quotidianas,
ac si præsens esset in Choro; nam
ad utilitatem Ecclesiæ videtur abesse,
Sacra Congreg. Concil. in una S. Severini 15. Novembr. 1695. Pignatell. consult. Canonic. tom. 1. consult. 274., ubi
Doctores.

Ille Canonicus, qui metu ne occidatur
à suis inimicis, vel ad effugiendam
indignationem Principis loci, abest à lo-
77 co, quia non videtur dolo desistere à
servitio Chori, sed necessitate coactus,
lucratur distributiones ipsas, ac si præsens
esset in Choro, dummodò ante factum
periculi solitus fuerit interesse in
Choro, *Garz. de Benefic. part. 3. cap. 2. n. 351. Cancer. var. resol. lib. 3. cap. 13. n. 8. Moneta de distribut. part. 2. qu. 5. n. 71. Gratian. discept. forens. cap. 591. n. 36. Sanctarell. var. resol. qu. 9. num. 2. Sacra Congreg. Concil. in una Carpen. 17. Septembris 1616.*

Carceratus injustè, ubicumque fuerit
Canonicus, ipse probatâ ejus inno-
78 centiâ, & uti innocens absolutus, lucratur
distributiones pro toto eo tempore,
quo injustè in carceribus fuit detentus,
Lotter. de re benefic. lib. 3. q. 27. n. 145. Barbosa de Canonicis, & Dignitat. cap. 24. n. 42. & seq. Guazin. ad defensam reorum def. 6. cap. 1. n. 25. Scannarol. de visitat. Carcer. lib. 1. cap. 1. n. 25. Fagn. in d. cap. licèt n. 153. Card. de Luca ad Trident. disc. 15. n. 18. Sacra Congreg. Concil. in una Baren. 23. Novembris 1630. Romana distribut. 19. Augusti 1684. Albanen. 14. Novembris 1693.

Secus tamen videtur, ubi fuerit ju-
79 stè carceratus, *Moneta suprà num. 81. Garz. suprà n. 362. Pignatell. tom. 1. consult. 387., & tom. 4. consult. 157. Sacra Congreg. Concil. in una Romana 15. Decembris 1657.*, & alibi passim per *Doctores*.

Ubicumque Canonicus fuerit injustè
excommunicatus, suspensus, vel interdictus,
quia, durante hujusmodi ca-
80 nonico impedimento, non poterat interesse
divinis, cum citra suam culpam
hoc acciderit, probatâ ejus injustâ vexatione,
lucratur distributiones prædictas,
ac si præsens fuisset in Choro, dummodò
antea solitus erat interesse in
Choro, *Sayrus de Censuris lib. 2. cap. 5. n. 27. Moneta de distribut. part. 2. qu. 15. n. 32. Barbosa d. alleg. 53. n. 194. Fagn. in d. cap. licèt n. 157. Rota coram Amato Dunozetto dec. 380. num. 2. Card. de Luca de Canonicis, & Capitulo disc. 40. n. 2. & seqq.*

Adhuc ubi Canonicus injustè fuerit
privatus suo Canonicatu, lucratur di-
81 stributiones pro toto eo tempore, quo
ob injustam privationem non potuit accedere
ad Chorum, & obire munera suo
Canonicatui injuncta; undè reintegrandus
erit in omnibus, *Barbosa de Jure Eccles. lib. 3. cap. 18. n. 77. Sacra Congr. Concil. in una Aquilana 21. Junii 1625.* ibi = *Capitulum cogendum esse restituere fructus, distributiones, cæteraque emolumenta injustè privato debita*, *Rota dec. 360. part. 12. rec.*

Ita videtur dicendum de injustè exu-
82 lato è loco Canonicatus, dummodò
priùs solitus erat accedere ad Chorum,
Barbosa dicto cap. 18. num. 70. Santarell. var. resol. quæst. 9. num. 9., & *Doctores passim*.

Habens indultum Papæ, quo videtur
exemptus à servitio Chori, is non
83 solùm lucratur distributiones quotidianas,
sed etiam partem punctaturarum
Canonicorum absentium, necnon lucratur
omnia alia emolumenta, ac si præsens
esset in Choro, *Panimolla d. dec. 20. annot. 3. n. 25. Barbosa ad Trid. sess. 24. cap. 12. n. 25. Sacra Congreg. Concil. in una Romana punctaturarum 27. Januarii 1691.*

Canonicus celebrans, dum divina
officia peraguntur, lucratur distributio-
84 nes quotidianas, si ad celebrandum
compulsus fuerit ab illo, qui est superior
Capituli, vel ubi consuetudine introductum
est, ut Canonici recedentes
à Choro pro celebranda Missa, adhuc
lucrari valeant distributiones: secùs
verò, ubi talis consuetudo non extet,
vel compulsus non fuerit à primo Capituli,
Barbosa d. cap. 18. num. 78. Riccius decis. 494. alias resol. 385. Sac. Congreg. Concil. in una Pennen. 27. Junii 1626. Callien. 29. Junii 1628. Oriolen.

27. Mar-

27. *Martii* 1632. *Sulmonen.* 16. *Martii* 1647.

Ubicumque per Canonicum provisum de Canonicatu non stetit, quin
85 caperet possessionem sui Canonicatus, sed injustè fuit impeditus à Capitulo, ne caperet illam, non ex hoc erit privandus distributionibus ipsis, cum habendus erit tanquam præsens in Choro ab eo tempore, quo capere poterat possessionem, sed non potuit, ob injustum impedimentum; cautiùs tamen aget,
86 se protestando judicialiter de damnis, & expensis futuris, solvendis ab injustè impedientibus ne possessionem capiat, *Gratian. discept. forens. cap.*591. *n.*42. *Panimolla suprà n.*86. *Rota coram Royas decis.*173. *Card. de Luca de Canonic. & Capitulo disc.*7. *n.*4.

Demum Canonicus expulsus è loco Beneficii absque sua culpa, propter se-
87 ditiones populi, ab hominibus contrariæ factionis, integrè percipere debet quotidianas distributiones ipsas, ac si præsens fuisset in Choro, ad *Text. in cap. unico de Cleric. non resident. in* 6., *Fagnan. in cap. licèt num.*151. *de præbendis*.

ARGUMENTUM.

De Canonicorum, seu Dignitatum facultate circa optionem ex uno ad alium Canonicatum, vel Dignitatem aliam: & quando locum habeat optio hujusmodi.

SUMMARIUM.

1 *Optio, quam consueverunt habere Canonici, quid sit.*
2 *Optio est de prohibitis in jure.*
3 *Consuetudo optandi quanto tempore inducatur.*
4 *Optionis jus exerceri debet intra dies viginti à die scientiæ*, & num.5.
6 *Optio conceditur antiquiori Canonico, spectata quidem antiquioritate receptionis*, & num.9.
7 *Canonicis junioribus gradatim defertur jus optandi, quatenus senior negligat intra præfinitum tempus optare.*
8 *Canonicis optare negligentibus, collatio devolvitur ad superiorem Collatorem.*
10 *Optandi jus num competat absenti, & an possit exerceri per Procuratorem*, & num.11. & 12.
13 *Optio neque Canonico excommunicato impeditur.*
14 *Optio cessat in Beneficiis Papæ reservatis*, & num.15.
16 *Item in Beneficiis resignatis in manibus Papæ, vel ejusdem auctoritate permutatis.*
17 *Rursus in Præbendis, & Canonicatibus de Jurepatronatus laicalis, vel mixti, nisi accesserit consensus Patroni.*

DISCEPTATIO XIII.

Breviter in hac Disceptatione sermo noster erit de Optione habenda de uno ad alium Canonicatum: & quoad
1 ejus essentiam, Optio nil aliud est, quam jus quoddam transeundi de una ad aliā Præbendam, attentâ consuetudine, vel statuto, aut privilegio Apostolico.

Optio, de qua loquimur, non semper datur in Canonicatibus, nisi consuetu-
2 dine, aut statuto, vel privilegio ita introductum est, cum aliàs de jure sit prohibita, ut de omnibus per *Text. in cap. ultimo de consuetudin. in* 6. latè *Moneta de Optionibus Canonic. cap.*1. *Lotter. de re Benefic. lib.*2. *qu.*38. *à n.*1. *& pluribus seqq.*

Dixi *consuetudine*, undè hìc est videndum quanto tempore induci possit consuetudo optandi, & nonnulli putant,
3 sufficere præscriptionem annorum decem: ita *Riccius Collect.* 2451., licèt alii veriùs credant requiri præscriptionem quadraginta annorum, ut ex *Gonzalez ad Regulam octavam Cancell. glossa* 34. *à n.*11. latè *Barbosa de Canonicis, & Dignitatibus cap.*30.

Optio, de qua suprà, regulariter
4 fieri debet infrà dies viginti, ad *Text. in d. cap. ultimo de consuetud. in* 6. *Gonzalez suprà n.*75. *Moneta suprà cap.*4. *quæst.*11.

Qui quidem dies viginti computan-
5 tur à die verisimilis scientiæ vacationis, *Moneta suprà cap.*6. *n.*18.

Hujusmodi Optio non competit omnibus Canonicis, sed, qui antiquior
6 erit, jus habet optandi ad præbendam vacantem, *Moneta d. cap.4. qu.1.n.15.*

At, si Canonicus antiquior differret optare infra legitimum tempus, ita ut
7 sit periculum, ne illud labatur in damnum juniorum, poterit junior sequens optare præbendam, & sic gradatim, *Garz. suprà n.78. Moneta suprà cap.5. qu.1. n.15. Rota in recent. part. 4. decis.571. n.14.*

Omnibus verò Canonicis recusantibus
8 optare, collatio devolvitur ad Episcopum, *Rota coram Rembold. dec.365. num.11.*

Antiquiores autem intelligendi sunt
9 antiquiores receptione, non autem ætate, *Moneta d. cap.1. qu.1. n.15.*

Jus optandi non solùm competit Ca-
10 nonico præsenti, sed etiam absenti, si aliter non obstet consuetudo, statutum, vel privilegium, *Moneta sup. d. cap.4. qu.3. n. 4.*

Imò potest optare per procuratorem
11 habentem speciale mandatum ad hoc, ut ex *d. cap. ultimo de consuetud. in 6.*, *Gonzalez d. glossa 34. n.123. Moneta suprà cap.1. n.52.*

Imò sufficit generale mandatum ad
12 negotia, ut ex *d. Moneta suprà n.55. & 58.*

Potest Canonicus optare aliam præ-
13 bendam, non obstante quod fuerit excommunicatus, *Covar. in cap. alma mater de Sentent. excommun. part.1. §. 7. Ugolin. de Censuris tabula 2. cap.13. §.2. n.15. Sayrus eodem tract. lib.2. cap.6. n.13. Gonzalez suprà n.65.*

Optio, de qua suprà, non habet lo-
14 cum in beneficiis, seu præbendis reservatis ob vacationem in Curia, ut ex *d. cap. ultimo, Moneta sup. cap.3. qu.3. n.12. & seqq.*

Nec in beneficiis quomodocumque
15 Papæ reservatis, *Moneta d. qu.3. à n.41. Gonzalez sup. n.2.*

Nec in beneficiis, & præbendis, quæ
16 permutantur, vel resignantur in Curia in manu Papæ, *Gonzalez sup. num.35. Moneta d. cap.3. à n.124.*

Demum non habet locum in præben-
17 dis, & Canonicatibus de Jurepatronatus laicalis, vel mixti, nisi accedat consensus patroni, *Moneta dicto cap. 3. à num.112.*

ARGUMENTUM.

Canonici, seu Dignitates, quando possint obtinere à Papa Coadjutorem cum futura successione, & interim lucrari fructus? Ubi de facultatibus Coadjutorum per casus duodecim, & quatenus Coadjutor habeatur ut verus Canonicus, ac Beneficiatus, & gaudeat Privilegiis? Agitur etiam de possessione capienda post mortem Canonici Coadjuti, & de aliis ad materiam.

SUMMARIUM.

1 *Coadjutor cum futura successione nonnisi à Papa dari potest, causâ priùs cognitâ, propter Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem*, & n.5. *juncto* n.60.

2 *In coadjutoriis cum futura successione duplex gratia consideratur*, & n. 3. cum seq. & n.14. & seq. & n.65.

4 *Ecclesiæ expedit, quòd per personas aptas, atque idoneas gubernetur.*

6 *Causæ cognitio in coadjutoriis, quas Papa concedit extra Urbem, habetur mediantibus testimonialibus literis Ordinariorum, aut Capituli, vel respectivè per attestationes Medicorum* num.7.

8 *Gratiæ coadjutoriarum, aliæve, falsis quandoque suggestionibus Ministrorum, sive Supplicantium, à Papa extorquentur, quod indignum est vertere culpæ concedentis.*

9 *Pro concessione coadjutoriarum cum futura successione, de honestate exigitur consensus coadjuti, ut vitetur votum captandæ mortis*, & num.13.

11 *Quibus autem casibus Canonico etiam invito dari soleat coadjutor*, & n.12.

16 *Coadjutor cum futura successione interim dum vivit Canonicus coadjutus, reputatur Canonicus fictus*, & num.17. cum seq. & num.22.

Limita, ut num.43. & seq.

19 *Canonicus coadjutor, quousque coadjutus*

tus in humanis existat, fructus non percipit, nec distributiones quotidianas, & num.20.

21 *Circa jura competentia Canonico coadjutori, attendendus est tenor literarum Apostolicæ provisionis*, & n.30.

23 *Canonico coadjutori onus non inhæret recitandi Officium.*

24 *Canonicus coadjutor non obligatur fidei professionem emittere.*

25 *Nec potest sedere in stallo coadjuti.*

26 *Atque in persolvendis Ecclesiasticis functionibus novissimum locum tenere debet.*

27 *Coadjutor Dignitatis quo stallo debeat insidere*, & num.28. cum seq.

30 *Coadjutor vices coadjuti supplere tenetur circa functiones peragendas.*

31 *Dato Coadjutore primo ex duobus Primiceriis in eadem Ecclesia existentibus, absente coadjuto, præcedentia competit secundo Primicerio.*

32 *Coadjutor cum futura successione, quousque vivit Canonicus coadjutus, in Syndicum, sive Delegatum, aut Judicem Synodalem eligi nequit.*

33 *Nec cogitur solvere id, quod præstandum est à Canonicis noviter receptis.*

34 *Nec gaudet privilegiis Canonicorum de percipiendis fructibus in absentia ex certis causis.*

35 *Sicuti nec adstringitur subire onera Canonicis junioribus incumbentia*, & num.36.

37 *Coadjutor minimè afficitur statuto Ecclesiæ, quod ad Canonicatus promoveri debeant constituti in ordine Presbyterali.*

38 *Canonicus coadjutor ad titulum coadjutoriæ ordinari non potest.*

39 *Coadjutor nequit expedire personalia munia coadjuti.*

40 *Coadjutor possessionem apprehendere debet post obitum coadjuti*, & n.41. & 57.

42 *Coadjutor obtinet locum possessionis captæ post obitum coadjuti*, & n.77.

43 *Coadjutor in plerisque verus Canonicus reputatur*, & n.44. cum seqq.

58 *Coadjutor cum futura successione quatenus narrata in literis coadjutoriæ post obitum coadjuti non justificaverit, Gratia hujusmodi coadjutoriæ irrita est*, & num.60.

59 *Provisus ab Ordinario est legitimus contradictor coadjutori proviso Apostolico, ad hoc ut narrata in literis coadjutoriæ justificare teneatur.*

60 *Gratia falsis precibus innixa, propter vitium subreptionis, nulla est.*

61 *Coadjutor, justificatis literis Apostolicis debetur immissio, non obstante provisione ab Ordinario facta*, & n. 64. cum seq. & n.76.

62 *Literis Apostolicis, quoties fuerint justificatæ, debetur executio.*

63 *Appositio manus Papæ nullam reddit provisionem ab Ordinario factam.*

66 *Gratia Papæ per solam Signaturam perficitur, nec quicquam ei detrahit subsecuta mors ipsius Papæ.*

67 *Gratiæ, quæ non fuerunt expeditæ in vita Papæ concedentis, expediri mandantur per successorem in forma* Rationi congruit.

68 *Gratia, quæ purificatur, quando extrema habilia ampliùs non existunt, inefficax remanet.*

70 *Gratia in forma commissariâ, vel forma* Dignum *continet simplex mandatum de conferendo, quemadmodum mandatum de providendo Resignatarium.*

71 *A resignatione ad coadjutoriam valet illatio.*

72 *Gratia in forma* Dignum *conditionalis est quoad executionem dumtaxat, adeout detecta veritate narratorum, vel falsitate, collatio usque ab initio facta, vel respectivè denegata videtur.*

DISCEPTATIO XIV.

Canonicis, & Dignitatibus, tàm Cathedralis, quàm Collegiatæ Ecclesiæ dari solet aliquando à Papa Coadjutor cum futura successione, ad Canonicatum, seu Dignitatem; hinc videre est in hac Disceptatione, quæ sit facultas Canonici Coadjuti, & Canonici
1 Coadjutoris. Coadjutores isti cum futura successione non valent dari nisi à Papa, concurrentibus utilitate Ecclesiæ, ac illius necessitate, & causâ cognitâ per ipsum Romanum Pontificem.

Deputatio Coadjutoris habet in se duo correlativa, priùs quòd Papa det

Coadiutorem non valenti fungi officio
2 suo, propter imbecillitatem vel corporis, vel animi, quo casu nemo est, qui non agnoscat in hujusmodi Coadiutoris deputatione necessitatem, & utilitatem Ecclesiæ versari, ad *Text. in cap. penultimo, & ultimo de Cleric. ægrotante, cap. unico eodem titulo in 6. Rota recent. part. 16. decis. 112. num. 7.*

Alterum in retribuendo eidem Coadiutori jus succedendi ipsi coadiuto; &
3 in hoc quoque versatur eadem causa necessitatis, & utilitatis; nam expedit,
4 ut Ecclesia regatur per personas aptas, & idoneas, *Tridentin. sess. 25. cap. 7. de Reform. vers. quod si quando, Fagnan. ad Text. in cap. nulla n. 62. de concess. præbendæ, Lotter. de re benefic. lib. 2. quæst. 25. num. 29. Rota in rec. part. 16. decis. 112. num. 7. & 8., & 27.*, facit *Textus in cap. petiisti 7. quæst. 1.*

Dixi: Causa cognita per ipsum Romanum Pontificem: etenim ipse Coa-
5 diutor tenetur verificare causas expositas coram Papa, quæ agnoscendæ erunt ab illo diligenter, ne detur locus fraudibus, ut ex *Tridentin. sess. 25. cap 7. de Reform. vers. in Coadjutoriis, Remocamp. de Coadjutoriis cap. 9. num. 23. Lotter. de re benefic. lib. 2. quæst. 25. sub num. 6. & num. 33. Rota in recent. parte 6. decis. 114. num. 12., & part. 7. decis. ultima n. 33., & part. 16. decis. 112. num. 8. & DD. passim.*

Causa videtur cognita à Pontifice, propter expressas infirmitates Canonici, qui petit sibi dari Coadjutorem, ex
6 Commendatitiis literis Episcopi Ordinarii loci, vel alterius, qui eas concedere valet, uti de Capitulo Cathedralium & similium, *Rota part. 16. rec. d. decis. 112. num. 9., & 10.* ubi *Gonzalez ad regulam octavam Cancell. Glossa 5. §. 9. num. 49. Lotter. de re benefic. lib. 2. quæst. 25. num. 27., & 28. Rota coram Celso decis. 155. num. 33.*

Sicuti etiam probata dicitur infirmi-
7 tas Canonici petentis sibi dari Coadjutorem, ex informatione Canonicorum de Capitulo; Necnon ex fide & attestatione Medicorum, *Rota d. decis. 112. num. 12. & 13. part. 16. recent.*

Coadiutoriæ verò concessio ex sinistra informatione contra mentem Romani Pontificis, vix præcaveri potest;
8 etenim aliquando, ad obtinendam Coadiutoriam ipsam, extorquentur literæ testimoniales, & commendatitiæ, aut Episcopi, aut Capituli, super qualitatibus Coadiutoris, & indigentia Ecclesiæ, & Summus Pontifex concedit gratiam juxta petita (tamquam homo deceptus) undè inquit *Æneas Silvius*, posteà *Pius II. in Opusculo de Moribus Germanor. fol. 1045.* ibi: *Fatemur, in Romana Curia, quam homines regunt, non omnia esse nitida, & plurima fieri digna correctione, nec ambigimus, ipsos primæ Urbis Antistites, cum Christi Dei nostri Vicariatum assumunt, homines remanere, ac propterea falli, errare, labi, & decipi posse. Sedent Pii Patres in thalamo suo, veniunt ad eos nunc Cardinales, nunc Episcopi, nunc fortis alterius homines, & modò hunc modò illum laudibus cumulant dignumque gravi regimini adscribunt, adstruunt. Credit Apostolica pietas, iisque beneficia mandat, quos commendatos accipit, atque ita fit, ut aliquando virtus pecuniæ cedat, non quia Pontifex probitati aurum præferat sed quoniam internuntii, sive, ut ajunt, mediatores, argento, aut amicitiâ victi, indignum digno præponunt.*

Ultra causas prædictas, scilicet, necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ, opus
9 est (non tamen pernecesse) ut concurrat petitio Canonici coadjuti, videlicet ut ipsius nomine porrigatur supplicatio Sanctissimo, quatenus dignetur ei concedere Coadjutorem, attento impedimento infirmitatis, vel senectutis, & similium: & hoc fit, ut excludatur votum captandæ mortis ipsius Coadjuti;
10 nam per hujusmodi petitionem excluditur votum ipsum saltem præsumptum, ut ex *Lotterio de re beneficiaria lib. 2. qu. 25. n. 20., & 21. Fagn. in cap. cum nulla n. 55. de concess. præbendæ, Rota in rec. parte 16. dec. 112. n. 33. & part. 19. dec. 21. n. 7.*

Invito enim Canonico, nusquam consuetum est dari Coadjutorem, nisi aut in casu dilapidationis bonorum Ec-
11 clesiæ, cum ablatione administrationis, à qua de Jure Canonicus veniat perpetuò suspendendus, ad *Text. in can. ult. 3. q. 2. cap. ultimo ad finem de accusat.*

Rota

Rota in una Tullen., *sex Nullius Mo-
nasterii 29. Martii* 1610. *coram R. P.
D. Sacrato. Lotter. supr. d. quæst.25.
num.25.*

Ita quoque in casu dementiæ, hoc
12 enim casu ne afflictis injungatur affli-
ctio, non venit privandus suo Canoni-
catu, sed ei dandus erit Coadjutor, ad
*Text. in cap. unico de Cler. ægrotante
in 6. Lotter. sup. n.26.*

Dixi: non tamen pernecesse: etenim
non requiritur pernecesse, quòd in gra-
tia Coadjutoriæ cum futura successione
facta à Papa ad favorem Titii Coad-
13 jutoris, ob perfectionem ipsius gratiæ,
concurrat consensus Canonici coadjuti,
ut ex *Sac. Rota in recent. part.16. dec.
333. n.3.* ubi *Doctores*.

Etenim in hodierna formula Coadju-
toriarum duæ gratiæ æquè principales,
14 ac independentes conceduntur, una
favore Canonici coadjuti, altera favo-
re Coadjutoris, quæ est provisio absolu-
ta, in eventum mortis Coadjuti; &
hæc secunda non requirit consensum
ipsius Coadjuti: *Lotter. sup. num.29.
Gratian. discept. forens. cap.138. n.49.
Rota in rec. part.7. dec.313. num.26.*,
& part. 16. dec.333. num. 9. ubi *Do-
ctores*.

Imò gratia ipsa subsistit, etiamsi al-
15 tera corruat, ad *Text. in cap. si co tem-
pore de rescript. in 6. Rota in recent.
part.10. dec.122. per totam*, *& dicta
dec.333. n.10.*

Coadjutores hujusmodi cum futura
successione non sunt veri Canonici, in-
terim dum vivunt Canonici coadjuti,
16 cum, istis viventibus, licèt expeditis
in eorum favorem literis Apostolicis,
habent tantùm jus ad rem, non in re,
*Navarr. in cap. si quando de Rescriptis
prælud.5. nu.10. Rota in rec. part. 18.
dec.198. n.2.* ubi *Doctores*.

Nam Papa, Coadjutoriam conceden-
do, non concedit absolutè Canonica-
tum Coadjutori, sed mandat provide-
17 ri, quatenus vera sint exposita, cum
ipse intendat providere necessitati Ec-
18 clesiæ. Undè Canonicus Coadjutor vo-
catur Canonicus fictus, ut tradit
Rota in rec. part.16. dec.333. num.13.,
& part.18. decis.198. numer.3. His po-
sitis.

Infertur 1. ex præcedentibus, Cano-
nicum Coadjutorem, vivente Canoni-
19 co Coadjuto, non posse percipere fru-
ctus beneficii Coadjuti. *Novar. consil.
2. n.5. de Cler. ægrotante*, *Rota part.3.
divers. dec.285. lib.3.*

Imò ipse Canonicus Coadjutus lu-
cratur distributiones quotidianas, licèt
20 servitium in Choro præstitum fuerit
ab ipso Coadjutore: *Sacra Congreg. Ri-
tuum in una Colymbrien. 16. Septembris
1606. ad dub.6.*, *& in Alboren. 15.
Aprilis ejusdem anni*, *Barbosa de Jure
Eccles. lib.3. cap.10. n.56.*, *& 57.*, ubi
num.58. dicit servandas esse leges præ-
21 scriptas in literis Apostolicis hujusmo-
di Coadjutoriæ. Ratio ea est suprad., nam
Coadjutor cum futura successione, di-
22 citur Canonicus fictus. *Rota in rec.
part. 19. dec.99. n.2.*

Infertur 2. Coadjutorem non teneri
recitare officium Canonicum, cum hoc
23 spectet ad Canonicum Coadjutum, ra-
tione fructus, quos ipse percipit Cano-
nicatus: ita *Garz. de benefic. part.3.
cap.1. n.109. Bonacina de horis canon.
disput.1. qu.2. part.3. n.15.*, *Squillan-
te de obligat. Cleric. part.1.*, *à nu.14.
Barbosa d. cap.10. n.59.*

Infertur 3. Coadjutorem non teneri
emittere professionem fidei, nisi, cum
24 factus fuerit locus successioni: *Garz.
de benefic. part.3. cap.3. n.16. Barbosa
de Episcop. alleg.61. num.18. Squillante
de privileg. Cleric. cap.4. num.79.*, *&*
DD. passim.

Infertur 4. Coadjutorem hujusmodi
non posse sedere in eo stallo, in quo se-
25 det Canonicus Coadjutus, sed sedere
debet post ultimum Canonicum; *Gon-
zalez ad regulam* 8. *Cancel. glossa 5.§.9.
n.101.*, *& 109. Rota in recent. part.1.
dec.456. & 637. Sacra Congr. Conc. in
una Narnien. 5. Maii 1646.*

Et ubicumque aliquas functiones fa-
ciunt ipsi Coadjutores, viventibus
Coadjutis, quæ pertinent ad ipsos met
Canonicos Coadjutos, ut cantare le-
26 ctiones, & similia, pariter illas de-
bent facere in novissimo loco; *S. C. Ri-
tuum in dicta Colymbrien. 16. Septem-
bris 1606. ad dub.4.*, *& in Patavina 3.
Decembris 1616. Brundusina 18. Mar-
tii 1617. Casalen. 10. Decembris 1619.*
Bar-

Barbosa supradicto cap. 10. *numer.* 65., *&* 66.
Dixi *in ultimo loco*: hic tamen nota
quod ubi Coadjutor esset in Dignitate,
puta quia Coadjutor sit alicujus ex Di-
gnitatibus de Capitulo, absente Di-
27 gnitate, Coadjutor occupat locum Di-
gnitatis; ac proinde sedere debet ante
Canonicos: *Sacra Congr. Rituum in una
Neritonen.* 22. *Octobris* 1619.
Idemque prorsus stallum, quod
Coadjutus, si presens esset, obtineret,
28 occupare debet, ut censuit, *Sacra
Congr. Rituum in una Brundusina* 29.
Maii 1621.
Undè, cùm quidam Stephanus Guer-
rerius provisus de Coadjutoria Archi-
diaconatus primę Dignitatis Nerito-
nen., quęsivisset ab eadem Sacra Cong.
29 Rituum in quo loco deberet ipse sede-
re, absente Archidiacono Coadjuto,
30 item an ad ipsum spectarent functiones,
quas faceret idem Archidiaconus, si
prȩsens esset, ad utrumque dubium
Sac. Congreg. respondit ita: *Coadjuto-
ri prædicto juxta formam literarum
Coadjutoriæ competere locum, seu stal-
lum, in quo sederet Archidiaconus
Coadjutus, si præsens esset, necnon ad
eumdem Coadjutorem spectare functio-
nes, quas obiret idem Archidiaconus, si
adesset*: ita sub *die* 12. *Octobris* 1619.
*Sacra Congreg. Rituum in dicta Neri-
tonen.*
Ponatur quod in uno Capitulo sint
constituti duo Primicerii, ut in Mono-
politana Ecclesia, & inter eos servetur,
quod vacante primo Primiceriatu, se-
cundus Primicerius sub intret in locum
primi; quatenùs oriatur controversia
inter secundum Primicerium, & Coad-
31 jutorem primi, cui eorum absente pri-
mo Primicerio Coadjuto debeatur pri-
mus locus, & pręcedentiä, quomodo ea-
dem controversia dirimenda sit? *Sacra
Congr. Rituum in dicta Monopolitana*
17. *Julii* 1632. respondit: *absente pri-
mo Primicerio Coadjuto præcedentiam
deberi secundo*.
Infertur 5. Coadjutorem, de quo su-
pra, non posse eligi in Syndicum, As-
sessorem, seu delegatum Papę, neque
32 posse deputari in Judicem synodalem,
cum non possit dici verè Canonicus,
Garz. de benefic. part. 4. *cap.* 5. *in addit.
post n.* 138. *dub.* 29.
Infertur 6. Coadjutorem, de quo
supra, non teneri solvere fabricę Eccle-
się quod solitum est solvi per Canonicos
33 de novo receptos, cum non dicatur ve-
rè Canonicus, nisi capta possessione post
mortem Coadjuti, *Garz. sup. num.* 78.
Barbosa d. cap. 10. *n.* 72.
Infertur 7. Coadjutorem non gau-
dere privilegiis, & indultis de perci-
piendis fructibus in absentia, puta ra-
34 tione studii, vel lecturę in aliqua publi-
ca Universitate, quibus gaudere potest
Coadjutus: *Garz. supr. in d. addit.
n.* 139.
Infertur 8. Coadjutorem prędictum
non teneri ad onera Canonicorum ju-
niorum, licèt teneatur ad onera sui
Coadjuti; quia licet sedeat post omnes
Canonicos, hoc non procedit ex eo
35 quod sit Canonicus junior; sed quia,
vivente Canonico Coadjuto, non di-
citur verè Canonicus, *Garz. in d. ad-
dit. dub.* 33. *Sacra Rituum Congr. in
Colymbrièn. supr.* 16. *Septembris* 1606.
ad dub. 7., *& in Elboren.* 1. *Aprilis* 1606.
censuit, quòd Canonicus junior, juxta
consuetudinem Ecclesię, debet supple-
re vices hebdomadarii absentis, vel im-
36 pediti, & non Coadjutor, licèt sedeat
post ultimum Canonicum.
Infertur 9. Coadjutorem non teneri
tempore concessionis Coadjutorię ha-
bere ordinem Presbyteralem, ubi sta-
37 tuto Ecclesiæ cautum fuerit, quod Ca-
nonicus actu sit Sacerdos tempore pro-
motionis, sed sufficit, quòd habeat æta-
tem ad ordinem requisitum, *Rota coram
Caputaquen. decis.* 127. *num.* 1. *Gonzalez
Glossa* 5. §. 9. *num.* 6. *&* 9. *Garz. suprà
num.* 141.
Infertur 10. Coadjutorem non posse
ordinari ad titulum Coadjutoriæ, cum
38 vivente Canonico Coadjuto non dica-
tur beneficium possidere, cum illud re-
sideat penes Coadjutum, *Garz. de be-
nefic. part.* 2. *cap.* 5. *à num.* 132. *Gonza-
lez Glossa* 5. §. 9. *num.* 8. *Moneta de Opt.
Canonic. cap.* 4. *quæst.* 8. *num.* 169.
Infertur 11. Coadjutorem hujusmo-
di non posse exercere officia, ad quæ
39 Coadjutus electus est; nam in his, quæ
speciali nomine competunt Canonico
Co-

Coadjuto, non venit Coadjutor, nec eum repræsentat, *Garz. suprà in addit. ad dictum cap.5. sub num.*88.

Infertur 12. Cadjutorem, de quo suprà, non posse possessionem capere sui
40 beneficii, nisi post cessationem Coadjutoriæ, scilicèt post mortem Coadjuti, *Rota in recent. part.*1. *decis.* 456. *n.*6.

Etenim non sufficit prima possessio
41 capta vivente Coadjuto, cùm illa non dicatur vera possessio, *Sacra Congreg. Rituum in una Patavina* 30. *Januarii* 1616. *& in una Colymbrien. suprà, & in una Terulen.*21.*Martii* 1609. censuit quòd Coadjutor debet habere locum captæ possessionis post mortem
42 Coadjuti, & non captæ possessionis, vivente Coadjuto, *& in Bergomen.*7.*Augusti* 1637. censuit, possessionem ab obitu Coadjuti numerandam esse, quamvis prior possessio extenderetur ad annos viginti.

Quoad secundum. Coadjutor verò supradictus in multis habetur ut verus beneficiatus; ac proindè primò gaudet
43 regula de annali, & triennali possessione, ut clarè patet ex formulis Coadjutoriæ, *Gonzalez. ad regulam* 8. *Cancell. Glossa* 5. §.9. *num.*118. *Garz. de benefic. part.*4. *cap.*5. *à num.*89. *Sacra Congreg. Rituum in una Colymbrien.* 16.*Septembris* 1606. *ad dub. tertium*.

Secundò: Gaudet mensibus datis causâ recreationis, & illos consumit
44 sicut principalis ipse Coadjutus; ita tamen quod dies per unum ipsorum consumpti, non possint per alterum assumi, sed quoad ambos remaneant consumpti, *Gonzalez suprà num.*23., *& seq. Garz. suprà d.cap.*5.*num.*79. *Gratian. discept. forens. cap.*186. *num.*12.

Tertiò: Coadjutor ipse ægrotans, aut aliàs legitimè impeditus, haberi de-
45 bet pro præsente, & lucratur, sicut lucraretur principalis Coadjutus, dummodò ipse Coadjutor fuerit actu serviens tempore supervenientis infirmitatis, seu impedimenti, *Gonzalez suprà num.*15. *Garz. suprà num.*80. *Gratian. suprà num.*12.

Quartò: Coadjutor potest inservire, & residere in Ecclesia, licèt ipse Coad-
46 jutus fuerit excommunicatus, quia non inseruit, nec agit nomine excommunicati, sed nomine proprio, aut nomine Ecclesiæ, contra *Gonzalez suprà n.*128. tenet *Garz. d. cap.*5. *à num.*83.

Quintò: Tenetur habere qualitates requisitas ad obtinendam præbendam,
47 exemplo Resignatarii, *Paris. de Resignat. benefic. lib.*4. *quæst.*9. *num.*19. *Garz. de benefic. part.*7. *cap.*4. *in fine*, *Gonzalez suprà num.* 6. *&* 90. *Campanil. divers. Juris Canonic. rubr.*7. *cap.*6. *num.*10.

Sextò: Coadjutor ipse promoveri
48 debet infra annum ad ordinem suæ præbendæ annexum, *Garz. de benefic. dicto cap.*5. *in addit. dubit.*13. *sub num.*130. *vers. modò*.

Septimò: Coadjutor in ipsa impetratione Coadjutoriæ tenetur facere men-
49 tionem de beneficiis, quæ possidet, saltem ratione futuræ successionis, quæ ipsi conceditur, cum sit Coadjutoria gratia beneficialis, seu de beneficio, *Garz. in d. addit. dubit.*38.

Octavò: Coadjutor ipse, quatenus facit solemnes functiones, tunc Cano-
50 nici tenentur ei inservire, ac si celebrasset ipse Canonicus Coadjutus, *Sacra Congr. Rituum in una Casalen.* 10. *Januarii* 1609.

Nonò: Coadjutor serviens pro Coadjuto, non tenetur exire de Capitulo, in quo agitur de negotio ipsius Coadju-
51 ti; ratio est, quia Coadjutor non agit, nec inservit nomine Coadjuti, licèt eum repræsentet, sed agit, & inservit nomine proprio, seù nomine Ecclesiæ, & sic nihil impedit, quin ipse interesse valeat in Capitulo, & det vocem in illo, *Garz. suprà d. cap.*5. *num.*103.

Decimò: Coadjutor, absente Coadjuto, vel legitimè impedito, pro eo sedere potest in Choro, ac servire, &
52 dare vocem in Capitulo, absque consensu Coadjuti, aut eo nolente, *Navar. cons.*2. *de Clerico ægrotante num.*5. *Garz. de benefic. part.*4. *cap.*5. *num.*58.

Undecimò: Coadjutor ipse in Electionibus, seù provisionibus, aliisque
53 actibus, potest alteri committere vices suas, ad *Text. in cap. penult. de Elect. in* 6.

Ratio est quia Coadjutor non agit nomine Coadjuti, sed agere videtur nomine proprio, uti subrogatus à Pontifice

54 tifice per gratiam Coadjutoriæ in locum ipsius Coadjuti; ac proinde potest alteri delegare votum suum in absentia, *Garz. suprà post num.135.*

Duodecimò: Coadjutor, ubi fuerit Coadjutor Parochi cum futura successione, tenetur ad personalem residentiam, sicuti tenetur proprius Parochus,
55 licèt ipse non sit verè Parochus, vivente Coadjuto, ad *Text. in cap. ex parte de Offic. Vicarii* ubi *Fagnan. n.4.*

Decimotertiò Coadjutor vivente
56 Coadjuto, gaudere debet privilegiis, ut cęteri gaudent Canonici, *Rota parte 18. recent. decis.249. n.20. ubi DD.*

Quoad tertium: Mortuo Coadjuto, debet Coadjutor vigore literarum Apo-
57 stolicarum Coadjutoriæ sibi expeditarum, capere possessionem beneficii, prout de jure requiritur, & de consuetudine servatur, quamvis morte Coadjuti beneficium continuetur in Coadjutore, attentis literis Coadjutoriæ, ut ex *Sacra Rota part.16. rec. decis.112. num.2.*

Et verificare exposita in literis Apostolicis contenta, aliàs provisio nulla
58 erit, non obstante gratia facta, literarum Apostolicarum expeditione, & possessione Coadjutoriæ priùs capta, *DD. communiter cum Sacra Rota.*

Sin autem sese opponat alter provisus medio tempore ab Ordinario, tunc
59 tenetur ipse Coadjutor justificare causam Coadjutoriæ in literis expressam, uti dixi, tamquam fundamentum suæ intentionis,& gratiæ obtentæ. Ratio est, quia Papa movetur solo intuitu Ecclesiæ, ver.gr. propter necessitatem, vel evidentem ejus utilitatem, non autem intuitu alterius personæ, quâ cau-
60 sâ non existente, gratia dicitur nulla ex defectu mentis eam concedentis, propter subreptionem in precibus, *Rota in recent. part.1. decis.570. Lotter. de re benefic. lib.2. quæst.25.num.32. Barbosa de Canonic. & Dignit. cap.29. n.2. Buratt. decis. 78. num.8. & in recent. part.16. decis.112. num.3. ubi DD.*, & nos latè *de Beneficiis*, ubi de subreptione, vel obreptione in impetranda gratia beneficii à Papa. Ibi vide.

Ac proindè probatis per ipsum Coadjutorem requisitis necessariis, vide-
61 licèt probato obitu Coadjuti, Clericatu ipsius Coadjutoris, necessitate præcisa Ecclesiæ, & affectione beneficii per appositionem manus Pontificis, ei non est deneganda immissio, non obstante nova provisione facta ab Ordinario, ex eo quod Coadjutus mortuus fuerit in mensibus suis, *Rota in rec. part.16. decis.112. num.4.*

Etenim, constito de veritate narratorum, literæ Apostolicæ sunt omninò
62 executioni demandandæ, *eadem Rota in recent. part. 16. decis. 333. num.1. & 2.*

Nam sola appositio manus Pontificis sufficit ad reddendam nullam provisio-
63 nem factam ob Ordinario, *Rota d. decis.112. num.28. & 29.*

Neque obstat primò, quòd Coadjutus mortuus fuerit, antequam gratia
64 Coadjutoriæ suum habuerit effectum, itaut provisus Ordinarii impedire valeat exequutionem literarum Apostolicarum, quas ipse Coadjutor sibi obtinuerat, vivente Coadjuto, ut ex *Mandosio in tract. de Signat. gratiæ, verbo Coadjutoriæ relat. à Rota in recentior. part.16. decis.333.num.7.*

Quia ex hodierna formula Coadjutoriarum duæ gratiæ æquè principales, & independentes conceduntur: altera favore Coadjuti, altera favore Coadju-
65 toris, quæ est provisio absoluta in eventum mortis Coadjuti, & hæc nec consensum ipsius Coadjuti requirit, ut testatur *Lotter. de re benefic. lib.2.qu.25. num.29. Rota d.decis.333.num.8. & 9.* Imò una gratia subsistit, etiamsi altera corruat, *Rota d. decis. 333. num. 10. part.16. recent.*

Imò in fortioribus terminis habetur, ut refert decisum *Sacra Rota*, quod ubi gratia Coadjutoriæ expedita fuit non
66 solũ post obitũ Coadjuti, sed etiam post obitum Summi Pontificis gratiam concedentis, adhuc valida reputata fuerit favore Coadjutoris; eò quia illa signata, & data fuerat tempore habili, scilicet vivente utroque, & Pontifice, & Coadjuto, quo casu fuit reputata perfecta per *Sacram Rotam* ad exclusionem provisi ab Ordinario, *Rota in recent. part.19. decis.110. num.1. & 3.*

Etenim literæ Apostolicæ, seu gratiæ,

tiæ, signatæ ab antecessore Pontifice,
67 expediri possunt à Papa successore sub
consueta formula *Rationi congruit*, licèt Coadjutus fuerit mortuus ante expeditionem literarum Apostolicarum, *Gonzalez ad regul.*8. *Cancell. Glossa* 15. §.1. *num.* 33. *Corrad. in praxi benefic. lib.*3.*cap.*15.*num.*22. *Rota d. decis.*110. *num.*4.

Neque obstat 2. ipsi Coadjutori, si opponatur à proviso per Ordinarium, quod gratia concessa, atque expedita fuit in forma commissaria, aut in forma dignum, vel quatenus dignus reperia-
68 tur, & similibus verbis; itaut, adveniente obitu Coadjuti, antequam sequuta esset executio, nullum potuisset validum sortiri effectum, ob inhabilitatem extremorum, quæ de jure considerantur in hujusmodi concessionibus, & gratiis, per regulam *Text. in l.necessario* §.*quod si pendente ff. de perm. & com. rei vendit.* juncta *lege bonorum ff. rem ratam haberi*, itaut gratia Coadjutoriæ non
69 justificata, nec exequuta in vita Coadjuti, nullum tribuat jus Coadjutori, ut tenet *Lotter. de re benefic. lib.*3. *quæst.*8. *num.*138. *Rota in recent. part.*16. *decis.*333. *num.*12. *& part.*17. *decis.*157. *num.*6.

Undè gratia prædicta in forma commissaria, atque in forma *dignum*, ante illius exequutionem, nullum tribuat Jus
70 in re, sed tantummodò conditionalem dispositionem importet, quatenus provisus idoneus reperiatur, ut ex *Rebuff. de Rescript. in forma dignum n.*2. *&* 3. *Gonzalez. ad regul.*8. *Cancell. Glossa* 15. §.2. *num.*56. *Rota in recent. part.*2. *decis.*560.

Ac proindè mandatum de providendo videtur nihil posse operari in favo-
71 rem ipsius Coadjutoris, nisi exequutioni demandetur in vita Coadjuti, sicuti in mandato de providendo Resignatario, *Rota in recent. part.* 6. *decis.* 92. *num.* 13. ducto argumento à Resignatione ad Coadjutoriam, *Rota in recent. part.*4. *decis.*57. *num.*7. *&* 8. *part.*16. *decis.*333. *num.*13. *&* 14.

Quoniam supradicta oppositio, & supradicta jura locum haberent, quando
72 justificatio narratorum esset omninò impossibilis, ex quo habilitas ex parte Coadjutoris, ac cętera requisita non adessent; secùs verò, si extrema erant habilia de tempore gratiæ, non tamen executori patefacta, mediantibus probationibus, quo casu gratia Coadjutoriæ perindè transfert Jus in Coadjutorem, ac si pura fuisset, cum in substantia non sit conditionalis, sed tantùm quoad exequutionem, quæ non impedit illum,
73 ne immittatur in possessionem, contradicente proviso ab Ordinario, quamvis priùs decesserit Coadjutus, *Rota in recent. part.*17. *decis.*157.*num.*7. & prius *part.*12. *decis.*256. *num.*3.

Et in specie, quod exequutio gratiæ in forma commissaria, vel forma *dignum*,
74 seu quatenus dignus repertus fuerit, & simili, tendat potiùs in monitionem, quàm in conditionem, dicit *Glossa in Clem. unica de Offic. delegati*, *Felin. in cap. ultimo num.*18. *de præscript. Rota in recent. part.*16. *decis.* 333. *n.*18. ubi *n.*19. habetur, quod agnitâ idoneitate, illaque detectâ, in complementum exe-
75 quutionis, collatio censeatur facta de tempore rescripti Apostolici, *Lotter. de re benefic. lib.*3. *quæst.* 14. *num.*68., & in terminis Coadjutoriæ, *Rota in recent. part.*10. *decis.*122. *num.*20.

Undè concludendum est, quòd, probatâ per ipsum Coadjutorem pacificâ possessione Coadjuti, ejus indispositio-
76 ne de tempore obtentæ gratiæ, necnon ipsius Coadjutoris habilitate, attentis literis Apostolicis Coadjutoriæ immittendus erit in possessionem Beneficii, *Juribus de quibus suprà*.

Capta autem possessione, ei debetur locus in Capitulo, relativè ad diem ca-
77 ptæ ultimæ possessionis, non autem obtentæ Coadjutoriæ, licèt per multos annos fuerit Coadjutor cum futura successione, ut ex *Rota in recent. part.*1. *decis.*637. *num.*4., ac *DD. passim*, *&* *nos suprà*.

ARGUMENTUM.

Canonicorum privilegium, ut, stante quadragenario servitio in Choro, mereantur indultum, ut dicitur, Jubilationis, quale sit, & quid operetur?

SUMMARIUM.

1 *Canonicis emeritis propter quadragenarium fere continuum servitium, indulgetur privilegium, quod* jubilatio *nuncupatur, instar militum veteranorum*, & num.2.

Non obstante modico numero Canonicorum, ut num.12.

3 *Tempus dispensationis à residentia, num calculetur pro consequenda jubilatione ex quadragenario servitio Ecclesiæ*, & num.6. cum seqq.

4 *Quadragenaria assistentia Ecclesiæ pro assequendo privilegio jubilationis, intelligitur habito etiam respectu ad tempus Coadjutoriæ.*

5 *Privilegium jubilationis porrigitur etiam ad effectum lucrandi distributiones quotidianas*, & num.13.

10 *Privilegium jubilationis an requirat conformitatem servitii.*

14 *Praxis impetrandi indultum Jubilationis affertur.*

DISCEPTATIO XV.

Breviter hìc sunt nobis aliqua advertenda, quæ respiciunt materiam de Canonico jubilato, & quatenus ille jubilari valeat, & à quo beneficium hoc obtinere possit. Igitur postquam ali-
1 quis Choro inservivit per spatium annorum quadraginta, & quasi continuò, hoc casu in præmium tam magni laboris jubilari valet; undè habetur ac si præsens esset in Choro. Quòd valeat jubilari post exactum servitium quadraginta annorum, patet ex quampluribus Resolutionibus *Sac. Congreg. Concil. ut in una Aversana* 20. *Martii* 1700. *Tranen. Jubilationis* 13. *Januarii* 1703. *Ripana Jubilationis* 29.*Novembr*.1710. *Romana Jubilationis* 29. *Novembris* 1712. *Bergomen. Jubilationis* 8. *Augusti* 1716.

Hoc videtur inductum ad instar Militis veterani, ut nimirum, qui tan-
2 diù inserviit, nullo munere personali detentus, post labores suos, perenni quiete perfruatur, ita ex *Text. in l.*1. *C. de Veteran. lib.*12., ubi supradicta verba.

Diximus, Jubilationem concedi, ubicumque Canonicus spatio annorum 40. inservivit, sequitur nunc videre, an dispensatus à Choro, aliisque divinis officiis, & sic, puta, per annos quinque, tempus hujusmodi annorum quinque veniat imputandũ pro complendo numero di-
3 ctorum annorum quadraginta? Et negativè respondendum videtur; etenim licèt tempore prædicto ex Indulto Pontificio valeant obtineri, & percipi distributiones quotidianæ, attamen non operatur primum Indultum illum effectum, ut cursus ipse annorum quinque connumerari valeat pro constituendo numero prædicto annorum quadraginta servitii; nam Indultum est concessum ad effectum lucrandi distributiones pro tempore absentiæ, undè anni quinque de quibus suprà, aut simile tempus non valet computari pro obtinenda Jubilatione, *Tuschus conclus. legal. litera* 𝔗. *conclus.*734. *Sabell. in Summa. V. Privilegium num.*1.

Sed quid, ubi quis, ut Coadjutor alicujus Canonici inservivit, vita durante ipsius Coadjuti, per annos decem; an
4 tale tempus veniat computandum, ita ut servitium postea præstitum annorum triginta sufficiat, ad hoc ut possit obtinere Indultum Jubilationis? Et affirmativè respondendum videtur, undè anni decem Coadjutoriæ veniunt ponendi in Calculo, ita habemus ex *Sacra Congreg. Concil. in una Novarien.* 4. *Aug.*1691. *Bergomen.*11.*Februarii* 1696.*Brixien.* 27. *Martii* 1683., & in alia *Bergomen. Jubilationis* 8. *Augusti* 1716.

Indultum ipsum Jubilationis obtentum à Canonico, suffragatur indistinctè,
5 quoad omnes distributiones: ita patet ex quampluribus Resolutionibus per nos *suprà* adductis, *Disceptatione* 12. ubi de Canonicis, quoad distributiones quotidianas, *ibi vide*.

In

In ipsa pariter computatione temporis pro obtinenda Jubilatione an computandum sit tempus absentiæ causâ Infirmitatis, Studii, Scripturatus Apo-
6 stolici, & similium, prævio Indulto Pontificio, vel Sacræ Congregationis, per quod validè possint vacare à Choro?

Et in terminis absentiæ causâ infirmitatis Sacra Congregatio Concilii
7 sæpè determinavit, absentiam prædictam à Choro non præjudicare Jubilationi petitæ, dummodò causa infirmitatis fuisset ab Ordinario approbata, & ejusdem Sacræ Congregationis accessisset Indultum, *Bergomen. Jubilationis suprà* 8. *Augusti* 1716., & *ad dubia Jubilationis* 17. *Decembris* 1718. *ad dub. primum*.

In terminis verò absentiæ causâ Studii, & quidem præviâ licentiâ Sacræ
8 Congregationis, tempus hujusmodi non esse computandum docet *Sacra Congr. Concil. in una Nepesina Jubilationis* 28. *Novembris* 1711., & ita ad *ipsa dubia proposita ad primum*.

Demum in terminis Indultarii propter officium Scripturatus Apostolici,
9 quod tale tempus non veniat excludendum, *Sacra Congreg. Concil. in una Romana Jubilationis* 12. *Decembris* 1699.

Sed quid, ubi servitium quadragenarium fuerit difforme, ex eo quia Canonicus in una Ecclesia inservierit tanquam Canonicus spatio annorum vigin-
10 tiquinque, & in alia spatio annorum quindecim, pariter ut Canonicus; vel quia in una, & eadem Ecclesia inservierit per integrum spatium annorum quadraginta, sed partim tanquam Clericus beneficiatus, partim tanquam Beneficiatus, partim tanquam Canonicus, vel quia partim inservierit tanquam Coadjutor, & in reliquo temporis tanquam Titularis, & Canonicus: his casibus tempora veniunt conjungenda, ut locum habere possit Indultum ipsum Jubilationis, ut colligitur ex dicta *Romana Jubilationis*.

In proposito autem ejus, qui inservierat partim tanquam Coadjutor, par-
11 tim tanquam principalis, facit *Sacra Congreg. Concil. in una Brixien.* 27. *Martii* 1683. *Novarien.* 4. *Augusti* 1691. *Bergomen.* 11. *Februarii* 1696. *Bergomen. Jubilationis* 8. *Augusti* 1716.

An parvus Canonicorum, vel Beneficiatorum numerus, pro servitio Eccle-
12 siæ, impedire valeat Indultum Jubilationis Canonico, vel Beneficiato, & pariter in hoc casu videtur concedi posse hujusmodi Indultum Jubilationis, *Sacra Congreg. Concil. in una Ripana Jubilationis* 29. *Novembr.* 1710. *lib.* 60. *Decret.*

Canonicus demum, ubicumque per spatium annorum quadraginta inservie-
13 rit Choro, & obtinuerit deinde Indultum Jubilationis, quia habetur, ac si præsens esset in Choro, lucratur omnes distributiones quotidianas, ut nos hic, & latè *suprà in hoc eodem titulo Disceptat.* 12.

Pro ipso Indulto consequendo recurrendum est ad Sacr. Congregationem
14 Concilii, quæ instructa de actuali servitio solet concedere gratiam hujusmodi Indulti, ut passim fit.

ARGUMENTUM.

Canonicorum, & Dignitatum facultas, ubi Capitulum fuerit exemptum, ne illi possint judicari ab Episcopo extra visitationem sine duobus Adjunctis de ipso Capitulo.

SUMMARIUM.

1 *Episcopi, sive ejus Vicarii in Canonicos exemptos quænam sit jurisdictio*, & num. 4. & 15. cum seqq.

2 *Episcopus in casibus, in quibus procedere potest contra Canonicos exemptione fruentes, tenetur adhibere duos Adjunctos de Capitulo*, & num. 3. cum seq.

6 *Capitulum constat ex Canonicis, Beneficiati verò, & similes inferiores, tanquam gratia servitii Ecclesiæ, atque ipsius quoque Capituli introducti, non sunt de Capitulo.*

Limita nisi de Ecclesiæ statuto, vel consuetudine aliter servetur, num. 8.

7 *Clericus Ecclesiæ servitio addictus te-*

netur ejusdem Ecclesiæ Capitulo inservire.

9 *Capitulum exemptum singulorum annorum initio deputare tenetur Canonicos Adjunctos, cum quibus in occurrentibus casibus Episcopus contra ejusdem Capituli Canonicos procedere debet, causis quibusdam exceptis*, num.19. & seqq.

10 *Aliàs idem Episcopus solus procedere poterit, prævia tamen Capituli monitione.*

11 *Episcopo contra Canonicos hujusmodi procedere negligente, vel non valente, jurisdictio tota devolvitur ad Canonicos Adjunctos.*

12 *Canonici Adjuncti deputati per Capitulum exemptum, tenentur præstare juramentum de bene se gerendo.*

13 *Judex Adjunctus num ordinarius, vel delegatus reputandus sit*, & num.14.

14 *Judex Adjunctus an, & quomodo possit in suspectum allegari.*

DISCEPTATIO XVI.

Quia sunt nonnulla Capitula Cathedralium exempta à jurisdictione Episcopi loci Ordinarii, propter quam exemptionem antiquitus non valebant judicari, & ab ipso corrigi; ac proindè Canonici laxis habenis contra decus status clericalis procedebant: meritò Sancta Tridentina Synodus, volens tam magno malo occurrere, restringendo hanc illorum exemptionem, statuit, ac voluit, posse ab eisdem Epi-
1 scopis, à quoque respectivè in sua Diœcesi, corrigi, ac judicari, tam in actu Sacræ Visitationis, quàm extra visitationem ipsam, hac tamen lege, quod ubi quisque Episcopus voluerit procedere contra aliquem de Capitulo extra visitationem, hoc non valeat agere sine duobus Canonicis adjunctis de Capitulo ipso sumendis, electis à Capitulo initio cujuslibet anni, ut ex *d. Trid. sess.6. cap.4. de Reform.* illis verbis = *Capitula Cathedralium, & aliarum majorum Ecclesiarum, illorumque personæ, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordiis, quæ tantùm suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quo minus à suis Episcopis, & aliis majoribus Prælatis per se ipsos solos, vel quibus sibi videbitur adjunctis, juxta Canonicas sanctiones toties, quoties opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari, etiam auctoritate Apostolica possint, & valeant.*

Quod quidem decretum fuit confirmatum ab ipsa *Tridentin. Synod. sess.25. cap.6.*, & explicatum, & declaratum per hæc verba = *Quod observetur non solùm quando Episcopus visitaverit, sed & toties quoties ex officio, vel ad petitionem alicujus, contra aliquem ex contentis in dicto decreto procedat; ita tamen ut cum extra visitationem processerit, infrascripta omnia locum habeant, videlicèt ut Capitulum initio cujuslibet*
2 *anni eligat ex Capitulo duos, de quorum consilio, & assensu Episcopus, vel ejus Vicarius, tàm in formando processu, quàm in cæteris omnibus actibus usque ad finem Causæ inclusivè coram Notario tamen ipsius Episcopi, & in ejus domo, aut consueto tribunali procedere teneatur, unum autem tantum sit utriusque votum, possitque alter Episcopo accedere* = latè *Barbosa ad Trident. in dictis locis.*

Capitula Cathedralium exempta, juxtà disposita per *Tridentinum in dictis locis*, gaudent hoc privilegio, ne possint Episcopi quisque respectivè in sua Diœcesi contra Canonicos ipsos procedere absque duobus Adjunctis de ipso Capitulo, extra verò ipsam visitatio-
3 nem: etenim Capitula non exempta minimè comprehenduntur sub dicta dispositione Tridentini, etiamsi multis pollerent privilegiis, ac concordiis, ita *Riccius Collect.751. & resol.586. Zerola in praxi Episcoporum verbo Capitulum §.8. Vener. in examine Episcoporum lib.4. cap.27. num.5. Ludovicus à Saravia de Jurisdiction. adjunctorum quæst.12.num.17.*

Dixi: non obstantibus quibuscumque concordiis: etenim ubi Capitulum fue-
4 rit exemptum à Papa, ne subjaceat jurisdictioni Episcopi, non potest se tueri concordiis, statutis, & similibus, nisi intercesserit confirmatio ex certa scientia, ut benè *Rota in recent. part.7. decis.105. n.21.*, ubi Doctores.

Ad-

Adjuncti, de quibus supra, sumendi erunt de Corpore Capituli *ad Tridentinum d. cap.6.* ibi = *eligat ex Capitulo duos &c.* Undè alii non valent
5 eligi, quàm Canonici, qui soli cum Prælato suo faciunt Capitulum, non item Beneficiati, Capellani, & similes, etenim isti inferiores sunt Canonicis, & sunt introducti, non ad faciendum con-
6 sortium cum ipsis Canonicis, sed ad inserviendum: jurant enim obedientiam, & reverentiam, ne dum Episcopo, sed
7 etiam Ecclesiæ, sub qua appellatione continetur Capitulum: *Lotter. de re benefic. lib.1. quæst.25. num.64. & 65. Barbosa de Canonicis cap.28. post numer.3.*

Limita supradictam conclusionem in casu, quo aliter habeatur consuetudine, vel statuto Ecclesiæ, ut Cappellani,
8 Mansionarii, Beneficiati, & similes efficiantur de Capitulo, & gaudeant juribus, & prærogativis, quibus gaudet totum Capitulum, nam tunc possunt eligi in Adjunctos, licet non sint Canonici, & in eis verificatur dispositio Tridentini, *in dictis capitibus* 4., *& 6. Doctores apud dictum Lotterium qu.25. n.66., & quamplurimis sequentibus.*

Isti duo Adjuncti deputandi erunt à Capitulo initio cujuslibet anni, ut habetur ex *Trid. d. cap.6.* ibi = *Capitulum*
9 *initio cujuslibet anni eligat ex Capitulo duos &c.* Hinc ubi Capitulum in principio anni illos duos non elegit, Epi-
10 scopus per se solum procedere valet, dummodo illud prius moneat, ita *Piasec. in praxi Episcop. part.2. cap.2. n.9., Ludovic. à Saravia d. tract. q.13. per totam.*

Et ubi Episcopus, vel nolit, vel nequeat procedere contra Canonicos
11 delinquentes, tota jurisdictio devolvitur ad Adjunctos, ut latè *dictus Ludovicus à Saravia sup. q.5. per totam, Barbosa de Episc. alleg.73. n.9.*

Duo Adjuncti, de quibus supra, cum illi jurisdictionem habeant ad normam *Trid. d. cap.6.* ibi = *de quorum consilio, & assensu Episcopus, vel ejus Vicarius tàm in formando processum, quàm in cæteris omnibus actibus, usque ad finem causæ inclusivè, coram Notario tamen ipsius Episcopi, & in ejus domo, aut consueto Tribunali procedere teneantur.*

Hinc juramentum subire debent, si-
12 cut & alii Judices de bene, & fideliter se habendo, ità *Camill. Borell. in summa dec. tit.60., & n.17. post Gratianum disc. cap.100. numer.49.* tradit, quod ubicunque datur Adjunctus alicui Tribunali, si nominatur à Principe, talis
13 nominatus appellatur Judex Delegatus, si à lege, vocatur Judex Ordinarius: undè videtur, posse hujusmodi
14 Adjunctos recusari à parte tantùm solo juramento: *Gratian. d. n.49. Ludovicus à Saravia supra quæst.9. per totam.*

Non solùm Episcopus, sed etiam suus Vicarius Generalis procedere po-
15 test contra Capitulares, adhibitis duobus de Capitulo, juxta dispositionem *Trid. d. cap.6.* ibi = *Vel ejus Vicarius* = *Menoch. consil.52. n.180. Sbrozius de offic. Vicarii lib.2. quæst.145. Rota dec. 743. num.5. parte 1. diversorum, Ludovicus à Saravia supra quæst.14. per totam.*

Idem potest Vicarius Sede Vacante; sed absque Adjunctis procedere non va-
16 lebit, si Episcopus, dum vivebat, non habebat auctoritatem procedendi sine illis, ex quo jam erant electi à Capitulo: *Sbrozius in additione ad dictam quæstionem 145. Ludovic. à Saravia sup. qu.17. n.35.*

Ex *Tridentini* dispositione *d. cap.6.* habetur, unum esse votum utriusque
17 Adjuncti, licèt possit alter Episcopo accedere; hinc nota *cum eodem Tridentino d. cap.6.* quod si ambo Adjuncti fuerint discordes ab Episcopo in aliquo actu, seu interlocutoria, vel diffinitiva sententia, tunc intra sex dies debent eligere tertium, & si in electione tertii etiam discordent, electio tunc devolvitur ad Episcopum viciniorem, & juxta eam partem, cum qua tertius
18 conveniet, articulus in quo erat discordia, terminandus erit; aliàs processus, & inde sequuta, nulla sint, nullosque producant juris effectus.

In quampluribus verò potest Episcopus procedere sine Adjunctis, videlicet ubi agitur de visitando corpore Eccle-
siæ

siæ Cathedralis, ac SS. Sacramentum,
19 necnon SS. Reliquias, vestes, ornamenta, ceteraque ad cultum divinum destinata; ita *Barbosa de Episcopis alleg.73. n.15.*

Item, ubi agitur de correctione morum, dummodo eos non puniat pœna ordinaria, sed eâ tantùm pœnâ, quæ
20 potiùs respicit emendationem, quàm punitionem, *Garz. de benefic. part.3. cap.2. n.198.*

Item ubi Canonici omnes de Capitulo non observant diem festum, ab eo-
21 dem Episcopo indictum, *Sacra Congreg. Conc. in una Hispalen.7. Septembris* 1630.

Item, ubi totum Capitulum deliquit, *Barbosa de Canonicis cap.28. n.23. Lotter. sup. d.cap.25.n.62. Ludovic.a Saravia supra qu.6. per totam.*

ARGUMENTUM.

Canonicorum, seu Dignitatum Facultas, circa Electionem Canonicam eorum Superioris, & Prælati, per ipsos habendam; ubi quæ ad materiam Canonicæ Electionis.

SUMMARIUM.

1 *Canonica electio quænam dicatur.*
2 *Electio tribus modis Canonicè fit, nimirum per inspirationem, per scrutinium, & per compromissum, &* num.4.
5 *Capitulis quibusdam indultum est, ut Ecclesia suo viduata Pastore, ad Canonicam electionem alterius procedant.*
Praxis autem servanda circa hujusmodi electiones recensetur, nu.8. cum seqq.
6 *Ecclesias omnes de suo Pastore consuevit providere solus Romanus Pontifex; quamvis hodie quarundam Ecclesiarum provisio sequatur per electionem, &* n.7.
8 *Electionis Canonicæ requisita expenduntur, &* n.9. cum seqq.
20 *Excomunicati excomunicatione majori nequeunt dare suffragium in electionibus, &* num.11. cum seqq.
22 *Nec suspensus, sive interdictus.*
25 *Tempus Canonicis præfinitum pro novi Pastoris electione recensetur.*
27 *Canonicè electus dicitur is, in quem majora concurrunt suffragia.*
28 *Quod major pars Capituli facit, omnes fecisse videntur.*
29 *Circa electiones Dignitatum post Pontificalem idem juris servari debet, quod in primæ Pontificalis Dignitatis electione statutum est.*

DISCEPTATIO XVII.

Quanta sit potestas, & facultas Canonicorum, ac Dignitatum de Capitulo circa Jus eligendi eorum Superiorem, puta Prælatum, ubi ita de consuetudine servatur, aut Vicarium, qui dicitur Capituli, in casu Sedis vacantis, hic per nos demonstratur; quamvis latè de materia Canonicæ electionis *nos infra lib.19.*

Et quo ad primum: Canonica electio, quid sit, demonstrabimus. Canonica autem electio ita definitur: *Ut sit alicujus personæ ad Dignitatem, vel*
1 *fraternam societatem, servata forma, Canonicè facta vocatio*: ita *Hostiensis in summa Verb. electio, &* Doctores passim.

Ista electio tribus modis fieri potest videlicet per Inspirationem, ut cum electores nullo præcedente tractatu,
2 quasi divini spiritus impulsu simul omnes in unum conveniunt, & eligunt. Per scrutinium fieri dicitur electio, cum præsentibus omnibus, qui jus ha-
3 bent ad dandum votum in Capitulo, aliquem eligunt.

Per compromissum, cùm potestas
4 eligendi certo modo uni, vel pluribus viris idoneis sive de Capitulo, sive extra Capitulum, ab omnibus, qui jus eligendi habent, committitur: *ad text. in cap. Causam de elect.*

His positis, sequitur, ut videamus, quanta sit potestas Capituli in electione sui Prælati. Capitulum istud (ubi non habet locum Regula Cancellariæ de Reservationibus beneficiorum, ut in pluribus Ecclesiis Cathedralibus Germaniæ, & aliorum Regnorum) tunc, vidua-

viduatâ Ecclesiâ suo Pastore, Capitu-
5 lum inquam devenire potest ad electionem novi Pastoris, servato ordine antiqui juris: *ad Textum in cap. Congregatio 16. qu. ultima, Fagn. in cap. nullus de elect. n.4.*

Et hoc ex permissione Papæ; nam olim provisio Episcopatuum ad Roma-
6 num Pontificem tantùm spectabat: *ad Text. in cap. 1. 22. dist. cap. 2. de praebendis in 6. Fagn. sup. n. 2.*

Dixi, ubi non obstant Regulæ Cancellariæ de Reservationibus; etenim hodie potestas ista, quæ residebat in
7 Capitulis, videtur quodammodo exhausta, attentis Reservationibus, ac Nominationibus, ut paucæ sint Cathedrales Ecclesiæ, quæ provideantur per electionem faciendam à Canonicis de ipso Collegio, seu Capitulo Cathedralis.

Posito quod Capitulum ipsum Canonicorum habeat Jus eligendi Pastorem, hoc casu omnes convenire debent in au-
8 la Capitulari, ac priùs peractis Deo precibus debent ad electionem ipsam devenire, vocatis omnibus, qui jus præstandi votum habent, etiam absentibus, *ad Text. in cap. quia propter de Elect.*

Absentes vocandi erunt per literas, vel Nuncium. Præsentes verò in loco
9 per signa solita, *ad Text. in d. cap. quia propter.*

Ista absentium citatio facienda est singulariter, & personaliter, si sciatur
10 ubi degant, & commodè, ac sine periculo fieri possit, *cap. cum olim, & cap. venerabilis de dolo, & contumacia, Sigismundus a Bononia de Elect. dub. 9. num. 4.*

Si verò non constet ubi commorentur, tunc citatio illorum facienda erit
11 per edictum publicum in Ecclesia, vel ubi soliti sunt commorari, vel legi debent literæ citatoriæ Capituli, præsente Capitulo, & Clero, *ad Text. in cap. fin. de eo qui mittitur in possessionem, Sigismundus à Bononia supra. Cuchus de Elect. lib. 4. n. 58. Rota Recent. part. 18. dec. 5. n. 8.*

Quoties verò vocati fuerint, si infra assignatum terminum competentem
12 non venerint, non sunt de cætero expectandi, *ad Text. in cap. cum inter de Elect. Lavor. tit. 4. cap. 17. n. 25.*

Undè eis non accedentibus tempore congruo, nec procuratorem mittentibus, Canonici præsentes devenire possunt ad actum electionis, dummodo non sint plures absentes, quàm præsen-
13 tes, vel notabilem Collegii partem constituerent, quia tunc præsentes debent expectare absentes vocatos, saltem usque ad finem termini dati ad eligendum, *Barbosa de Canonicis, & dignitat. cap. 39. n. 8. Rota Rec. part. 17. dec. 350. num. 6.*

Similiter erunt expectandi, etiam elapso tempore, quamvis pauciores sint,
14 ubi citra periculum, & incommodum expectari possunt, & aliqua causa necessaria, & probabili detinentur, & Superior Capituli pro certo haberet, electores non longè abesse, *Abbas in dicto cap. cum nobis n. 9. de Elect. Sigismundus à Bononia de Elect. dub. 13. n. 7. Rota Recent. part. 17. dec. 350. n. 5., & part. 18. dec. 5. n. 6. & 7.*

Si verò Canonici absentes justo impedimento detenti fuerint, tunc unum,
15 vel plures Procuratores constituere valent, cum generali mandato, ut per se votum in electione præstent, ad normam *Textus in cap. si quis de Elect. in 6., cap. quia propter. §. illud, ubi Fagn. n. 5. de Elect.*

Ubi autem plures fuerint constituti ab uno Canonico, ille ex multis erit
16 admittendus, qui primò præsentavit mandatum Procuræ: *ad Textum in dicto cap. si quis.*

Procurator verò ille constitui debet,
17 qui sit de gremio Capituli, *ad Textum in d. cap. quia propter, ubi Fagn. n. 62.*

Ad hoc ut votum Canonici absentis, per Procuratorem præstiti, sustineri possit, quamplura essentialia requiruntur; *primò* ut constituens sit in loco un-
18 dè advocari possit; *Secundò* quod sit detentus legitimo impedimento; *tertiò* quod Procurator habeat liberam facultatem; *quartò* quod ei concessa sit facultas jurandi super asserto impedimento sui Principalis, *ad Textum in d. cap. quia propter §. illud, Rota rec. part. 14. dec. 314. n. 6., & 7. &c. & part. 19. dec. 141. n. 10. &c. & nos infra lib. 19.*

Di-

Discept.1.ubi latè de hac materia differemus.

Capitulares, licet fuerint plures,
19 omnes præstare debent eorum votum, nisi aliquo Canonico impedimento veniant excludendi, aut aliâ causâ eorum suffragium præstare non valeant: unde excommunicati excommunicatione ma-
20 jori, privantur jure eligendi, cum sint uti membrum abscissum ab Ecclesia: *ad Text. in cap. constitutus de appell. cap. fin. de Clerico excom. Passerin. de Elect. c.*10. *nu*.64. *Lotter. de re benefic. lib*.2. *qu*.19.*n*.14.

Intellige de excommunicato notorio, seu non tolerato ab Ecclesia, vel de pu-
21 blico Clerici percussore, *Alter.de Censf. tom*.1. *lib*.2. *disp*.5. *cap*.2.

Quod idem dicendum videtur de suspenso, vel Interdicto, *ut nos latè d. lib*.19. *infra Discept*.2., ubi de quam-
22 pluribus causis, ex quibus habetur, Electores non posse præstare eorum votum in Electione canonicè habenda.

Ipsi Canonici in electione habenda, ut canonicè dicatur facta, debent eam facere Collegialiter, ac in aula Capitu-
23 lari, vel loco solito, ad hunc effectum, vel similem destinato: *Fagn.in cap.quia propter n*.69. *de Elect. & ad textum in cap. cum ex injuncto n*.19.*de novi operis nunciat. Rota in una Leodien. Monasterii* 4. *Maii* 1699. *coram Ansaldo vers. attamen,Card.de Luca de Regular.Disc*. 53.*n*.12.

Undè, nulla existente causâ justâ aliter faciendi, non est facienda extra locum, de quo supra, quod secùs datâ le-
24 gitimâ causâ:*ad Textum in cap.sicut de Elect.* ibi = *Præsertim, cum juxta constitutiones Canonicas, si fieri potest, in Cathedrali Ecclesia electio debeat celebrari*,nota verba *si fieri potest* = *Donat. qu. Regul. tract*.2. *qu*.1. *n*.2. *Fagn. in cap.cum ex injuncto n*.21.*&* 22.*de Elect. Rota in d. Leodien. Monasterii vers. & nihilominus*. *Nos latè d. lib*.19. *Disc*.4. ibi vide.

Circa tempus, quo Canonici devenire debeant ad electionem, non nulla sunt adnotanda. Et dicimus, eam non
25 esse faciendam, adhuc Prælato vivente, sed eo tradito Ecclesiasticæ sepulturæ, posito quod Ecclesia vacaverit per mortem illius: *ad Textum in cap. Bonæ de Elect. Passarin. de elect. c*.13.*n*.2.

Hinc attentâ dispositione *Textus in cap. ne pro defectu de Electione*, Electores, legitimo impedimento cessante, tam in Cathedralibus, quàm in Regularibus Ecclesiis,intra tres menses debent
26 eligere eorum Prælatum, quibus elapsis jus eligendi devoluitur ad Superiorem, *Lavor. var. c*.18. *n*.12.,*&* 24. *Rota in una Leodien. Monasterii* 4. *Julii* 1698. *coram Ansaldo vers. quamvis Antonell. de tempore legali lib*.3. *cap*.1. *n*.26. *Passerinus sup. cap*.13. *n*.19. & nos infra *lib*. 19.*disc*.4.

Facto scrutinio inter ipsos de Capitulo, de persona eligenda, ut in *principio hujus nostræ Disceptationis* diximus, ille erit assumendus ad Pastorale munus, erga quem concurrit major
27 pars suffragiorum, *ad Textum in cap. quia propter de Elect. Rota in quampluribus penes Barbosam de Canonic.& Dignitat.c*.38.*n*.3..& nos latius *lib*.19.ubi *de Electione Canonica*, *Trid. sess*.25. *de Regul. c*.6.

Etenim quod major pars Capituli fa-
28 cit,à toto Capitulo intelligitur factum, *ad Text. in c*.1. *de his, quæ fiunt à majori parte Capituli*.

Quidquid diximus de facultate Capituli circa Electionem faciendam de novo Pastore, ubi Ecclesia eo viduata fuerit, idem pariter dicendum erit, ubicumque agitur de Electione ad Di-
29 gnitatem,vel Canonicatum, cujus provisio spectet ad totum Capitulum, quo casu servanda est dispositio jurium, de quibus supra, ut ex *quampluribus decisionibus S. Rot*.penes *Barbosam d.c*.38. *num*.3.

De materia hac electionis si plura cu-
30 pis, o amice Lector, vide quæ per nos infra dicentur *Libro* 19. ubi de Electione canonica.

AR-

ARGUMENTUM.

De Canonicis Regularibus cujuscumque Ordinis, & Instituti illi fuerint, remissivè ad materiam. De Canonissis in Cathedralibus Ecclesiis, ubi, an dicantur habere Beneficia, ostenditur.

SUMMARIUM.

1 *Canonicorum Regularium plures species referuntur.*

2 *Canonici Regulares portiones habent sibi assignatas quoad simplicem administrationem; non verò quoad dominium.*

3 *Canonici Regulares Lateranenses cur Divi Augustini dicti sint, & quibus fruantur indultis*, & n.6.

4 *Canonici Regulares Lateranenses in Hispaniis veri Regulares existunt, cum emittant tria essentialia vota.*

5 *Canonici Regulares capaces sunt Beneficiorum sæcularium cum animarum Cura.*

7 *Canonissæ quænam sint, & quot species earumdem*, & n.13.

8 *Canonissæ exire valent è Monasterio, seseque matrimonio carnali conjungere*, & n.9.

10 *Canonissæ subsunt obedientiæ Superiorissæ.*

11 *Canonissæ hujusmodi, speciei oblatarum propiùs accedunt.*

12 *Canonissæ obtinere solent Præbendas Canonicales per viam electionis, vel collationis.*

DISCEPTATIO XVIII.

Remanet pro complemento hujus primæ partis de Canonicis, ut aliquid quasi per transennam dicamus de Canonicis Regularibus, cujuscumque ordinis, & instituti illi fuerint, ac pariter de Canonissis mulieribus, de quibus passim in Germanico solo in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis.

Et quoad primum: breviter, ac remissivè dicimus, Canonicorum Regularium quamplures esse ordines, (*ut nos sub titulo de Regularibus discept. 29. lib.9.*) inter quos primum locum obtinent Canonici Regulares Lateranenses. Canonici ipsi Regulares, inter
1 cœtera privilegia, quibus fruuntur, possunt obtinere Beneficia, cum animarum Cura, ac illa cum dispensatione retinere (licet secùs quoad Canonicatus in Cathedrali) ita ex *S. Rota coram Celso dec.161. n.17. cum duobus sequentibus*, ubi Doctores.

Habentes Portiones eisdem assignatas, illas retinere valent quo ad administrationem, secùs verò quoad dominium: unde meritò, sicuti cœteri Re-
2 gulares, quidquid acquirunt, non sibi ipsis acquirunt, sed Monasterio, *Rota coram Dunoz. Jun. dec.206. nu.6.* ubi alii Doctores.

Canonici Regulares Lateranenses, qui dicuntur S. Augustini, ex quo D.
3 Augustinus eisdem regulam dedit, in Hispania sunt veri Regulares, ex quo emittunt tria vota essentialia, scilicet
4 Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis: *Rota coram Coccino dec.1913. à n.28. ad 33., & in d. dec.206. n.2. coram Dunoz. jun.*

Ipsi Canonici Regulares, ut diximus, possunt obtinere Beneficia Curata sed cum dispensatione Apostolica, quod eo magis locum habere videtur quoad beneficia simplicia, quæ obtinere non
5 valent, nisi prævia dispensatione Papæ, *Rota rec. part.19. dec.619. n.11. & 12.*

Possunt ipsi Canonici Regulares de licentia Superioris habere bona quoad usumfructum tantum, & de fructibus ipsis disponere inter vivos, non autem
6 per viam ultimæ voluntatis, *Rota coram Cavalerio dec.606. n.6., cum duobus sequentibus*, ubi DD.

Quoad secundum: sequitur ut aliquid dicamus de Canonissis. Canonissæ dantur in Cathedralibus Ecclesiis sæpè in Germania, ubi assistentiam præbent in Choro unà simul cum Canonicis: Ipsæ
7 autem in quampluribus non veniunt sub nomine Clericorum, uti in odiosis, quod secùs in favorabilibus, ut benè *Rota coram Buratto dec.840. nu.3.* ubi Doctores.

Illæ valent exire de Monasterio, ac
8 etiam matrimonium contrahere, *Rota dicta decis.840. num.1., & decis.821. num.3.*

Ea ratione matrimonium contrahere
9 valent, ex quo non emittunt votum aliquod, nec professionem, *Rota dicta dec.840. n.1.*

Dum existunt in Monasterio, subsunt obedientiæ Abbatissæ, eique reveren-
10 tiam prestare tenentur, ac illius salubria mandata observare debent, *Rota d. dec.821. n.3. & 840. n.5.*

Hinc quia vota non emittunt, nec solemnem professionem faciunt, videntur
11 quodammodo uti Oblatæ, pro tempore, quo remanent tales, *Rota dicta dec.840. n.6.*

Obtinere quoque valent Præbendas ita merè temporales, ut sint expertes
12 cujusvis spiritualitatis, & per consequens simoniæ, *Rota coram Buratto dec. 827. i.annot. n.9.*

Dixi, hujusmodi Canonissas posse obtinere Canonicatum, & Dignitatem per viam electionis, & collationis factæ à Papa in Cathedralibus Ecclesiis, in quibus promiscuè adsunt Ca-
13 nonici, & Canonissæ, hoc patet ex *quampluribus decisionibus S.R.*, signanter *rec.par.18.dec.796.par.19.dec.141. & 196.* ubi de Electione Philippinæ Ernestinæ in Diaconissam Capituli Thoren. Diœcesis Leodien., ubi de validitate electionis factæ illius favore.

ARGUMENTUM.

De Dignitatibus tam Cathedralis, quàm Collegiatæ Ecclesiæ.

SUMMARIUM.

1 *Dignitates Archidiaconatus, atque Archipresbyteratus, in corpore juris designantur tamquam officia.*

2 *Dignitates, quatenus Canonicalem Prębendam annexam habeant, dicuntur de corpore Capituli.*

3 *Prima Dignitas non in omnibus Cathedralibus est Archidiaconatus, sed quandoque Decanatus, vel aliàs juxta locorum consuetudines, quæ servandæ sunt, ut* num.4. & 6. cum seqq.

5 *Disposita de Archidiacono uti Prima Dignitate, servari debent respectu aliarum Dignitatum, quæ principem tenent locum juxta consuetudines Ecclesiarum.*

10 *Officia Ecclesiastica exerceri debent juxta singulorum locorum consuetudines legitimè præscriptas.*

Exordium ad materiam de Dignitatibus.

Non mireris, amice lector, si post materiam de Canonicis, non nulla adnectam, quæ respiciunt materiam Dignitatum, cum videantur primum locum habere: Etenim Canonici sunt Digniores illis, ex quo repræsentant corpus misticum ipsius Ecclesiæ una simul cum Episcopo, ipsi tamquam membra, Episcopus uti caput; Dignitates verò, ut apud sacros Canones, tantùm dicuntur habere officium, & non gradum in
1 Capitulo, uti habetur de Officio Archidiaconi, de Officio Archipresbyteri, & similium.

Dicuntur tamen de gremio Capituli, quotiescumque eorum Dignitati habent
2 annexam Præbendam Canonicalem, stallum in Choro, & vocem in Capitulo, uti in nostra Cathedrali Hieracen., & alibi passim, juxta statuta cujusque Cathedralis respectivè.

Circa ipsas Dignitates quamplura sunt adnotanda, etenim non in omnibus Cathedralibus Archidiaconatus est
3 prima Dignitas, & Archipresbyteratus secunda; nam in nonnullis prima Dignitas est Decanatus, & in aliqua forsan
4 Cantoratus; unde standum videtur consuetudini, & usui introducto cujusque Ecclesiæ Cathedralis; hoc unum est, quod, ubicumque Decanus, vel similis fuerit prima Dignitas, ipsi com-
5 petunt omnia ea, quæ de jure competunt Archidiacono, qui de jure est Prima Dignitas, & quod dicitur in jure de Archidiacono, & officio ejus, compe-
6 tit Primæ Dignitati quocumque nomine vocetur. Et ita de Prima Dignitate in Collegiata Ecclesia, ut ille dicatur Prima Dignitas, qui primum locum obtinet,

tinet, five habeat nomen Archipresbyteri, five Præpofiti, & fimilium.

Undè dicere poffumus, cum *Raymundo* relato à *Silveftro V. Archidiaconus in principio*, tot effe officia Ar-
7 chidiaconatus, Præpofiti, Decani, & fimilium, quot funt Ecclefiæ.

Undè in officio fuo fe geret quifque,
8 fecundum quod habet Ecclefiæ fuæ confuetudo præfcripta, qua ceffante fer-
9 vandum erit, quod difpofitum habemus per facros Canones.

Etenim, uti dicit *Innoc. in cap.*1. *de offic. Archidiac.*, Conftitutiones, &
10 confuetudines per diverfa loca, prævalent in Officiis, *Cap. cum olim de confuetudin. Fagn. in cap. ad hæc n.*14., *&* 15. *de offic. Archidiaconi*.

ARGUMENTUM.

De Archidiacono, illo confiderato uti Prima Dignitate, illiufque Officio Poteftate, & Dignitate. Dignitas Archidiaconatus, ubi in Cathedrali non fuit Inftituta, an poffit erigi ab Epifcopo cum confenfu Capituli.

SUMMARIUM.

1 *Archidiaconus undè fumpferit nomen, & quænam fuerit ipfius Inftitutio.*

2 *Archidiaconus dicitur Vicarius natus Epifcopi, atque eft Prima Dignitas poft Pontificalem, &* n.3.

4 *Archidiaconus, quemadmodum Archipresbyter conftituti funt in adjutorium Epifcopi, &* n.5. cum feqq.

7 *Archidiaconalis, atque Archipresbyteralis Dignitates, altera alterâ diverfo refpectu quandoque major exiftit.*

8 *Utraque tamen Dignitas diftinctum habet Officium.*

9 *Archidiaconi qualis fit poteftas, quale munus.*

10 *Archidiaconi antiqua poteftas, quæ maxima fuit, hodie ferè extincta reperitur.*

11 *Ad primam Capituli Dignitatem affumi debet qui Magifter, Doctor, aut licentiatus fit in Theologia, vel Jure Canonico, feu infra annum gradus hujufmodi confequi valeat, &* n.12. cum feqq.

14 *Archidiaconus, qui de confuetudine Prima Dignitas non exiftit, ritè promotus erit, quamvis Doctor non fit, atque etiamfi qualitas hujufmodi in provifione Apoftolica reperiatur conditionaliter expreffa.*

15 *Primæ Dignitatis Officium, quocumque illa nomine nuncupetur, circa quænam verfetur, &* n.16. ac feqq.

18 *Primà Dignitas in fui locum nequit alium fubrogare, fed ipfo jure fuccedit fecunda Dignitas, & fic deinceps.*

25 *Ad Curata Beneficia Promovendos, jure noviffimo, eatenus examinare poterit Archidiaconus, quatenus fuerit Examinator Synodalis.*

26 *Archidiaconus num culpâ careat, dum pro idoneo exhibet Epifcopo ordinanti eum, quem non examinaverit.*

27 *Archidiacono non licet paramenta fumere de Altari, vel prope illud.*

32 *Epifcopo accedenti ad aliquam particularem Ecclefiam, quinam afperforium porrigere debeat.*

34 *Archidiaconalem Dignitatem an poffit Epifcopus erigere.*

DISCEPTATIO XIX.

De Archidiacono, uti prima Dignitate nobis acturis in hac præfenti Difceptatione, primò videre eft, unde procedat hujufmodi nomen. Archidiaconus idem fonat ac Princeps, &
1 Caput Diaconorum, & fic Princeps minifterii; *D. Thomas in* 4.*Sent. dift.*25. *cap.*1. *ad* 4. *Fagn. in cap. ad hæc n.*7. *de offic. Archid.*

Archidiaconus enim dicitur major
2 poft Epifcopum, & ejus Vicarius natus,
3 ad literam *Text. in cap. ad hæc de offic. Archidiac.*: undè ipfe, ut dixi, poft Epifcopum, primum locum obtinet, latè *Fagn. in d. cap. ad hæc n.*9. 16., *&* 32. *Rota in rec. part.*14. *dec.*189. *n.*17. *Card. de Luca de Canonic. & Capit. Difc.*30.*n.*7.

Tam Archidiaconus verò, quàm Ar-

4 chipresbyter dati sunt in solatium Episcopi: Etenim Episcopus cum multiplici cura variisque oneribus, ac solici-
5 tudinibus præmatur, ad eum laboribus, aliisque in parte sublevandum, sacri Canones, duos ipsi Vicarios, Archidiaconum scilicet, & Archipresbyterum constituerunt, ut inter eos (quamvis
6 ipse idoneus esset) sua onera partirentur, ad *Text. in cap.*1. *cap. ad hæc hoc titulo*, juncto *cap.*1. *de offic. Archipresbyt.*, *utrobique Canonistæ communiter*.

Hæ duæ Dignitates habent se tamquam excedentia, & excessa; altera enim aliquibus respectibus est minor, &
7 aliquibus est major alterâ; *Joannes Andr. in d. cap.*1. *de offic. Archipres.* Archidiaconus quidem major Archipresbytero administratione; Archipresbyter verò est major ordine, *Fagnan. supr. num.*5.

Utriusque Dignitatis distincta sunt
8 munia, & officia; ac proinde sub speciali titulo sunt comprehensa, altera sub *titulo de Officio Archidiaconi*, altera verò sub *tit. de offic. Archipresb.*

Sequitur ut videamus, quæ sit Ar-
9 chidiaconi potestas, & jurisdictio. Et in complexu dicimus, spectatâ dispositione juris communis, illius esse munus Diœcesim visitandi, jurgia audiendi, & alia mandandi, ac faciendi, quæ habentur in *Textu in d. cap.*1. *cap. ad hæc hoc titulo*, ubi *Butrius*, *Abbas*, *Fagn. & alii*, late *Silvester V. Archidiaconus*.

Potestas, & facultas Archidiaconorum, juxta dispositionē Juris Communis
10 maxima erat; attamen hodiè quasi in totum est extincta, ac proinde dico cum *Barbosa de Jure Ecclesiastico, ubi de Archidiaconis*, ferè adsunt duo in mundo, qui antiquo nitore & jurisdictione præfulgeant, late *Fagn. in d. cap. ad hæc per totum*.

Prima igitur Dignitas Capituli, quocumque nomine vocetur, sive Archidiaconi, sive Decani, Cantoris, aut similium, ille debet eligi, qui sit Magister, seu Doctor, vel saltem licentia-
11 tus in Sacra Theologia, vel jure Canonico, per *Trident. sess.*24. *cap.*12. *de Reform. Campanil. diversf. jur. rub.*7. *cap.*6. *n.*41. *Ricc. dec.*248. *n.*4. *Barbosa de potest. Episc. alleg.*60. *n.*6.

Ac propterea de stylo Datariæ inhęrendo dispositioni *Tridentini d. cap.*12.,
12 in literis Apostolicis exprimitur, quod sit Doctor promovendus ipse, vel quod infra annum orator promoveatur ad lauream doctoralem.

Undè Prima Dignitas semper opus est quod sit Doctor, vel saltem quod do-
13 ctoretur infra annum, sive habeat nomen Archidiaconi, sive Decani, vel simile, ita *Garz. de benefic. part.*7. *c.*7. *n.*41. *Rota coram Coccino decis.*1902. *n.*26. *Sacra Congr. Conc. in una Sabinen.* 20. *Junii* 1696.

Hinc si Archidiaconus, quamvis pri-
14 ma Dignitas de jure, non fuerit talis attenta consuetudine, & ordine Cathedralis Ecclesiæ; licet in literis Apostolicis ad sui favorem expeditis apposita fuerit hujusmodi Clausula dummodo *Orator sit Doctor, vel quod infra annum doctoretur*, hoc non officit, *Sacra Congreg. Concil. in una Ravellen.* 11. *Januarii* 1697.

Prima Dignitas, sive Archidiaconus, sive Decanus ille fuerit aut similis, ubicumque Episcopus Pontificaliter celebrat, tenetur eidem assistere cum Cappa, & officium assistentis exercere, juxta formam præscriptam in Cęremoniali
15 Episcoporum, dummodo tamen fuerit Sacerdos, *Barbosa de Canonic.*, *& Dignitat. cap.*5. *n.*18. *Sacra Cong. Rituum in una Pisauren.* 10. *Junii* 1600. *Brixien.*28. *Maii* 1616. & alibi.

Pariter prima Dignitas Capituli, ubi fuerit Sacerdos, absente, vel impedito Episcopo, præfertur Archipre-
16 sbytero, ac cœteris aliis de Capitulo in functionibus Ecclesiasticis peragendis, quas deberet facere Episcopus; ita *Barbosa de Jure Eccles. lib.*1. *cap.*28. *n.*81. *Card. de Luca de Præeminent. disc.*20. *num.*11., *idem de Canonic.*, *& Capit. disc.*30. *n.*1.

Ipse Archidiaconus, sive Prima Dignitas de Capitulo, ubicumque voluerit solemnes functiones peragere, debet
17 pariter Missam canere, aliàs jus eidem competens devolvitur ad secundam Dignitatem, servata pariter eadem conditione, *Barbosa d. cap.*21. *n.*100. *Sacra Con-*

Congr. Rituum in una Tirasonen. 1. *Martii* 1614.

Quoties verò non potuerit officium sibi debitum peragere uti prima Dignitas, alium Canonicum, vel Dignitatem
18 non valet substituere; sed in eo munere succedit secunda Dignitas, vel alter deCapitulo proximior illi,& sic de gradu in gradum,*Barbosa d. cap.5. n.47.de Canonic.,& Dignitat. Panimolla dec.1. annot.6. n.44. Sacra Congreg. Rituum in una Ambrien.* 4. *Aprilis* 1615., & 22. *Januarii* 1618.

Sed quia Archidiaconus, & sic Prima Dignitas dicitur primus post Episcopum, ità ut aliis videatur superior, ad normam *Textus in d. cap. ad hæc de offic. Archidiac.*

Inde fit, ad ipsum spectare in prin-
19 cipio Matutini,accœterarumHorarum Divinarum, intimare *Pater Noster &c.* quo dicto, ad eumdem spectat, & sic ad Primam Dignitatem dare signum,ut
20 inchoetur Officium, videlicet *Domine labia mea aperies &c.* & ita in cœteris aliisCanonicisHoris,& in fine Matutini,
21 ac cœterarum Horarum dicere, *Dominus det nobis suam pacem &c.* & antequam ab eodem detur signum, nemo
22 debet de Choro, etiam finito officio, exire, nisi petita veniâ: *Sacra Congr. Episcop.& Regul. in una Theatina* 11. *Aprilis* 1617.

Ad Archidiaconum,& sic ad Primam Dignitatem spectat examinare promovendos ad Sacros Ordines, eosque approbatos offerre Episcopo ordinanti, nomine Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad
23 *Text. in d. cap.ad hæc* ibi: *examinatis Clericorum, si fuerint ad Sacros ordines promovendi*: *Fagnan. ibi n.25. Barbosa de potest. Episc. alleg.10. n.21. Campanil. diversf. Juris rub.3. nu.15. Marcell. Vulpe in praxi fori Eccles. cap.34. num.20.*

Imò juxtà disposita per *Innoc.III.in d. cap. ad hæc*,potest Archidiaconus uti
24 Prima Dignitas examinare Clericos providendos de Beneficio, & quatenus illos reperierit idoneos, præsentare Episcopo, ubi *Canonistæ cum Fagnan. num.25.*

At hujusmodi facultas de Jure impertita per Papam *in d. cap. ad hæc*, videtur eidem sublata quoad Ecclesias Parochiales providendas, ut ex *Trid. sess.24. cap.18.*ex quo habetur, quo ad Ecclesias Parochiales, hoc munus de-
25 mandatum esse Examinatoribus electis in Synodo, unde neque valet intervenire cum examinatoribus, ubi non fuerit examinator deputatus in Synodo, ut *ex Sacra Congr.* resolutum docet *Fagn. sup. n.25.*

Diximus supra: ad Archidiaconum, uti primam Dignitatem, quoque spectare posse examinare ordinandos: hic oritur dubitatio, an ipse Archidiaconus sit immunis à peccato, quoties interrogatus ab Episcopo ordinante, an sciat, ordinandos esse dignos, respondeat, scio, & testor, esse dignos, ad *Text.*
26 *in cap. unico de scrutinio in ordine faciendo*, licèt ipse illos non examinaverit, dummodo contra conscientiam non testificetur: & affirmativè respondendum videtur: ratio ea est, quia ubi non novit aliquem esse indignum, dignum existimare debet, ita *Marcellus Vulpe sup. cap.8. n.35. Barbosa de Episc.alleg.10. n.21.*

Quamvis Archidiaconus, & sic uti Prima Dignitas consideratus, maximâ præfulgeat Dignitate, & Potestate, non ex hoc ei licet paramenta sumere de Altari, vel prope altare, sed eisdem
27 induere se debet in Sacristia, ut cœteri de Capitulo, & Clero, *Sacra Cong. Rituum in una Cremonen.7. Julii* 1611., & *in Spoletana* 20. *Septembris* 1681.

Sede vacante ubi electus fuerit Vicarius Capitularis, tenetur Archidiaco-
28 nus acceptare officium Procuratoris Capituli pro exigendis redditibus mensæ Capitularis, nec non tenetur assiste-
29 re negotiis ejusdem Capituli, sicuti faciunt cœteri de Capitulo, *Pignatell. consult. Canonic. tom.1.consf.374. Sacra Congr. Conc. in una Consalen.26. Martii* 1653.

Demum scias, ad Archidiaconum, uti PrimamDignitatem competere palmam, & candelam benedictam porrigere Episcopo celebranti, posito quod
30 ipse Archidiaconus officium Presbyteri assistentis exerceat, *S. C. Rituum in una Brixien.28. Maii* 1616.

Asper-

Aspersorium cum aqua benedicta, ac Crucem tenetur porrigere Episcopo venienti ad Ecclesiam, & hoc in janua
31 Ecclesiæ peragere tenetur, *Sac. Congr. Rituum in una Brundusina 6. Jul. 1605.*

Sed non videtur hoc habere locum, Episcopo accedente ad aliquam Ecclesiam particularem; nam tunc dignior
32 de illa, uti Parochus, aut similis, potest hoc agere privativè quoad alios de Capitulo, *Sacra Congreg. Rituum in una Calaguritana 1. Junii 1601. Barbosa de Jure Eccles. cap. 21. n. 105.*

Episcopo celebrante, Archidiaconus, & sic prima Dignitas Cathedralis sedere debet à dextris ipsius Episcopi,
33 etiam in Ecclesia Collegiata celebrantis, prout in Cathedrali Ecclesia sedere consuevit, *Sacra Congreg. Rituum in una Thelesina 2. Martii 1602. Barbosa sup. n. 107.*

Quasi per transennam, breviter est videndum, an, ubicumque in aliqua Cathedrali Ecclesia non sit erecta Dignitas ista Archidiaconatus, possit erigi
34 ab Episcopo, cum consensu Capituli, etiam nullo obtento Apostolico beneplacito? & certe quod sic, ea ratione, quia Dignitates, quæ pro Ecclesia universali sunt institutæ, qualis est Archidiaconatus, possunt ab Episcopo erigi, etiam inconsulta S. Sede, quod secùs de nova Dignitate erigenda, ut bene *Rota recent. part. 15. dec. 7. n. 6. & per totam*, ubi latè, *& par. 17. dec. 195. n. 12.*

ARGUMENTUM.

De Archipresbytero uti secunda Dignitate Ecclesiæ, ubi de illius officio auctoritate, & jurisdictione, & quatenus dicatur de gremio Capituli, & Canonicorum, ubi breviter de Archipresbytero foraneo, & rurali, an dicatur Dignitas?

SUMMARIUM.

1 *Archipresbyter de jure constitutus est secunda Ecclesiæ dignitas.*
2 *Archipresbyteri munus expenditur*, & num. 3. cum seq.
18 *Archipresbyteri jurisdictio valdè imminuta est, quemadmodum illa Archidiaconi, inspectis moribus antiquæ Ecclesiæ.*
19 *Archipresbyter facultatem audiendi confessiones nequit aliis impertiri.*
20 *Archipresbyter de jure non censetur de Capitulo, nisi præbendam canonicalem obtineat suæ Dignitati annexam, vel aliàs servaverit consuetudo*, & num. 21.
22 *Archipresbyteri ruralis nomine quisnam intelligatur, & in quibus ejusdem versetur officium*, & num. 23.
24 *Archipresbyter hujusmodi non est Dignitas.*
25 *Archipresbyterorum ruralium vicem hodie tenent Vicarii*, Foranci *nuncupat.*

DISCEPTATIO XX.

Inter Dignitates Ecclesiasticas secundum locum obtinet Archipresbyter cum ipsi Archipresbyteri instituti fuerint à jure in sublevamen oneris Pasto-
1 ralis, ut demonstravimus in præcedenti, & facit integer titulus Decretalium *de officio Archipresbyteri*, ubi Canonistæ communiter.

Officium Archipresbyteri in Cathedrali Ecclesia circa spiritualia illud est,
2 curam habere, ut ceteri Sacerdotes divina Officia, & Missas ritè celebrent, & eorum vitæ, & moribus, ac correctioni, post Episcopum præest, atque eorum necessitatibus providet, ad *Text. in cap. 1. 2. & 3. de officio Archipresbyt., Fagn. in cap. ad hæc num. 8. de offic. Archidiac. Barbosa de Canonic. & Dignit. cap. 6. num. 9. Rota recent. part. 19. decis. 132. num. 16.*

Ipse enim valet ratione sui officii Missas distribuere, inter Dignitates, & Ca-
3 nonicos, servato tamen recto ordine non semper uni, sed successivè per ordinem, nempè solemniores inter dignitates, solemnes verò inter Canonicos, servata illorum prærogativa, ad hoc ut omnes honorentur, prout censuit *Sacra Congreg. Rituum in una Tarentina Cryptaliarum 24. Octobris 1609., & in eadem 27. Februarii 1610.*, & alibi.

Epi-

Episcopo solemniter celebranti assistere debet ipse Archipresbyter,& tunc
4 præcipere Sacerdotibus, ut se ipsos sacris vestibus induant, & quomodo ad Missam procedere debeant, ad *Text. in cap. officium de offic. Archipresbyteri*, *Barbosa de Jure Eccles. cap. 25. n. 15.*, ubi *Doctores*.

Et cum Archipresbyter, quoad celebrationem divinorum, vicem Episco-
5 pi gerat, ut notat *Jo: Andræas in cap. 1. de offic. Archipresbyt.* relatus à *Fagnan. in d. cap. ad hæc num. 9. de offic. Archidiac.*

Inde meritò, Episcopo absente, vel impedito, ad ipsum Archipresbyterum
6 spectat, benedicere fontem, aliaque pro ipso Episcopo agere, videlicet Sacramenta ministrare, ad *Text. in cap. 2. de offic. Archipresbyt.* ubi *Doctores*.

Ipsique cura specialis incumbit in
7 communicatione corporis, & sanguinis Domini, ad *Text. in d. cap. officium hoc titulo*, ubi *Canonistæ communiter*.

Ad ipsum pariter spectat, feria quarta Cinerum, pœnitentes ab Ecclesia ex-
8 pellere, eorum capitibus cineres imponere, item feria quinta in Cœna Domini, cum reconciliantur, in ingressu Ecclesiæ, eosdem Episcopo præsentare; ut notat *Castald. in praxi Canonic. lib. 1. sect. 8. cap. 7. num. 5. Barbosa d. cap. 25. num. 16.*

Pariter ad ipsum Archipresbyterum
9 Cathedralis, ratione sui officii, spectat, in festivitatibus, Missarum solemnia celebrare.

Secundò: Sacramentum deferre ad
10 Sepulchrum feria quinta majoris hebdomadæ, ac in festo Corporis Christi processionaliter.

Tertiò: Populum communicare in
11 Paschate Resurrectionis.

Quartò: Dare benedictiones presby-
12 terales in Ecclesia Cathedrali, præsertim in processionibus Quadragesimalibus.

Quintò: Portare Crucem in die Veneris, Sabbathi Sancti, & Sabbathi Pen-
13 tecostes, ut de dictis casibus penes *Fagnan. in d. cap. ad hæc num. 1., & post num. 10. vers. & supradictis*.

Ipse Archipresbyter dignitate præest, ac curam animarum habet in Cathe-
14 drali, quæ Parochia Civitatis, & totius Diœcesis dicitur, ita *Guttierez Canonic. quæst. lib. 1. cap. 27. num. 24. Lavor. lucubrat. tom. 1. tit. 2. cap. 11. n. 64.*

Inde fit, ut omnibus de Diœcesi Sa-
14 cramenta ministrare valeat, *Sanch. de Matrim. lib. 3. disp. 27. num. 1.*

Ac Confessiones Sacramentales om-
15 nium de Diœcesi audire potest, ac eos absolvere, & debitam pœnitentiam ipsis imponere, *ad Text. in d. cap. officium de offic. Archipresbyt. Oldradus con. 230. num. 2. in fine*, *Sbrozius de offic. Vicarii lib. 2. cap. 14. num. 2.*

Limita, quoad casus Episcopo reservatos, à quibus non valet absolvere
16 Archipresbyter jure suo Ordinario, sed tantùm de licentia Episcopi, ut notat *Hostiens. Jo: Andr. Abbas, & alii in cap. si Episcopus de pœnitent. & remiss. in 6. Sylvester in Summa V. Archipresbyter quæst. 2.*

Ita pariter, nec absolvere potest so-
17 lemniter pœnitentes, ipso Episcopo inconsulto, ut notat *Glossa in d. cap. officium juncto cap. 2. eodem titulo*, utrobique *Doctores*.

Verùm licèt de jure Archipresbyteri jurisdictio sit maxima, cum fuerit
18 constitutus uti Vicarius natus Episcopi; hodie tamen in quampluribus videtur imminuta, uti de jurisdictione Archidiaconi diximus in præcedenti, ac proindè videtur standum consuetudini cujusque Cathedralis Ecclesiæ, ut docet *Hostiens. in Summ. tit. de offic. Archipresbyt. Garz. de benefic. part. 3. cap. 4. num. 26., & part. 5. cap. 1. num. 256.*

Non valet Archipresbyter concedere facultatem aliis, ut possint in Eccle-
19 sia sua Archipresbyterali confessiones audire: ea ratione, quia approbatio Confessariorum est reservata soli Episcopo privativè quoad alios, ex *Trid. sess. 23. cap. 15. Rota recent. part. 19. decis. 69. num. 33. cum seq.*

Quamvis per ea, quæ diximus, Archipresbyter in Cathedrali Ecclesia constitutus de jure sit, tanquam Vicarius natus Episcopi, dicatur tantùm Officium habere in illa, itaut non censeatur de numero Canonicorum, & de corpore
20 Collegii; attamen, ubi consuetudine Diœcesis ipse Archipresbyter habet sibi anne-

annexam Canonicalem præbendam, dicitur de Capitulo, Canonicorum; undè habet stallum in Choro, & vocem in actibus Capitularibus; propterea servanda
21 est consuetudo cujusque Diœcesis, ut de Archidiacono diximus in præcedenti.

Sequitur ut aliquid dicamus de Archipresbytero rurali, & foraneo: Ar-
22 chipresbyteri rurales sunt illi, qui circa singulas plebes constituti, non solùm vulgi solicitudinem gerunt, verùmetiam Presbyterorum, qui per minores titulos habitant, jugi circumspectione curam habent, qui licet suis præsint plebibus, ut Episcopus Matrici præest Ecclesiæ, idest Ecclesiæ Cathedrali, nihil ta-
23 men contra sui Præsulis ordinem facere valent, sed quę corrigenda viderint, Episcopo denunciare tenentur, *Lancellott. Institut. de offic. Archipresbyteri*, ubi *Addentes*.

Isti Archipresbyteri rurales sine jurisdictione, ac Collegio, an Dignitates verè sint, videre est, & partem negati-
24 vam sustinent communiter *Doctores*, ut notat *Federic. de Senis cons.*80. 86., *&* 113. declarata Sententia *Archidiac. in cap. fin. de consuetud. in 6.*, quem sequitur *Franc. in cap.1. de Cleric. non resid. num.*4. *Ceccoper. lucubrat. Eccles. lib.*1. *num.*153. *Rota recent. part.*17. *decis.*195. *num.*18. ubi *num.*19. dicit, loco Archipresbyteri ruralis, de quo loquitur *Text. in cap. fin. de offic. Archipresbyt.* successisse Vicarium foraneum.
25 Unde videtur concludendum inter dignitates non comprehendi.

ARGUMENTUM.

De tertia Dignitate in Cathedrali Ecclesia nempe de Custode, seù Thesaurario, ubi an iste talis dicatur esse de Capitulo, & quale sit ejus officium.

SUMMARIUM.

1 *Custos Ecclesiæ quis sit, & quale ipsius officium*, & num.2. cum seqq.

8 *Campanarum Ecclesiæ institutio quænam fuerit, & quidnam ejus pulsatione significetur*, & num.9. cum seq.

11 *Custos Ecclesiæ de jure est simplex officium non verò Dignitas, quamvis ex universali propemodum consuetudine hodie Dignitas reputetur*, ut n.12.

13 *Custos Ecclesiæ tenetur ad residentiam, etiamsi fructibus careat.*

DISCEPTATIO XXI.

De Custode, seu Thesaurario, uti dignitate in Ecclesia Cathedrali à jure deputato, & quale sit illius officium, & an dignitas ista, scilicet habens officium Thesaurarii, & Custodis utensilium Ecclesiæ inter Canonicos veniat enumerandus, itaut valeat dici de corpore Capituli?

Et breviter ad unumquodque dubium ex propositis dicimus, Custodem bono-
1 rum mobilium, ac utensilium Cathedralis Ecclesiæ, inspecta dispositione juris communis habere tantùm nomen officii,
2 undè ipse ratione sui officii pallia, vel linteamina altaris, seù cuncta utensilia Ecclesiæ indesinenter custodire tenetur;
3 munus quoque habet, ut circa lampades, & lucernas accendendas, seù extinguendas vigil sit, ne aut supra modum lucendo oleum depereat, aut minus lucendo, Ecclesia obscurior reddatur, sed omnia cum discretione agantur, quæ
4 noscitur omnium virtutum esse mater, ut de omnibus ad literam *Text. in cap. Custos Ecclesiæ de officio Custodis*, ubi *Canonistæ communiter*.

Ipsius pariter Custodis officium est, ut in Canonicis horis signa tintinnabu-
5 lorum pulsanda, Archidiacono jubente pulsentur ab eo, cum & ipsi Archidiacono obedire teneatur, ad *Text. in dicto cap. Custos Ecclesiæ*.

Campanarum autem usus multiplex est, & ad plura introductus; in materia
6 de qua agimus, campanæ pulsandæ erunt ad hoc ut Canonici, ac cœteri de Capi-
7 tulo, dato signo campanæ congregari valeant, ad *Text. in cap. in causis* §.1. *de electione* ibi = *Campanam pulsari facerent, ut moris est, ad Capitulum congregandum*.

Quandoque pulsatio campanarum est signum gratiarum actionum, veluti cum fideles aliquam gratiā particularem obtinue-

8 tinuerunt, & quandoque subtractionis alicujus ex hac vita, quandoque gaudii, & honoris alicui personæ sublimi processionaliter exhibendi, quandoque ignem extinguendi, & ita de aliis, ut notat *Hostiensis ad citatum Text. in cap. Custos*.

Non semel est signum Salutationis B. M. Virginis, dum pulsatur de manè, & meridie, de laudabili consuetudine, ad
9 quem sonitum orantibus cum Salutatione Angelica Summi Romani Pontifices quamplures concesserunt Indulgentias, & novissimè sanctæ memoriæ Benedictus XIII. *Aldan. in Concilium Coloniense part. 9. tit. de constitution. cap.14. tom.4, Concil.* ubi ita legitur.

Benedicantur quoque Campanæ, ut sint tubæ Ecclesiæ militaris, quibus vocatur populus ad concurrendum in templum, & audiendum verbum Dei: Cle-
10 *rus verò ad annunciandum manè misericordiam Dei, & veritatem ejus per noctem, ut per illarum sonitum fideles invitentur ad preces, & ut crescat in eis devotio fidei. Quamvis enim Patres allò respexerunt, videlicèt, ut Dæmones tinnitu campanarum, Christianos ad preces concitantium, terreantur, quin potius precibus ipsis territi abscedant, illoque submotis, fruges, mentes, & corpora credentium serventur, ut procul pellantur hostiles exercitus, & omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procellæ turbinum, impetus tempestatum, & fulgurum temperentur infesta tonitrua, & ventorum flamina suspendantur, spiritus procellarum, & aereæ potestates prosternantur. Breviter, ut audientes confugiant ad S. Matris Ecclesiæ gremium*. Unde versus:

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego Clerum
Defunctos ploro, hostem fugo, festa decoro.

Redeuntes ad semitam, à qua exivimus, cum prædicta de campana ad eruditionem dicta videantur, Thesaurarius
11 Cathedralis Ecclesiæ, qui nomen sortitus est à Custodia thesauri, cum ipsius officium sit pretiosa Ecclesiæ custodire, ut notat *Petrus Gregorius Syntagm. juris lib.15. cap.39. num.3.* olim nullam dignitatem habebat in Capitulo Canonicorum, & Cathedralis Ecclesiæ, sed tantum merum officium, sicuti demonstravimus, ut ex *d. de Gregor. cap.39.* ubi *Doctores*, & per *Textum in dicto cap. Custos Ecclesiæ*.

Hodie tamen ex consuetudine ferè universalis Ecclesiæ, ac universarum
12 Cathedralium inter dignitates, & Canonicos de Capitulo referri cœpit Thesaurarius, quatenus habeat præbendam Canonicalem, stallum in Choro, & vocem in Capitulo, ita *Abbas in cap. de multa num.23. de præbendis, Rota coram Buratto decis.473. num.5.*

Ipse licèt nullos fructus habeat, te-
13 netur nihilominus ad residentiam, juxtà decretum *Trident. sess. 24. cap.12. de Reform., Sac. Congreg.* penes *Garz. de Benefic. in addit. part.3. cap.2. n.198. Barbosa Summ. Apost. decis. collect.703. num.3.*

ARGUMENTUM.

De majori Pœnitentiario Cathedralis Ecclesiæ, ubi de illius munere, onere, dignitate, & præeminentiis, adnotabilia.

SUMMARIUM.

1 *Canonicus Pœnitentiarius institui debet in singulis Cathedralibus Ecclesiis ex Concilii Tridentini præscripto*, & num.2.
2 *Ad officium Pœnitentiarii is Canonicus assumendus erit, qui aptior sit juxta loci qualitatem.*
3 *Canonicus Pœnitentiarius in sacra Theologia, vel Jure Canonico Doctor, sive Licentiatus esse debet, ætatis annorum 40. vel aliàs idoneus pro ministerio hujusmodi.*
4 *Officium Pœnitentiarii committendum est in singulis vacationibus ei, qui in concursu desuper habito dignior fuerit repertus.*
5 *Canonici Pœnitentiarii quale sit munus.*
6 *Canonicus Pœnitentiarius pro tempo-*

re, quo suum munus exercet, lucratur distributiones quotidianas.

7 *Canonicus Pœnitentiarius nequit absolutionem indulgere pœnitentibus à casibus Episcopo reservatis.*

8 *Canonicus Pœnitentiarius quem locum tenere debeat in Choro.*

9 *Canonicus Pœnitentiarius nequit eligi in Confessarium Monialium, vel aliàs muneri suo deesse*, & num. 10.

11 *Canonicus Pœnitentiarius num vacare possit à muneribus Capituli.*

12 *Pœnitentiarius fruitur vacatione indulta per Concilium Tridentinum, quemadmodum cæteri Canonici, nisi tamen absit quibusiam urgentioribus anni temporibus.*

13 *Ad privationem Canonici Pœnitentiarii, ob neglectam residentiam Episcopus procedere debet, servatis de jure servandis.*

14 *Pœnitentiarius non est Dignitas, ideòque quatenus Canonicalem Præbendam obtinuerit, sedere debet in loco sui Canonicatus.*

15 *Pœnitentiariis Cathedralium minimè licet instar Pœnitentiariorum majorum Urbis virgam in manu habere, eaque Fidelium caput tangere.*

16 *Canonicatus Pœnitentiarii subsunt regulis Cancellariæ.*

DISCEPTATIO XXII.

ULtra præcitatas Dignitates, datur etiam in Cathedralibus Ecclesiis, in unaquaque respectivè, major Pœni-
1 tentiarius, non hoc jure communi mandante, sed ita *Tridentina Synodo* disponente *sess.* 24. *cap.* 8. ubi *Barbosa*, & *Doctores communiter*.

Quilibet igitur Episcopus in sua Ecclesia Cathedrali tenetur deputare
2 unum, sub nomine majoris Pœnitentiarii; Ad hoc autem munus assumendus erit, qui sit aptior pro loci qualitate, ita ex *Trident. suprà*, & ita pariter *Sacra Rota coram Emerix Jun. decis.* 1185. *num.* 16., & *recent. part.* 14. *decis.* 261. *num.* 1.

Ille debet esse Doctor in sacra Theologia, aut Doctor, vel saltem licentia-
3 tus in Jure Canonico, ac ætatis annorum quadraginta, vel aliàs aptior tàm ratione scientiæ, quàm ætatis, pro loci qualitate, ut ex *Trident. sup. Card. de Luca de Benefic. disc.* 28. *n.* 12. *Rota coram Otthobono decis.* 39. *num.* 1., & *coram Emerix Jun. decis.* 814. *num.* 5., & 6.

Providendum de hac dignitate, atque officio, non est per Episcopum pro
4 libito suæ voluntatis; sed in casu vacationis conferendum est hoc munus per viam Concursus; & dignior eligi debet, ut notat, ac tenet *Rota coram Otthobono decis.* 39. *num.* 16. *cum seqq.* ubi alii concordantes.

Hujusmodi major Pœnitentiarius ratione sui officii debet esse semper paratus ad audiendas sacramentales Con-
5 fessiones Fidelium; undè nullo modo debet Pœnitentes recusare: quod si aliter fecerit, poterit ab Episcopo loci Ordinario puniri, etiam per privationem ab officio, *Riccius in praxi resol.* 477. *num.* 6. *Campanil. divers. Jur. Canonic. rubr.* 7. *cap.* 6. *num.* 27.

Undè fit, quòd pro eo tempore, quo sacramentales confessiones audit, habetur, ac si præsens esset in Choro; & pro-
6 inde lucratur distributiones quotidianas, cœteraque emolumenta, quæ lucrantur alii Canonici, ut ex *Trident. d. cap.* 8., & ita *Barbosa de potest. Episcop. alleg.* 55. *num.* 30. *Pax Jord. lucubrat. Canonic. lib.* 7. *tit.* 3. *num.* 79. *Panimolla decis.* 1. *annot.* 18. *num.* 7. & 8., *Rota recent. part.* 4. *decis.* 115.

Non potest verò absolvere pœnitentes à casibus Episcopo reservatis, nisi
7 talis facultas eidem communicata fuerit ab eodem Episcopo, *Riccius resol.* 179. & 571., *Pax Jord. suprà n.* 74. *Rota in una Neapolitana Pœnitentiariæ* 5. *Junii* 1637. *coram Merlino inter ejus impressas decis.* 743.

Ipse major Pœnitentiarius tenetur sedere in Choro juxtà suam antianita-
8 tem; undè illi non competit præcedentia suprà cœteros Canonicos, & Dignitates ratione sui officii, quacumque consuetudine in contrarium non obstante, *Sacra Congreg. Concil. in una Senen.* 16. *Aprilis* 1695., & *in alia Murana* 11. *Aprilis* 1699., & alibi passim.

Regulariter non potest eligi in Confessarium Monialium, eâ ratione; quia ipse

9 ipse præesse debet in sua Cathedrali Ecclesia, ad quam fuit electus, ne verificetur illud, de quo apud sacras Paginas: *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret*; ac proindè, uti
10 dixi, non potest divertere à munere suo, & assistentia longè à sua Ecclesia, nisi aliter Episcopus loci Ordinarius putaverit, *Sacra Congreg. Concil. in una Januen. 11. Septembris 1666.*

Tanquam unus de Capitulo non potest se eximere ab officio, sicuti Theo-
11 logus Cathedralis, *Sacra Congreg. Concil. in una Vicen. 15. Aprilis 1690.*, & alibi passim.

Ipse major Pœnitentiarius non tenetur ad majorem, ac strictiorem residen-
12 tiam, quàm cœteri Canonici, sive dignitates de Capitulo, dummodò non absit tempore, quo frequentiùs Pœnitentes accedunt, uti videtur de diebus festis solemnioribus anni, veluti tempore Quadragesimæ, jejuniorum, Adventus, quatuor Temporum, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis B. M. Virginis, Nativitatis Domini, omnium Sanctorum, & similium, *Barbosa dicta alleg. 55. num. 33. Pax Jord. suprà n. 78.*

Quotiescumque deficit à suo gravi onere, non residendo apud suam Eccle-
13 siam, & Episcopus loci Ordinarius voluerit contra illum procedere ad privationem, non aliter procedere valet, quàm servatis de jure servandis, & tunc servare tenetur, quod dispositum habemus per *Trident. sess. 24. cap. 12. de Reform. Sacra Congreg. Concil. in una Carien. 7. Decembris 1697.*

Canonicus Pœnitentiarius, licèt habeat officium, & administrationem Sa-
14 cramenti Confessionis, & Pœnitentiæ, non tamen hoc habet, ut dignitas, sicuti Archidiaconus, vel similes, nisi postquam obtinuerit præbendam suo officio unitam, cum stallo, & similibus: tunc enim demum præcedit aliis Canonicis, ratione scilicet stalli obtenti in Choro, latè *Barbosa de Canonic. cap. 26. num. 23.*

An habeat in facultatibus, dum ipse sedet in Confessionario, & sede destina-
15 ta ad audiendas confessiones sacramentales fidelium, in manu tenere virgam, seù baculum, ut in Urbe Roma, & tangere caput fidelium, cum illa? Et certè quod non, præcipuè in locis, ubi hoc non est usu receptum; ita *Garz. de benefic. part. 5. cap. 4. num. 117. Barbosa d. alleg. 55. num. 28. & 29., & de Canonic. & dignitat. d. cap. 26. num. 14. & 15. Panimolla suprà num. 10.*

Canonicatus Pœnitentiarii etiam illi subjacent Regulæ Cancellariæ de
16 mensibus *la 9.*, unde remanent Pontifici reservati, ut ex *Sacra Rota recent. part. 19. decis. 205. num. 3. Barbosa ad Tridentin. d. cap. 8. num. 12.*

ARGUMENTUM.

De Theologali Dignitate, & sic de Canonico Theologo in Cathedrali Ecclesia, ubi de illius munere, dignitate, & præeminentiis.

SUMMARIUM.

1 *Theologalis præbenda jure novissimo Concilii Tridentini introducta est, quam obtinens enumeratur inter Dignitates Capituli.*

2 *Theologalis dignitas cur fuerit instituta, & circa quæ ipsius munus versetur*, num. 3.

4 *Canonico Theologo congruum stipendium parari debet ex providentia Episcopi.*

5 *Canonicus Theologus esse debet Doctor in sacra pagina, aut in jure Canonico, quamvis sufficiat si in alterutra ex hisce facultatibus Licentiatus tantùm fuerit.*

6 *Canonicus Theologus quomodo in suo expediendo munere sese debeat continere.*

7 *Canonicus Theologus toto eo die quo lectioni sacræ Scripturæ incumbit, lucratur distributiones quotidianas perinde ac si Divinis interesset.*

8 *Tribus designatis tamen mensibus vacationum per Sacrum Tridentinum Concilium indultis, gaudet etiam Canonicus Theologus.*

9 *Lectio Sacræ Theologiæ adeo necessaria per Concilium Tridentinum reputa-*

putatur, ut pro tempore vacationis vel præbenda Theologalis optari valeat, vel alius ad ejuſmodi munus ſubſtituendus ſit prudenti arbitrio Epiſcopi, & num. 10. cum ſeqq.

14 *Canonicus Theologus ſedere debet juxta ordinem ſui Canonicatus.*

15 *Canonicus Theologus, quatenus muneri ſuo deficiat, quibus pœnis coercendus ſit.*

DISCEPTATIO XXIII.

INter Dignitates de Capitulo Cathedralium Eccleſiarum, hodie connumeratur dignitas Theologalis, antiquitus ignota, ſed hodie ita diſponente *Trid. Synodo* introducta *ſeſſ.5. de Reformat.*
1 *cap.1.* Unde per omnes Cathedrales eſt una ex dignitatibus Capituli; ac proindè obtinens illam, locum ac ſtallum habet in Choro, necnon vocem in Capitulo, & actibus Capitulariter geſtis, ut ex *Tridentino ſuprà*, ubi *Barboſa*, & *DD. communiter*.

Et non ſine ratione hoc ſancitum fuit à *Tridentino ſuprà*, ne Theſaurus ille
2 cœleſtis ſacrorum librorum, quem Spiritus Sanctus ſummâ liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat, ac proindè, ut dixi, in omnibus Cathedralibus conſtituendus erit unus, qui ſacros libros explicet, imò in omnibus inſignibus Collegiatis ad hoc venit per Epiſcopum conſtituendus, eidem aſſi-
3 gnato competenti ſtipendio, ac præbenda, etiam per ſubtractionem fructuum alicujus ſimplicis beneficii, vel alterius præbendæ, ut aliàs commodè vivere poſſit, adhibito circa aſſignationem ipſam conſilio Capituli ipſius Cathedralis; latè ad materiam hodiè habe-
4 mus *Conſtitutionem Benedicti XIII.* felicis recordationis, quæ multum confert pro Canonico Theologo circa emolumenta eidem præſtanda, pro ſui ſuſtentatione: & non ſine ratione, ne claudatur os bovi trituranti, ut apud ſacras paginas habetur, etenim dignus eſt operarius mercede ſuâ, latè ex *Conſtitutione d. Papæ*.

Eligendus ad hoc munus debet eſſe Doctor, vel Magiſter in ſacra Theologia, ut aliis prodeſſe poſſit ſuâ ſcientia, & ne ipſe in errorem incidat, malè explanando verba ſacri Textus: ſufficit verò, ubi non fuerit Magiſter in ſa-
5 cra Theologia, quòd ſaltem ſit Doctor in jure Canonico, vel Licentiatus in dictis facultatibus, non obſtante clauſulâ ſolitâ apponi in literis Apoſtolicis expeditionis hujuſmodi beneficii, videlicet quod ſit Doctoratus in Theologia; nam clauſula prædicta non obſtante, ubi fuerit Doctor in jure Canonico, vel Licentiatus, ut ſuprà, ſufficit, & ita *Sacra Congreg. Concilii in una Aſten. 2. Februarii 1646. Mazarien. 12. Aprilis 1651. Altranen. 22. Martii 1698. Militen. 10. Maji 1710.*

Circa horam, in qua legere debet, ac ſacrum Textum explanare, & mate-
6 riam explanandam aſſumere, ſe conformare tenetur voluntati Epiſcopi, ut notat *Barboſa de Canonic. & Dignitat. cap.27. num.26. Pax Jordan. lucubrat. Canonic. tom.2. lib.7. tit.3. n.44. idem Barboſa de Epiſcop. alleg.56. num.10.*

Pro tota die, qua legit, lucratur diſtributiones quotidianas, licèt non fuerit
7 præſens in Choro, cum habeatur pro præſenti, nam non videtur ſua culpa abeſſe, ſed ut vacet ſtudio, & ſua recta, & germana explicatione aliis prodeſſe valeat, *Barboſa d. cap.27. num.33. & de Epiſcop. alleg.56. num.8. Sacra Congreg. Concilii in una Oriolen. 5. Auguſti 1616.* & in alia *Feren. 1. Auguſti 1624.* & in alia *Oriolen. 12. Auguſti 1628.*, *Garz. de benefic. part.5. cap.2. num.18. & 19. Riccius deciſ.495. & 498. Panimolla deciſ.1. annot. 18. num.11. cum ſequent.*

Ipſe Theologus, ſcilicet theologalem dignitatem habens, & poſſidens vaca-
8 re valet à munere legendi, & ſacrum Textum explicandi pro tribus menſibus in quolibet anno, videlicet in menſe Julii, Auguſti, & Septembris, ut notat *Barboſa d. cap.27. num.1. & de poteſtate Epiſcopi alleg.56. num.7.* & ita quoque docet *Pax Jordan. lucubrat. Canonic. tom.2. lib.7. tit.3. num.38. & DD. paſſim.*

Hujuſmodi lectio theologalis, ita neceſſaria reputatur à *Tridentino*, *ubi ſuprà*, ut ſi hujuſmodi præbenda vaca-
9 verit, ipſa lectio non eſt prætermittenda,

da, sed potest optari à sequenti Canonico, ut notat *Garz. de benefic. in addit. ad part.5. cap.4. num.132. Gonzalez ad Regulam* 8. *Cancellariæ hodie* 9. *Glossa* 34. *num.* 80. *Barbosa d. cap.56. num.*10. *&* *d.cap.27. num.*19. *&* 20.

Vel potest dari in commendam alte-
10 ri idoneo Canonico ejusdem Capituli, donec provideatur, *Barbosa d. cap.56. num.*14. Vel aliàs potest Episcopus fructus applicare alicui personæ extra Capitulum, quæ suppleat onus legendi, *Barbosa d. cap.27. num.59.* ubi *Resolutio Sac. Congregationis*.

Et si Clericus secularis non reperiatur, qui sit idoneus, tunc potest Episcopus, fructus omnes illius Præbendæ
11 applicare alicui superiori Religionis, ut idoneum Religiosum exhibeat, qui publicè Sacram Scripturam in Cathedrali exponat, ut ex *decreto S. Pii V.* & *Gregorii XIII.* de quibus *Barbosa d. cap.27. num.60.*, & *d. alleg. 56. n.15. & DD. alibi passim*.

Ut ipsa lectio, ac explanatio Sacræ Scripturæ non reddatur inanis, & fru-
12 stratoria, meritò tenentur accedere ad illam omnes Canonici, ac cęteri Presbyteri Cathedralis Ecclesiæ, ut censuit *Sac. Congreg. Concil.* 11. *Augusti* 1618.

Et ad hoc eos cogere potest Episcopus, sicut in casu minus urgenti eosdem
13 compellere valet, sub pœna pecuniaria, ut accedant ad conferentiam casuum conscientiæ, ut ex resolutione *Sacræ Congreg.Concil.* 11. *Julii* 1620. tradit *Barbosa d.cap.27.num.*28. *&* 29.

Ipsa Præbenda theologalis postquam ad formam *Sacri Concil.Trid. sess.5. de Reform. cap.*1. per ejus primam vaca-
14 tionem constituta, & perpetuo deputata remansit, Canonicus Theologus, qui eam obtinuit, non debet præcedere alios Canonicos, sed debet sedere in loco sui Canonicatus; ac proindè loca priora debentur antiquioribus Canonicis, & ita Sanctissimum respondere mandasse à *Sacra Congreg.Concil.* Episcopo Vicentino testatur *Garz. de benefic. in addit. ad part.5. cap.4. num.*111., eadem *Sacra Congreg. Concil. in una Mediolanen.* de qua *Barbosa d. cap.27. n.24. &* 25., & novissimè *in una Senen.* 16. *Aprilis* 1695. *Murana* 1. *Aprilis* 1696.

Canonicus Theologus, qui suprà, si recusaret legere, itaut deficiat munerl suo, potest Episcopus illum compellere comminatione pœnarum, sequestra-
15 tione fructuum, assignatione portionis de eisdem fructibus alteri, qui loco ipsius legat, & crescente contumacia, etiam procedere ad privationem, ut notat *Barbosa d. cap.27. num.30.*, ubi *num.31.* habetur quod in casu infirmitatis, quæ non sit insanabilis, sed sanabilis, cogi non possit ad ponendum Substitutum, sed si esset facienda substitutio, electio spectat ad Episcopum.

ARGUMENTUM.

De Decano Cathedralis Ecclesiæ, ubi an Decanatus sit Dignitas in illa, ac quatenus Decanatus inter Dignitates enumeretur? Ubi quid de Præpositura, & an sit Dignitas de Jure, & quatenus de Consuetudine dicatur talis, ostenditur.

SUMMARIUM.

1 *Decanus nullam de jure communi habet jurisdictionem, nec Dignitatem, de consuetudine tamen plurium locorum locum obtinet primæ Dignitatis Capituli.*

2 *Decano, quatenus ex loci consuetudine prima Dignitas existat, omnes ei competunt præeminentiæ, quæ Archidiacono uti primæ Dignitati attribuuntur.*

3 *Decanus quibusnam fruatur prærogativis remissivè, &* n.4.

5 *Decanus num reputandus sit de Capitulo.*

6 *Præpositus undè dicatur, & quale sit Præpositi munus, &* numer.7. cum seqq.

9 *Præpositura an Dignitas existat Capituli, & qua fruatur præeminentia, &* n.10. cum seqq.

DI-

DISCEPTATIO XXIV.

De quampluribus aliis, qui in numero Dignitatum apud divisas Dioeceses, & Cathedrales Ecclesias habentur, sequitur ut aliquid dicamus, & priùs de Decano. Decanus igitur in Cathedralibus Ecclesiis de jure communi nullam habet jurisdictionem, aut Di-
1 gnitatem, nisi pro tali de consuetudine habeatur, uti in nostra Cathedrali Hyeracen., ubi Decanus non solùm est Dignitas, sed prima Dignitas, & sic in Regnis Hispaniarum, Galliæ, & Lusitaniæ prima Dignitas in Cathedralibus est Decanus; undè dicitur primus de Capitulo, inde-
2 que omnia jura, & munia, quæ de jure communi competunt Archidiacono, de quo nos sup. disc. 19., competunt Decano, *Riccius in praxi resol.* 394. *n.* 6. *part.* 4. Et in Sacro Collegio Cardinalium dicitur primus post Romanum Pontificem.

De Decanis, & eorum prærogativis latè loquitur *Text. in cap. post electionem de concess. præbendæ*, ubi patet,
3 Decanum esse honorabiliorem de Capitulo, & per illum *Text.* tenet *glossa* 1. *in cap. inter universas de Elect. & Petrus Brixien. in suo Repert. Verbo Decanus*, *& Rota de concess. præbendæ dec.* 442. *alias* 17. *in novis*, ubi per illam
4 decretalem videtur firmatum, Decanatum sonare in nomen Dignitatis, & esse Dignitatem juris, & Capituli caput, præsertim quia, ut in facto tunc supponebatur, in casu decisionis non agebatur de Decano in Ecclesia, sed de Decano Ecclesiæ, & ita *Fagnan. in cap. Ut Abbates n.* 20. *cum sequentibus de ætat. & qualit.*

Nota ad materiam, de qua loquimur, dictum *Abbatis in cap. cum inter universas n.* 2. *de Elect.*, ubi dicit, Decanum esse de Capitulo, si fuerit Canonicus, vel hoc habeat consuetudo Cathedralis, aliàs soli Canonici faciunt Capitulum, ut in *cap. novit, cap. quarto de his, quæ fiunt à Prælat.* notatur, *in cap.* 1. *de Elect. cap.* 2. *de Institut. cap. cum olim de re judicata*.

Idest si Decanus præter Dignitatem
5 Decanatus habeat etiam Canonicatum, secùs si habeat Decanatum tantùm, latè *Fagn. sup. n.* 22.

Quoad secundum: quid de Pręposito, & Prępositura? hoc nomen *Præpositus* ge-
6 nerale est, & refertur ad omnes illos, qui aliis præsunt: ad *Text. in cap. quamvis de verb. signif.* ubi *Doctores*.

Præpositus secundùm nominis proprietatem dicitur à verbo præeo; etenim Præpositus, ut dixi, aliis præest: quamobrem, & Præpositura per se nomen singulare Beneficii Ecclesiastici de-
7 notat, quod assiduitatem, seù, ut jura loquuntur, residentiam exigit, ad *Tex. in cap. ex parte de Cle. non residentib.* ubi *Canonistæ*.

Qui quidem Præpositus ætatem, ac
8 scientiam legitimam ad ordines habere debet, ad *Text. in cap. dudum de Elect. Barbosa de Episc. alleg.* 60. *n.* 64.

Sequitur, ut videamus, an Præpositura sit Dignitas, & in Cathedrali Ecclesia inter Dignitates enumerari possit Præpositus? & regulariter dicimus,
9 Præposituram de jure non esse Dignitatem, & hujus sententiæ est *Archidiac. in cap.* 1. *de consuetud. in* 6., & notat *Rota d. dec.* 17. *de concess. præbendæ in novis*.

Sed distinguendum videtur ita: aut attentâ Cathedralis Ecclesiæ consuetudine, inter Dignitates annumeretur Prę-
10 positus, habens stallum in Choro, vocem in Capitulo, & Canonicatum Præposituræ annexum, cum qualitate Dignitatis, & tunc Præpositus est Dignitas, aliter secùs, & ita *Fagn. in d. cap. ut Abbates n.* 24., ubi dicit, in Cathedrali S. Angeli in Vado Præposituram esse tertiam Dignitatem illius Cathedralis Ecclesiæ.

Inde fit, quod in illis Cathedralibus, in quibus talis reperitur Dignitas, Pręposito debetur locus inter Canonicos,
11 juxta suam antianitatem, & signanter, dum Divina celebrantur Officia, ita *Castald. in Cæremoniali lib.* 1. *sect.* 8. *c.* 7. *num.* 6.

E contra in illis Ecclesiis, ubi nullum gerit officium, & nullam habet jurisdictionem, Præpositura non est connu-
12 meranda inter Dignitates: ita *Joannes Andr. in cap.* 1. *n.* 13. *de consuetud. n.* 6. ubi *Archidiac. n.* 3. *Petrus Gregor. syntagm. Juris part.* 25. *lib.* 15. *cap.* 18. *num.* 7.

Di-

Dixi: attenta consuetudine loci, & Cathedralis Ecclesiæ; etenim per ea,
13 quæ adnotavimus, in Cathedrali S. Angeli in Vado, Præpositura est tertia Dignitas, Præpositum Cameracen. habere Dignitatem notat *Aretin. consf.23. n.6.* Præpositum Taurinensem habere primam Dignitatem de consuetudine testatur *idem Aretin. d. loco n.7.*

Et interdum Præpositura est Prima
14 Dignitas post Pontificalem, ut per *Rebuff. ad l.124. vers. Præpositus ff. de Verb. signficat. Fagn. sup. n.25.* à quo hæc collegi.

Hinc si toti Canonicorum collegio
15 præfertur, ut de casu à *Rebuffo, ad dictam legem* 124., tunc Prima Dignitas illius Collegii vocatur, *Riccius in praxi Resol.558. n.3.*

In Germania, Belgio, & Polonia, Præpositi Dignitatem habent, & alicubi Jurisdictionem, & Curam Animarum,
16 juxta *Text. in cap. cum in illis* §.1. *de Præbend. num.6. cap. quamvis de Verb. signif.* & quandoque, uti dixi cum *Rebusso supra* Præpositura est Prima Dignitas post Pontificalem.

ARGUMENTUM.

De Primicerio, ubi an Primiceriatus sit Dignitas, & quatenus inter Dignitates enumeretur, ubi de Officio, & munere Primicerii? Cantoratus an sit Dignitas, & quatenus inter Dignitates enumeretur, ubi de Officio, & munere Cantoris?

SUMMARIUM.

1 *Primiceriatus Dignitas non est nisi de peculiari locorum consuetudine.*
2 *Primicerii quale sit officium, &* n.3.
4 *Primicerius dicitur quasi primus Cantor.*
5 *Cantoris munus expenditur.*
6 *Cantor, ubi legitimo detinetur impedimento, per Vicecantorem suum implere potest officium.*
7 *Cantor de Jure non est Dignitas, nisi contraria consuetudine aliter servetur.*
8 *Cantor, ubi Dignitas non existat, possessionem non tenetur apprehendere capitulariter.*

DISCEPTATIO XXV.

Quasi finem imponentes materiæ de Dignitatibus in Cathedralibus Ecclesiis, vel jure, vel consuetudine cujuslibet Ecclesiæ introductis; hic de duobus sunt nobis aliqua adnotanda, videlicet de Primicerio, & de Cantore, & quale sit illorum officium, Dignitas, & auctoritas, breviter ostendemus.

Et quoad primum de Primicerio. Primicerius de jure non est Dignitas, licèt in quampluribus Cathedralibus
1 inter Dignitates connumeretur Primiceriatus juxta consuetudinem Cathedralis, uti in Cathedrali Neapolis, ubi Primiceriatus est Prima Dignitas, & ita de aliis.

Munus Primicerii est de Jure Ecclesiastico, docere Diaconos, & reliquos de Clero circa formā canendi, eisque lectiones ad matutinū cantandū distribuere,
2 modū cantandi in Choro pro solemnitate, eo tempore distribuere, ad *Text. in cap. unico de Officio Primicerii*: ubi Canonistæ, & ita *Petrus Gregor. Syntagm. Juris lib.15. cap.22. n.11.*

Undè cum fuerit destinatus ratione Officii ad regendum Chorum, non po-
3 test dimoveri, ut assistat Episcopo, *Sacra Congr. Rituum in una Monopolitana 6. Septembris* 1606., & alibi passim.

Primicerius igitur est primus canentium in Choro, ut colligitur ex ipsamet nominis ethymologia, *Primicerius* idest *Primus Cantor*, seu primus ratio-
4 ne cantus, ad *Text. in cap. perlectis 25. dist. Lelius Zacch. de Republ. Christian. titul.24. nu.16. Petrus Gregor. supra. Pignatell. consult. Canon. tom.8. consf.21. Card. de Luca de Præeminent. disc.41. num.13.*

Quoad secundum, de Cantore, & officio Cantoris, & an Cantoratus sit Dignitas in Cathedrali Ecclesia, sequitur ut videamus. Et primò nobis videtur dicendum, munus Cantoris esse lectiones, antiphonas, & prophetias distribuere, dum Divina Officia celebrantur, *S. Cong. Rituum in una Hydrun-*

druntina 6. Decembris 1613. Cassanen. 5. Martii 1633. Barbosa de Canonic., & Dig itat. cap. 9. n. 13.

6 Cantor ipse tenetur suum munus exercere per se ipsum, & aliquando ubi ipse legitimo impedimento fuerit detentus, per Vice-Cantorem à se deputatum, & ab Episcopo loci ordinario approbandum, qui non sit de illis, qui alioquin Choro sint obligati, *Sacra Congr. Rituum in una Lucerina 19. Martii 1611. Barbosa sup. nu. 12.*, ubi *Doctores*.

7 Cantoris munus exercens de jure nullam habet Dignitatem in Capitulo, sed tantum Officium, licet in quamplurибus Cathedralibus Cantoratus sit Dignitas, ut in nostra Cathedrali Hyeracen. in qua Cantor est secunda Dignitas; unde in hoc servanda est consuetudo cujusvis Cathedralis.

8 Posito quod Cantoratus non sit Dignitas, ubi quis fuerit provisus de hujusmodi Officio, illius possessio non est capienda Capitulariter, *Rota coram Celso decis. 120. num. 5., & 6.* ubi *Doctores*.

ARGUMENTUM.

De Dignitatibus in Collegiatis Ecclesiis, ubi de Prima illius Dignitate, & à quo conferri valeat, & ex quibus desumatur Ecclesiam esse talem. Demum à quo Ecclesia Parochialis, vel similis erigi possit in Collegiatam.

SUMMARIUM.

1 *Collegiatæ Ecclesiæ institui valent subalternum constituentes corpus a Capitulo Cathedralis.*

2 *Collegiatæ compositæ sunt ex Dignitatibus, & Canonicis secundùm legem erectionis numero pluribus, vel paucioribus* n. 3.

4 *Primæ Dignitatis collatio etiam Collegiatæ Ecclesiæ reservata est S. Sedi.*

5 *Collegiatæ Ecclesiæ qualitas deprehenditur vel ex fundationis instrumento, vel congruis conjecturis, atque præsumptionibus, quæ recensentur* n. 6. & seqq.

8 *Parochialis num in Collegiatam erigi possit per Loci Ordinarium.*

DISCEPTATIO XXVI.

Breviter de materia Dignitatum Collegiatarum Ecclesiarum sunt nobis hic aliqua adnotanda; & signanter de illarum Prima Dignitate videre est, & quatenus, vel à quo, Ecclesia aliqua valeat erigi in Collegiatam. Et

1 Quoad primum, non est ambigendùm, dari quoque posse Capitulum cum suis Dignitatibus, & Canonicis, subalternum à Capitulo Cathedralis Ecclesiæ, primum repræsentans mysticum Corpus Ecclesiæ cum Capite, qui est Episcopus loci Ordinarius, ut nos in præcedentibus.

2 De Capitulo igitur Collegiatæ Ecclesiæ discurrentes, dicimus, ipsam quoque habere suum Capitulum, cum una, vel pluribus Dignitatibus juxta ordinem Institutionis, & erectionis, cujus quidem Caput nuncupari solet nomine Abbatis, Præpositi, Archipresbyteri, vel similium, & juxta institutionem cum numero Canonicorum magis, & vel minus; undè, si fuerit insignis, habet plures Dignitates, & Canonicos, quod secùs, ubi talis non fuerit, puta non in-
3 signis; nam tunc sufficit, ut erigatur cum numero Canonicorum quatuor, & unius Dignitatis, nam quatuor etiam constare potest Capitulum, ut *Doctores communiter*.

4 Prima igitur Dignitas Collegiatæ quæcumque illa fuerit, privativè quo ad loci Ordinarium, illius collatio spectat ad Sanctam Sedem vigore reservationis inductæ per Regulam quartam Cancellariæ, *Rota recent. part. 9. decis. 253. n. 8., & part. 16. dec. 234. n. 2., & part. 17. dec. 195.* & alibi passim, quod non est ambigendum.

5 Ad effectum ut Ecclesia dicatur Collegiata, & ut Prima Dignitas illius cadat sub Regula quarta prædicta, probari potest, vel ipsa erectione, & sic fundationis instrumento, aut conjecturis, & præsumptionibus: conjectura fortis erit illa, ex quo ab immemorabili pro tali ha-

habita fuit, ut notat *Rota d. dec.234.*
post n.4.
Sicuti pariter ex Congregationibus
6 capitulariter factis à Dignitatibus cum
Canonicis *Rota d. dec.234. n.10.*
Rursus ex relationibus factis ab Or-
7 dinario ad S. Congr. occasione visita-
tionis sacrorum Liminum, ut ex dicta
dec.234. n.16., & 17. & ita de simili-
bus *penes d. decisionem.*
Quoad secundum: Breviter est vi-
dendum, an Ecclesia particularis, puta
Parochialis, aut similis erigi possit in
Collegiatam, & à quo; undè an hujus-
8 modi erectio fieri possit ab Ordinario
loci; & licet præsens dubium diu
torserit antiquos Doctores, unde non-
nulli tenent partem negativam, alii
affirmativam sententiam sustinent: atta-
9 men magis communiter stetit sententia
pro negativa: undè hodie cessant hujus-
modi disputationes, attentis pluribus
resolutionibus Sacræ Congr. Concilii,
ut in una *Conversana 22. Junii 1626.*
Fulginaten. 26. Febr.1639. Syracusana
22. Septembris 1640., hinc amplius de
hoc non est dubitandum, ut de mente
S. Rotæ recent. part.17. dec.195. nu.7.
& per totam, ubi magistraliter de hac
materia.
Episcopus igitur loci ordinarius non
valet mutare statum Parochialitatis in
Collegiatam unà cum Præpositura, &
Prima Dignitate, cum hoc sit de reser-
10 vatis Romano Pontifici, undè aliter
facta erectio est nulla, & invalida, ut
pluribus adductis refert *Barbosa de*
Jure Eccles. lib.2. cap.6. n.1. Corrad.in
praxi benef. lib.2. cap.15. n.2. Ricc.re-
sol.383. n.6. Rota Recent. part.17. dec.
49. num.4. & 5., & part.15. decis.7.
num.2.
Neque hujusmodi nullitas, puta ex
defectu potestatis sanari valet ex eo
quod Præpositura, aut similis Prima
Dignitas ante erectionem esset Archi-
presbyteralis, quę Dignitatem consti-
11 tuebat; ac proinde cum non agatur de
Dignitate prorsus nova, potuerit Epi-
scopus illam in collegiatam instituere,
juxta distinctionem *Textus in Can. om-*
nes dist.22., ut ex Doctoribus adductis
à *Rota in d. dec.95. n.12.*
Nam respondetur *per eamdem n.13.*
& 14. ibidem, hoc non habere locum,
ubi agitur de institutione novę Colle-
giatę; undè corruit totum, etiam quo
ad constitutionem Dignitatis in illa,
cum utrumque spectet privativè ad
Papam, ut ex *Juribus adductis.* Et
hęc satis ad simplicem notitiam, & in-
dicationem.

De Capitulo sive Cathedralis, sive Collegiatæ Ecclesiæ.

ARGUMENTUM.

Capitulum Cathedralis Ecclesiæ quid sit? Quinam sub hoc nomine comprehendantur, & veniant, ubi an comprehendantur Beneficiati, Cappellani, & similes, & de aliis ad materiam, licet perfunctoriè.

SUMMARIUM.

1 *Capitulum Cathedralis Ecclesiæ quid sit?*
2 *Capituli Cathedralis caput est Episcopus, Canonici verò fratres inter sese existunt.*
3 *Collegii unius duo esse capita, monstruosum est.*
4 *Capituli nomine veniunt Canonici, qui dicuntur Senatores Episcopi.*
5 *Dignitates num sint de Capitulo.*
6 *Beneficiati, Capellani, Mansionarii, aliique similes possunt esse de Capitulo, statuto, vel consuetudine legitimè præscripta.*
Plus tamen nequeunt iidem sibi tribuere, quàm statutum, vel consuetudo hujusmodi præscribat, n.7.
Neque ipsi ad Vicarii Capitularis electionem admittendi sunt, quia vocem habeant in Capitulo, num.8.
Potissimum si ex longa observantia habeatur, dictam electionem fieri à solis Canonicis, num.9.
7 *Limitata causa limitatum producit effectum.*
10 *Beneficiati, aliique supradicti inferiores Canonicis quatenus statuto, vel consuetudine effecti fuerint de Capitu-*

pitulo, id intelligi debet in his, quæ respiciunt mensam Capitularem, atque in actibus œconomicis, neutiquam verò in jurisdictionalibus, & n.11.

12 *Ab actibus œconomicis ad jurisdictionales illatio non valet.*

13 *Capituli appellatione an veniat Ecclesia, an qui ipsius Capituli primatum obtinet*, & num.14.

15 *Appellatione personarum num comprehendatur Capitulum.*

16 *Episcopus quando contineatur appellatione Capituli.*

DISCEPTATIO XXVII.

Sequitur ad normam nostri tituli post Canonicos, & Dignitates, ut aliquid dicamus de Capitulo sive Cathedralis, sive Collegiatæ Ecclesiæ; undè ad opportunitatem materiæ aliqua adnotabimus tàm in hac, quàm in decem aliis sequentibus.

Quoad primum: Videre est quid sit Capitulum Ecclesiæ Cathedralis: & di-
1 cimus, illud in se consideratum, nomen Collegii Canonicorum mereri, undè illud est veluti quidam Senatus Ecclesiæ, ad *Text. in cap. Ecclesiæ 16. qu. 1. Fagnan. in cap. cum ex injuncto num.33. de novi operis nunciat.*, *Card. de Luca de Præeminentiis disc. 23. n.6. Rota recent. part.19. decis.251. n.3.*

Cujus quidem Capituli caput est
2 Episcopus, & ipsi Canonici de Capitulo illius fratres veniunt appellati, *Rota d. decis. 251. num.5. cap. quanto de his, quæ fiunt à Prælatis.*

Dixi: Quorum caput est Episcopus: nam corpus Capituli stare sine capite
3 monstruosum est, prout non videtur admittendum, quod duo sint capita ejusdem Collegii, seu Capituli, *Rota coram Bichio decis.167. num.18.* & *Doctores passim.*

Quoad secundum: Nobis breviter est demonstrandum, quinam veniant,
4 & comprehendantur sub hoc nomine Capituli: & regulariter veniunt tantùm Canonici ipsius Cathedralis, cæteris exclusis; undè ipsi Canonici dicuntur Senatores Episcopi, & illius Coadjutores, ad *Text. in cap. requisisti de testam.* ibi = *Apostoli conjugio*, ubi *Canonistæ communiter* cum *Sacra Rota dicta decis.251. part.19. recent. per totam.*

Capitulum igitur Cathedralis Ecclesiæ regulariter, ut dixi, tantum conti-
5 net Canonicos, & sub eo veniunt tantùm Canonici, cæteris exclusis, ex celebri *Glossa in cap. penult. de Clericis non resident. Barbosa de Canonicis, & dignitat. cap.4. n.3. Rota coram Emerix Jun. decis.491. num.1. & in d. decis.251. n.1.* ubi *Doctores*. Undè neque Dignitates veniunt, nisi habeant stallum in Choro, & vocem in Capitulo, *Rota coram Celso decis.168. num.10.*

Verùm, quidquid sit de supradictis in quampluribus sub hoc nomine Capi-
6 tuli veniunt non solùm Canonici, sed etiam Beneficiati, Cappellani, ac Mansionarii, ubi, attentâ speciali consuetudine legitimè præscripta, vel Statuto, aut Privilegio, aut speciali Constitutione, omnes supradicti comprehenduntur, & veniunt sub nomine Capituli, ut notat *Barbosa suprà num.37. Rota recent. part.19. decis.144. num.3.*, *& decis.251. num.6. & coram Emerix suprà num.2. & 4. Fagnan. in cap. Nullus num.36. de Elect. Card. de Luca de Canonic. & dignitat. disc.26. num.6.*

Beneficiati, Cappellani, aut alii de quibus suprà, quamvis privilegio, con-
7 suetudine, statuto, aut Constitutione, &c. dicantur de Capitulo, nihilominus tantâ facultate fruuntur, quantam eis tribuit constitutio, consuetudo, privilegium, aut statutum hujusmodi, & non ultra excedere valent; etenim limitata causa limitatum producit effectum, ad literam *Text. in l. in agris ff. de acquir. rerum domin.*, *Rota* in terminis *d. decis.251. num.8. & 9.*

Ex quo fit, ut in electione Vicarii Capitularis, tantùm veniant soli Cano-
8 nici, cæteris exclusis, licèt ipsi Beneficiati, Capellani, aut similes habeant vocem in Capitulo cum cæteris Canonicis, *Fagnan. in cap. Nullus num.39. de Elect. Antonell. de regimine Ecclesiæ lib.4. cap. ultimo num.40. Rota coram Bichio decis.167. num.14. & coram Merlino decis.197. n.4. & part.19. decis.251. num.27. & 28. Card. de Luca de Canonic. & Capitul. disc.28. num.6.*, ubi habe-

habetur, Beneficiatos, Capellanos, & similes, non esse de Capitulo.

Quod maximè procedit, attenta longissimâ observantiâ, & Vicarius Capi-
9 tularis eligatur tantùm à Canonicis, *Rota d. decis.251. num.31. cum sequentibus*, ubi latè.

Ubicumque ergo agitur de actibus jurisdictionalibus, sub nomine Capituli veniunt tantùm Canonici; & licèt,
10 ex Constitutionibus particularibus, Beneficiati, Capellani, & similes, comprehendantur sub nominè Capituli, tunc Constitutiones ipsæ non veniunt simpliciter, & absolutè intelligendæ, sed secundum quid, videlicèt, ut comprehen-
11 dantur in his, quæ respiciunt massam & interesse commune cum Canonicis, & pro quibus consueverunt vocari ad Capitulum, & admitti, ut docet, ac notat *Tondut. quæst. benefic. part. 1. cap.1. num.5. Rota in recent. part.15. decis.16. nu.7. & 8. & in d. decis.251. num.10. & 11. part.19.*

Non ita in jurisdictionalibus, ad quæ
12 ab œconomicis extensio fieri non valet, *Gonzalez ad Regulam 8. Cancell. Glossa 45. num.44. Rota coram Merlino decis.167. num.15. & 17. & d. decis.251. num.13. cum seq. part.19. recent.*

Descendentes ad alia, quæ respiciunt materiam ipsam, videlicèt de his, quæ veniunt sub hoc nomine Capituli: primo loco videre est, an sub hoc nomine, & appellatione Capituli veniat Eccle-
13 sia? Et in hoc dicimus, in odiosis, & arduis rebus, Ecclesiam non comprehendi, secùs verò in aliis, ut docet *Rota coram Penia decis.1233. num.2. & recent. part.1. decis.118. num.2.*

Sicuti in materia odiosa, & præjudiciali, sub hoc nomine, & appellatio-
14 ne Capituli, non venit ipse Capituli Prior, *Rota recent. part.5. decis.111. num.28. & 32.*

Appellatione personæ non venit Capitulum, attamen hoc non procedit
15 stante generalitate verborum, & quando sic patitur subjecta materia, prout est materia decimarum, *Rota in recent. part.1. decis.412. num.4.*

Sequitur, ut videamus, an appellatione Capituli veniat etiam Episco-
16 pus, quando tamquam unus de Capitulo participat de beneficiorum collatione: & certè quod sic, ita *Rota coram Bichio decis.587. num.17. & coram Merlino decis.547. n.11.* ubi *Doctores*.

ARGUMENTUM.

Capituli consensus, an indistinctè requiratur, itaut nequeat Episcopus procedere absque illius consensu, & in quibus locum habeat? Quatenus saltem debeat procedere de consilio Capituli, ubi per nonnullos casus ad materiam, quatenus requiratur consensus, vel consilium Capituli, ostenditur.

SUMMARIUM.

1 *Capitulum Cathedralis sub duplici respectu consideratur.*

2 *Capitulum constituit cum Episcopo unum mysticum corpus, & quomodo hoc intelligatur*, & num.3.

4 *Episcopus an & quando teneatur adhibere consensum Capituli*, & num.5. cum seqq. & num.23. cum seqq.

5 *Episcopus absque consensu Capituli nequit alienare bona mensæ.*

Nec beneficia unire, vel supprimere nisi de consuetudine aliter servetur, num.6. 7. & num.10.

Item nec actum facere, qui Ecclesiæ sit præjudicialis, num.11. 12. & 16.

Neque ardua negocia expedire num.17.

Rursus nec quicquam gerere, quod respiciat interesse Capituli, num.13.

8 *Capituli consensus, ubi per Episcopum adhibendus est, num possit superaccedere ad actum.*

14 *Episcopus citra consensum Capituli aliquid facere non potest, quo Ecclesiæ Cathedralis minuatur auctoritas.*

15 *Episcopus tenetur requirere consensum Capituli, ubicumque de consuetudine citra ipsius consensum quidquam expedire nequeat.*

18 *Episcopus quænam sine Capituli consensu peragere valeat.*

23 *Episcopus decreta facere in Synodo tenetur de consilio Capituli*, *non verò etiam de consensu*, & num.24. & 27.

25 *Decreta*, *aliasque ordinationes facere in Synodo est meri imperii*, *quod adest in Episcopo*, & num.26.

DISCEPTATIO XXVIII.

VAldè utilis, ac summoperè necessa-
ria est materia, quam pertractare
proponimus hic, licèt odiosa, cùm sæ-
pè sæpiùs, pauperes Canonici conantur
assentiri voluntati Episcoporum, sive
velint, sive nolint, & forsan, ut quis-
que respectivè effugiat indignationem
sui Episcopi, cum Episcoporum quan-
doque voluntas stet pro lege; verùm
adversus hujusmodi timorem, & trepi-
dationem nonnulla adnotabo.

Sed, antea quam me accingam ad di-
scussionem præmissorum, prænotandum
1 puto, Capitulum Cathedralis Ecclesiæ
bipartito modo cerni, ac sumi posse:
uno modo quatenus respiciat, & repræ-
sentet ipsam Ecclesiam Cathedralem,
& sic Canonici considerantur uti illius
Clerici: altero modo quasi conjuncti,
& copulati in unum corpus cum Epi-
scopo, Capitulum constituentes.

Primo modo considerati, quia re-
præsentant ipsam Ecclesiam Cathedra-
2 lem, concurrunt cum Episcopo uti ca-
pite, & ipsi uti membra, ad *Text. in
cap. requisisti de testam.* ibi = *Apostoli
conjugio*; ac proinde Episcopus tracta-
re debet graviora, vel cum consensu,
vel saltem cum consilio Capituli, *Rota
recent. part.19. decis.251. n.4. Canon.
Episcop. 24. dist. cap. nullius causa 15.
quæst.7.*, ex decretis Concilii Cartha-
ginensis.

Secundò modo considerati Canonici
Cathedralis Ecclesiæ, in quantum effi-
ciunt Capitulum, seù Collegium, &
3 tunc, etiamsi Episcopus non interve-
niat, attamen constituunt unum corpus:
quo casu Episcopus erit considerandus,
ut pars Capituli, imo illius caput, Cano-
nici verò membra, *Abbas in cap. cum
te de rescriptis*, ubi alii *Doctores*. Qui-
bus positis, deveniendo ad dubia pro-
posita.

Quoad primum, nobis est demon-
strandum, in quibus casibus requiratur
consensus Capituli, itaut aliter faciens
Episcopus, actus dicatur nullus: &

Primò: Capituli consensus requiri-
tur in administratione bonorum, & red-
4 dituum Ecclesiæ, quoties bona sunt
communia & mensæ Episcopali, & Ca-
pitulo: Etenim hoc casu, cum utrius-
que sit interesse, puta Episcopi, & Ca-
pituli, uterque erit audiendus, ad *Text.
in cap. novit cap. quanto, cap. & nosci-
tur de his, quæ fiunt à Prælatis absque
consensu Capituli*, ubi *Canonistæ com-
muniter*, *Lapus alleg.31. Barbosa de
Jur. Eccles. lib.1. cap.32. num. 3. cum
seq.*, *Rota coram Seraphino decis.339.
num.1. cum seq.*

Secundò: Capituli consensus requi-
ritur, quotiescumque Episcopus alie-
5 nare voluerit bona pertinentia ad men-
sam Episcopalem, ad *Text. in cap. sine
exceptione 12. qu.2. cap. ut super de re-
bus Eccles. non alien.*, *cap. novit de his
quæ fiunt à Prælatis absque consensu
Capituli*, *utrobique Canonistæ*, *Bar-
bosa suprà num.7. Ricc. decis.54. aliàs
resol.51. Rota cor. Seraphino decis.338.
& 443. Card. de Luca de alienat. bono-
rum Eccles. disc.1. num.65. Rota recent.
part.5. decis.318. num.26.*

Tertiò: Requiritur Capituli consen-
sus, quotiescumque voluerit Episcopus
6 unire beneficia, Ecclesias, vel Præben-
das, ad *Text. in cap. tua nuper de his,
quæ fiunt à Prælat. absque consensu Ca-
pituli, Ricc. decis.198. part.4. num.17.
Garz. de benefic. part.12. cap.2. n.145.
Rota coram Seraphino decis.1078.*, *&
coram Bichio decis.140. num.6. 8. 12.*,
*& part.5. recent. decis. 318. num.15.
& 16.*

Undè valet aliqua beneficia simplicia
7 unire Capitulo, ubi Præbendæ fuerint
tenues per *Trid. sess.24. cap.15. de Refor.*

Qui quidem consensus Capituli po-
8 test intervenire, etiam post peractam
unionem, *Ricc. decis.198. part.4. n.16.
Garz. sup. n.147. Gratian. discept.578.
num.23.*, *& discept. 278. num. 3.* ubi
Doctores.

9 Quidquid contrarium dicat *Rota
part.1. divers. decis.294. num.19.*

Ubicumque extat consuetudo legi-
timè præscripta, ut possit Episcopus
absque

10 absque consensu Capituli, facere hujusmodi uniones, illa venit servanda. *Fuscus de visitat. lib.2. cap.26. n.5. Garz. sup. part.12. cap.12. n.152.*

Vide quę nos latè sub titulo *de Benefic.*, ubi *de unionibus Benefic. à Discep. 30. cum sequentibus.*

Quartò: Capituli consensus requiritur, ubicumque Episcopus supprimere voluerit Canonicatum, vel Beneficium, quod non videtur permissum posse fieri ab Episcopo absque consensu Capituli,
11 ac pariter absque legitimâ causâ, ad *Text. in cap. cum accessissent de Constitut.* ubi *Canonistæ communiter, Garz. de Benefic. part.12. cap.1. n.1. Barbosa de Jure Eccles. lib.1., idem de Potest. Episc. alleg.67. n.3. Nos* latè *sub titulo de Benefic. Discep.32.*

Quintò: Capituli consensus requiritur, ubi agitur de facto prejudiciali ipsi
12 Cathedrali Ecclesię, *cap. ultimo de major.*, *& obed.* ac proinde ubi agitur de prejudicio Ecclesię, & de actu voluntario, totius Capituli consensus requiritur, *Rota rec. part.6. dec.20. n.5.*

Vel ubi agitur de interesse Capituli, ad *Text. in cap. ultimo de his quæ fiunt*
13 *à Prælat. absq. consensu Capituli*, *Rota coram Mantica dec.114. n.3., & recent. part.15. dec.7. n.3.*

Ac pariter ubi diminueretur Ecclesię Cathedralis authoritas, ad *Text. in cap.*
14 *dilecti de major., & obed.*, latè *Barbosa de Jure Eccles. lib.1. cap.32.*, ubi de suprадictis, & similibus casibus *à num. 14. cum sequentibus.*

Sextò: Capituli consensus requiritur, ubicumque de consuetudine videtur
15 introductum, ut actum facere nequeat Episcopus absque consensu Capituli, *Archidiac. in cap. fin. de Elect. in 6.*

Septimò: Capituli consensus requiritur, ubicumque Episcopus donare voluerit alicui Religioso loco certam quotam fructuum spectantium ad Ec-
16 clesiam, *ad Text. in cap. Pastoralis de his, quæ fiunt à Prælatis* ibi = *præter Capituli sui voluntatem*, ubi latè *Fagnan.*

Octavò: Episcopus absque consensu Capituli non potest expedire negotia
17 ardua, *Rota coram Bichio dec.140. n.7., & coram Ansaldo dec.76. n.5.*

Quoad secundum, sequitur ut videamus de casibus, in quibus Episcopus
18 nequit procedere absque consilio Capituli, qui pariter quamplures enumerantur: quorum.

Primus erit, ubicumque Episcopus agere voluerit de negotio arduo Eccle-
19 siæ, *ad Textum in cap. quarto de his, quæ fiunt à Prælat. absque consensu Capituli, Fagn. in cap. Pastoralis n.9. eodem titulo, & Doctores passim.*

Secundus casus erit, ubi agitur de dispensationibus, & confirmationibus,
20 *ad Text. in dicto cap. quarto, ubi Canonistæ.*

Tertius casus erit, ubi agitur de puniendis, & corrigendis Subditorum ex-
21 cessibus, *ad Text. in cap. Episcopus 15. qu.7. cap.1. de excessibus Prælatorum, ubi Canonistæ.*

Quartus casus erit, ubi agitur de Processionibus decernendis, indicendis, dirigendis, atque declarandis; nam in his casibus tenetur Episcopus consilium Ca-
22 pituli requirere, *Sacra Congr. Rituum in una Elboren. 28. Martii 1628. Comen. 7. Febr. 1632.* ibi = *ad Episcopum pertinere declaravit, cum Capituli tamen consilio, indicere publicas Processiones, & præscribere quomodo, & quò sint dirigendæ.*

Quintus casus erit, ubicumque Episcopus decreta facere voluerit in Diœcesana Synodo; nam tunc perquirere tenetur consilium Capituli, licèt illud
23 non teneatur sequi, nisi in casibus à jure expressis, *Sacra Congr. Conc. in una Oriolen. 27. Martii 1632.* ibi = *Episcopum in Diœcesana Synodo facere posse constitutiones, statuta, & decreta,*
24 *absque consensu Capituli, debère tamen requirere illius consilium, licet illud non teneatur sequi, nisi in casibus à Jure expressis*; *Card. de Luca de Canonic., & Capit. disc.1. n.10.*

Ratio ea est, quia facultas condendi hujusmodi statuta, seu Decreta in Diœcesana Synodo, est meri, ac maximi imperii, ut notat *Bart. in l. imperium*
25 *n.8. ff. de Jurisdic. omnium judic.*, & latè *Suarez de legibus lib.1. cap.8. à n.6. cum sequentibus.*

Istud enim merum Imperium est in Episcopo, ut notat, ae docet *Bald. in ru-*

26 *rubrica sub n.7.ad finem de Constitut. Imola in cap. cum contingat.* 2. *de foro compet.*, ac proinde hujusmodi potestas pendet à Jure Monarchico, constituto in ipso Episcopo, & per consequens in-
27 communicabili Capitulo, ut optimè in terminis firmat *Suarez d. loco de legibus lib.4. cap.5. in dub.2.*

An verò requiratur consensus, vel consilium Capituli, ubicumque Episcopus voluerit Synodum Diœcesanam indicere, & publicare? & partem nega-
28 tivam adducimus cum *Sacra Congr. in d. Oriolen. ad dubium* 14., *& in responsione ad* 2., ubi declaravit, pro generali visitatione Diœcesis, à *Tridentino sess.*24. *cap.*3. demandata, posse Episcopum per se solum facere edicta generalia absque consensu, vel consilio Capituli.

Sextus casus erit, ubicumque Episcopus voluerit eligere aliquem in Lectorem, & Magistrum pro lectione facien-
29 da in Cathedrali Ecclesia, ut ex *Trid. sess.5. de Refor. cap.*1. illis verbis = *de Capituli consilio ita provideat.*, *ut ipsa Sacræ Scripturæ lectio habeatur.*

Septimus casus, ubi propter tenuitatem redditum, vel ubi Populus, & Clerus fuerit adeo exiguus, ut Theologiæ lectio haberi non possit, tunc Episcopus de consilio Capituli debet depu-
30 tare Magistros, qui Clericos, aliosque scholares pauperes gratis doceant Grammaticam, & deinde illos instruant in Sacra Scriptura, ita per *Tridentinum dicto cap.*1. *vers. Ecclesiæ verò.*

ARGUMENTUM.

Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, quæ possit facere ex se absque consensu Episcopi. Ubi de casibus, in quibus nequeat procedere absque consensu Episcopi?

SUMMARIUM.

1 *Capitulum Cathedralis Ecclesiæ quænam absque consensu Episcopi facere valeat, quænam verò nequeat*, & n.2. cum seqq.

21 *Observantiam, sive statutum opponere nequit qui facto proprio contrarium probavit.*

22 *Capitulum nec cum Episcopi consensu quicquam decernere valet contra jus.*

23 *Quæ singulos de Collegio tangunt, omnes approbare debent.*

24 *Capitulum, cui unitum fuerit Beneficium Curatum, deputare potest Vicarium amovibilem*, & n.25.

DISCEPTATIO XXIX.

In præcedenti per nos demonstratum fuit, an, & quatenus requiratur consensus Capituli, ubicumque Episcopus aliquid agere voluerit, vel saltem ipsius Capituli consilium; in hac sequitur ut videamus, an, & quæ facere possit Capitulum absque consensu Episcopi, & in hoc quoque adducendi erunt quamplures casus, quorum

Primus erit, pendere a potestate Capituli statuta condere, ubi illa respi-
1 ciant utilitatem, vel bonum Ecclesiæ, præsertim annuente ipso Episcopo, *Barbosa de Episcop. alleg.*93. *num.*10. *Oldrad. consf.*259.*n.*4.*Rota rec. part.*17. *dec.*37. *n.*11. *cap. novit de his quæ fiunt à majori parte Capituli, cap.*2.*§.cæterum de Verb. significat.*

Qua quidem potestate valet antiquiori statuto derogare, *Bald. in l. om-*
2 *nes populi nu.*85. *ff. de just.*, *& jure*, *Abbas in cap. cum accessi.n.*8. *de Constitut.*, ubi *Felin. nu.*11., *&* 14. *Decius sub n.*19.*& consil.*58.*n.*22.*Rot.d.dec.*37. *n.*12.,*& dec.*210. *n.*9. *& dec.*308. *n.*5. ubi *Doctores.*

Sicuti pariter potest Capitulum statuta condere circa negotia solos Ca-
3 pitulares tangentia, non autem, quæ tangunt Episcopum, neque statum Ecclesiæ, *Barbosa de Jure Eccles. lib.*1. *cap.*32. *n.*15. *Fagn. in cap. cum omnes n.*37. *de constitut. Genuensis in practicab. Eccles. quæst.*675.*Card. de Luca de Canonic.*, *& capit. disc.*13.*n.*11., *&* 12., *& Doctores passim.*

4 Consentiente tamen Episcopo statuere valet Capitulum, etiam circa ardua,
4 & concernentia universalem Ecclesiæ statum, divinum cultum, & servitium Ecclesiæ, *Felin. in cap. cum omnes n.*10.
de

de Constitut. Rota coram Seraph. decis. 1447. *n.*1., *&* 2., *& coram Celso dec.* 12. *n.*2., *&* 4., *& coram Merlino decis.* 697. *n.*1., *& coram Benincasa decis.*82. *n.*1. *in rec. part.*4. *dec.*606. *num.*2. *& part.*6. *dec.*351. *nu.*1. *& part.* 17. *dec.* 310. *n.*9.

Capitulo enim tamquam Corpori mystico Pontifices contulerunt jurisdi-
5 ctionem condendi leges,aut statuta pro negotiis ad Ecclesiam spectantibus, *Rota coram Merlino dec.*697. *n.*2.

Dixi: posse Capitulum statuere circa negotia ardua, sed hoc intellige, ubi
6 non fuerint ad modum ardua, uti augere, seù imminuere numerum Præbendarum; nam id Capitulum ex se solum efficere nequit: *Doctores in d. cap. cum accessissent*.

Sicuti pariter decernere, novumque aliquid inducere, circa residentiam Canonicorum, aut aliquid statuere super statu universalis Ecclesiæ, *Doctores in*
7 *cap. cum consuetudinis. de consuetudin. Fagn. in d. cap. cum omnes n.*4. *de Constitut. Barbosa ad Trid. sess.*24. *cap.*12. *n.*45. *de reformat. Card.de Luca de Canonic.*, *& capit. disc.*19. *n.*17. *Rota coram Celso decis.*12. *n.*15. 16.

Quemadmodum etiam statuta condere circa divinum cultum, vel
8 personas Capitulares, *Sacra Congreg. Concil. in una Calaritana* 7. *Septembris* 1647. *lib.*17. *Decr. fol.*510. In his enim & similibus, non valet statuere Capitulum absque consensu Episcopi.

Secundus casus. Capitulum potest statuere ex se absque consensu Episcopi, & sic nova statuta facere in iis, quæ
9 concernunt divisionem anniversariorum, dummodo non sint contraria observantiæ Ecclesiæ, aut voluntati Defunctorum, *Rota rec. part.*7. *decis.*32. *num.*11.

Tertius casus. Potest Capitulum in his, quæ spectant ad regimen Beneficio-
10 rum ad se spectantium, ex se statuere: *Rota recent. part.*2. *dec.*62. *n.*4.

Quartus casus. Capitulum condere valet statutum, quod Beneficia simpli-
11 cia requirant residentiam, *Rota coram Ludovis. dec.*66. *n.*11.

Quintus casus. Capitulum super his, quæ tangunt sua negotia particularia,
12 potest statuere sine consensu Episcopi, puta quod certis modis distributiones quotidianæ distribuantur, vel certo
13 modo Canonici ad Capitulum vocentur, & his similia, *Rota coram Seraph. dec.*707. *n.*4., *& coram Coccino decis.* 795. *n.*13., *&* 2069. *n.*16.

Sextus casus: Capitulum attenta consuetudine loci, absque consensu Epi-
14 scopi, valet corrigere excessus Canonicorum, ac illos punire, *Fagnan. in cap. irrefragabili num.*21. *de Offic. Ordin. Rota recent. part.*19. *decis.* 254. *num.*18.

Septimus casus: Capitulum quatenus absit Episcopus vel ejus Vicarius moriatur, aut aliquo, alio accidenti im-
15 pediatur, ne possit exercere, & Episcopus per illius absentiam non valeat providere de Vicario, ne Ecclesia remaneat acephala, & sine Capite, potest constituere Vicarium, *Pellegrin. in praxi Vicar. part.*1. *sect.* 4. *subsect.*5. *n.*1. *Card. de Luca de jurisdict. disc.*54. *num.*7.

Octavus casus: Capitulum in iis, quæ concernunt propria negotia, scili-
16 cet Capitularia, habetur loco Ordinarii, undè in illis procedere valet, etiam irrequisito Episcopo, *Rota coram Celso decis.*12. *num.*8.

Quoad secundum, sequitur, ut videamus de casibus,in quibus Capitulum non valet procedere; &

Primò: Non valet Capitulum Ecclesiarum Cathedralium, sive Monaste-
17 riorum, occurrente eorumdem vacatione facere Constitutiones, Statuta, aut pacta illicita, impossibilia, damnosa, ac obviantia libertati Ecclesiasticæ, aut Decretis Tridentini, ut habetur ex *Constitutione Innocent. XII.* incipiente *Ecclesiæ Catholicæ*, ubi innovat aliàs Apostolicas Constitutiones, ibique pariter §. 9. *&* 10., abolet Constitutiones, quæ obligant noviter provisos ad juramentum de observandis præmissis;
18 aut de solvendo aliquid Canonicis, etiam dulciora pro admissione in possessionem.

Secundò: Non valet Capitulum absque consensu Episcopi acceptare le-
19 gata perpetua cum onere celebrationis Missarum, cum hoc videatur eisdem inter-

terdictum, ut in *decretis generalibus de celebratione Missarum, & nos eodem tractatu*, & ita *Rota coram Celso decis.12. num.20.*

Tertiò: Non valet Capitulum in facto proprio authorizare unionem, sive suppressionem beneficii, quando fructus
20 illius beneficii uniti applicantur mensæ Capitulari, cujus administratio ad Capitulum spectat, *Rota coram Peutinger. decis.124.n.5.*, ubi declaratur *n.11.*

Quartò: Capitulum non potest alle-
21 gare observantiam, aut statutum pro se, dum contrarium facto proprio approbavit, *Rota coram Ubago decis.34. num.33.*

Quintò: Capitulum non potest sta-
22 tuere contra Jus commune etiam de consensu Episcopi, *Rota coram Buratto decis.758. in annotat. num.13. Merlin. decis.99. n.1. & 4. Ansald. decis.86. num.60.*

Sextò: Capituli major pars non po-
23 test statuere in his, quæ tangunt jus singulorum, nisi omnes consentiant, *Rota coram Cæsare de Grassis decis.55. num.3.*

Septimò: Capitulum, cui fuit unitum beneficium curatum, cum faculta-
24 te nominandi Vicarium, non sibi adimit facultatem nominando unicum, *Rota recent. part.11. decis.305. n.30.*

Capitulum enim ipsum, penes quod residet cura habitualis Parochiæ tene-
25 tur deputare Curatum, seù Capellanum amovibilem, *Rota coram Otthobono decis.4. num.21.*

ARGUMENTUM.

Capituli facultas, & potestas quanta illa sit circa beneficiorum collationem, ac electionem faciendam ad beneficia, & Ecclesiasticas dignitates quorum collatio spectat ad Capitulum, vel simultaneè ad Episcopum, & Capitulum?

SUMMARIUM.

1 *Capitulum facultate conferendi beneficia, sive ad illa eligendi, quomodo uti debeat.*

2 *Tempus ad eligendum Canonicis præfixum an, & quando iidem restringere valeant*, & num.3. cum seq.

5 *Facultas conferendi beneficia undenam possit Canonicis provenire.*

6 *Ordinarius gaudens indulto conferendi etiam in mensibus reservatis, num teneatur beneficia reservata simultaneè cum Capitulo conferre*, & n.7.

8 *Capitulo Cathedralis de jure competit simultanea collatio beneficiorum cum Episcopo.*

9 *Capitulum ex consuetudine legitimè præscripta potest beneficia conferre privativè quoad Episcopum*, & n.10. cum seqq.

Eidemque competit manutentio, num.12.

Declara tamen, ut num.17.

11 *Capitulum habens facultatem conferendi, an veniat appellatione Ordinarii collatoris.*

15 *Capitulum nullum valet allegare statum manutenibilem ex electionibus contradictis.*

16 *Episcopus intentionem suam probare debet in causa prætensæ nullitatis electionis factæ per Capitulum, etiamsi agat nomine Ecclesiæ.*

18 *Jus quæsitum dicitur Electo per electionem à Capitulo factam, Episcopo non reclamante.*

19 *Tacens cum quis reclamare debuisset, videtur tacitè consentire.*

20 *Electus dicitur is, qui pro se habet majorem partem vocum*, & n.21.

Major autem censetur, quæ est sanior pars eligentium, num.22.

Sanior verò dicitur, quæ justior est, & majori nititur ratione, num.23.

24 *Capitulum vigore juris conferendi nequit de beneficio litigioso providere.*

DISCEPTATIO XXX.

QUanta sit potestas, facultas, authoritas Capituli circa beneficiorum collationem, hic paucis annotabitur, cùm latè de materia ipsa *nos infrà lib.13. Discept.8.*, ubi quando Capitulum unà cum Episcopo, concurrere valeat in ipsa collatione facienda.

Posito igitur, quod sit in facultate Capituli, conferre beneficium; per ipsum

sum, uti Ordinarium collatorem, servanda ea erunt omnia, quæ de jure videntur præscripta respectu Episcopi,
1 cùm non sit major ratio in Capitulo collatore, quàm in Episcopo loci Ordinario. Data igitur vacatione beneficii tenetur Capitulum servare omnia præscripta à jure, vel speciali Constitutione: hinc si habet facultatem eligendi ad dignitatem aliquam, vel conferendi illam, intra certum statutum tempus, intra idem tempus ad hujusmodi electionem, seu collationem procedere debet: ac proinde si nequeat illud conferre, nisi elapso mense à die vacationis, ad hoc ut intra dictum tempus accedere possint
2 Canonici de Capitulo absentes, tempus ipsum restringendum non erit, nisi concurrente voluntate majoris partis Capituli, ut notat *Castell. de elect. cap.6. num.6. Passarin. eod.tract. cap.13.n.34.* & in terminis *Rota recent. part.17. decis.350. num.3.*, & latè in eadem causa *part.19. decis.388.*

Non potest tamen abbreviari dictum tempus, ubicumque aliquis de Capitu-
3 lo, se protestatus fuerit de nullitate electionis, quatenus, attentâ hujusmodi restrictione, Canonicus absens non potuerit accedere intra tempus abbreviatum, cum de jure ille expectandus sit per totum tempus statutum à jure, vel speciali Constitutione loci, ut benè ad materiam, de qua agimus *Rota dicta decis.350. n.4. & per tot., & part.19. decis.388. per totam.*

Dixi suprà per transennam, me remittendo ad *titulum de Beneficiis Di-*
4 *scept.8.* posse Capitulum, unà simul cum Episcopo Ordinario loci conferre beneficia. Hìc sequitur, ut videamus, ex quo ortum habeat illius facultas conferendi illa: & ex pluribus oriri potest, videlicèt sive voluntate Fundatoris, sive privilegio, sive consuetudine, & si-
5 milibus; etenim Capitulum, acquirere valet quasi possessionem conferendi beneficia, datâ scientia, & patientia ipsius Ordinarii loci, ut ad materiam docet *Rota part.1. diverſ. decis.166. num.1.*

Posito, quòd Episcopus obtinuerit gratiam à Papa, ut possit conferre be-
6 neficia vacantia in mensibus reservatis, an hujusmodi beneficia simultaneè veniant conferenda ab Episcopo, & Capitulo? & dicimus, Capitulum posse etiam conferre; undè privilegio ipso videtur participare, *Rota coram Merlino decis.547. num.10.*, ubi *Doctores*.
7 Nisi hoc Indultum fuerit concessum Cardinali Ordinario collatori, *Rota coram Peutingerio decis.278. num.11.*

Simultaneè Capitulum confert beneficia vacantia in mense Ordinarii, attenta dispositione Juris communis, *Rota coram Coccino decis.1376. num.13., & coram Seraphino decis.1402. num.4. & coram Emerix Jun. decis.436. num.2., & recent. part.16. decis.244. num.1., Glossa in cap. cum Ecclesia Vulterana de*
8 *Elect.* Nec hujusmodi simultanea collatio tollitur per alternativam Episcopo impartitam à S. Sede, *Rota cor. Pamphilio decis.557. n.3. Bich. decis.436. num.19. & decis.467. num.13.*

Attamen excluditur ipsa simultanea
9 collatio, itaut ea spectet ad solum Capitulum, ubi talis urgeat consuetudo, *Rota coram Pamphilio decis.589. n.7., & coram Emerix Jun. decis.502. in recent. part.16. decis.244. n.2. ad Text. in d. cap. cum Ecclesia Vulterana.*

Quod quidem magis videtur habere locum, ubi constat de pluribus provi-
10 sionibus factis à solo Capitulo per longum, & considerabile tempus, absque reclamatione Episcopi, sed eo sciente, & patiente, *Rota coram Pamphilio decis.223. d num.1. ad 9., & coram Seraphino decis.293. n.1. d. decis.244. n.3.*, ubi *DD. part.16. recent.*

Capitulum, de quo loquimur, circa facultatem conferendi beneficia, non
11 valet dici Ordinarius collator, nec venit appellatione Ordinariorum in materia odiosa, licèt secùs in materia adaptabili, *Rota cor. Seraphino decis.980. n.3. & 6.*

Undè meritò attendenda erit consuetudo conferendi illa: adeout si Ca-
12 pitulum simultaneè contulerit, manutenendum est in sua quasi possessione conferendi, quod non videtur controversum in jure, *Rota dicta decis.244. part.16. recent.*

Quoties Capitulum vult præscribere jus eligendi Canonicos privativè, quoad

13 quoad Episcopum, quod quidem Jus
valet acquirere contra illum, ut notat
Rota recent. part.7. decis.71. num.16.
tenetur probare titulum, *Rota coram
Penia decis. 993. num.8.*, & nos latè
lib.17. tit. de Præscript. Rota dicta decis.244. num.15.

Data præscriptione, ut supra, vel
alio titulo valido, videlicet probato ju-
14 re conferendi favore Capituli, vel per
sententiam Judicis in rem judicatam
transactam, vel ex collationibus an-
tea factis ab ipso Capitulo, Episcopo
ipso sciente, & non contradicente, Col-
latio inde facta ab ipso Capitulo venit
attendenda, *Rota cor. Bichio dec.254.
n. 8. & 9.*, ubi *Doctores*. Dixi, Epi-
15 scopo non contradicente, nam illo con-
tradicente, electio facta à Capitulo est
nulla, *Rota in recent. part.14. dec.212.
num.15., & d. decis.244. n.9. cum seq.*

Hinc, si contra electionem factam à
Capitulo se opposuit Episcopus, &
16 nihil contra Electum, aut formam ele-
ctionis probavit, si postea intendat age-
re nomine suæ Ecclesiæ, nequaquam re-
levatur ab onere probandi, *Rota rec.
part.6. decis.289. num.76.* ubi *DD.*

Licèt Capitulum habuerit faculta-
17 tem eligendi ad beneficia, privativè
quoad Episcopum; attamen post hujus-
modi electionem, jus instituendi ele-
ctum ad ipsum beneficium spectat ad
Episcopum loci Ordinarium, *Rota co-
ram Bichio decis.110. n.3. & 17.*, ubi
num.18. declaratur.

Per hujusmodi electionem factam à
18 Capitulo, dicitur Jus quæsitum pro-
viso, *Rota coram Rembold. decis.591.
num.14.* ubi *Doctores*.

Ad sustinendam provisionem factam,
per Capitulum, sufficit quod Episco-
19 pus non reclamaverit; nam non recla-
mando, videtur consensisse, *Rota coram
Seraphino decis.980. num.16., & dicta
decis.244. num.12. cum seq.*

Dato quòd ad Capitulum spectet ele-
ctionem facere de subjecto capace ad
20 beneficium; hoc casu omnes de Capi-
tulo in unum congregati debent præ-
stare eorum votum super ipso eligen-
do; & quatenus non fuerint concordes,
quia plures elegerunt unum, alii ele-
gerunt alterum; tunc electio facta à
majori parte Capituli attendenda erit;
21 ac proindè eidem Electo à majori par-
te debetur prælatio, & adjudicatio, ad
literam *Text. in cap. quoniam*, ubi
*Glossa de Jurepatronat. Guttierez Ca-
nonic. quæst. lib.2. cap.11. n.20. Rota
coram Celso decis.85. n.1., & decis.244.
n.34., & decis.400. n.1. & 2.* ubi *Do-
ctores part.16. recent.*

In electione enim alicujus ad digni-
tatem, vel beneficium Ecclesiasticum,
22 omninò opus est, ut concurrat sanior,
ac major pars ad validè faciendam il-
lam, *Rota coram Merlino decis.591. &
dicta decis. 400. part.16. recent.*, ubi
Doctores.

Sanior verò pars dicitur, quæ est ju-
23 stior, ac majori nititur ratione, *Rota
coram Cerro Seniore decis.26. num.34.
& 35.* ubi *Doctores*.

Licèt Capitulum jus habeat confe-
rendi beneficium, hoc tamen non habet
24 locum, quando beneficium litigiosum
effectum fuit, quia tunc dicitur habere
manus ligatas, *Rota in recent. part.11.
decis.335. num.4.*

ARGUMENTUM.

*Capituli facultas, quæ sit circa deci-
mas Ecclesiasticas exigendas. Capi-
tulum quoad præcedentiam, & præ-
eminentiam, & quid ubi invitatum
fuerit ad funus sociandum, circa il-
lius honorificientiam, & præceden-
tiam.*

SUMMARIUM.

1 *Capitulum, cui onus incumbit mini-
strandi Sacramenta populo, habet in-
tentionem fundatam super decima-
rum perceptione*, & num.11.
Limita ut num.9. cum seq.

2 *Bovi trituranti os non est alligandum.*

3 *Capitulo existenti in quasi possessione
decimandi competit manutentio*, &
num.4.

5 *Jus decimandi faciliùs probatur favo-
re Capituli, ubi causa non est cum
Parocho.*

6 *Capitulum allegans adversus Parochum
se præ-*

se præscripsisse jus decimandi, probare debet præscriptionem cum titulo, vel immemorabilem.

7 *Capitulum, quatenus Cura habitualis apud ipsum integrè resideat, non verò Beneficiati, habet juris assistentiam pro decimarum perceptione.*

8 *Capitulum coæquale habens jus cum Parocho super decimis, debet particeps fieri omnium specierum decimabilium.*

13 *Capitulo Cathedrali debita est præcedentia supra reliquos de Clero.*
Intellige, ut num. 15. & 19.

16 *Capitulum in funeribus præcedit etiam proprio Parocho defuncti, ubi Collegialiter interveniat.*

18 *Præbendati eatenus uti possunt almutio quatenus Capitulariter conveniant cum Canonicis.*

DISCEPTATIO XXXI.

Quamvis in proposito Decimarum per nos multa de materia ipsa adnotata fuere sub titulo *de Decimis, primitiis, & oblationibus*; attamen hic specialiter visum fuit aliqua adnotare circa facultates Capituli pro Decimis ipsis exigendis, & quatenus illas exigere valeat Capitulum.

Et circa materiam, regulariter dicimus, Capitulum habere intentionem
1 fundatam de jure super decimis, quotiescumque habet generalem administrationem super populo, & sic onus administrandi Sacramenta populo ipsi Capitulo commendato: & hoc ratione
2 curæ, cum non debeat claudi os bovi trituranti, ut ex sacris Paginis; & ita docet *Rota coram Priolo decis.444. n.9. & recent. part.5. decis.124. n.8.*

Attenta igitur dispositione Juris communis, Capitulo tanquam Paro-
3 cho decimæ ipsæ debentur, maximè ubi constat de antiquissima possessione exigendi illas, *Rota cor. Ubaldo dec.353. n.1. & 2. & coram Cerro Sen. dec.423. num.1.* ubi *Doctores*.

In ipsa exactione decimarum Capitulum manutenendum est, ubi constat
4 de ejus quasi possessione exigendi illas, ita *Rota cor. Pamphilio decis.213. n.1.3. & 5., & cor. Rembold. decis.281. n.3. & decis.314. n.3. & 5. coram eodem*.

Et ubi Parochus non est in causa fa-
5 vore Capituli, sufficit quomodocumque constare dominium decimæ, *Rota cor. Rembold. decis.599. num.10.*, ubi *Doctores*.

Dixi: ubi Parochus non fuerit in causa; etenim, ubicumque Capitulum
6 adversus Parochum prætendit sibi deberi decimas jure sibi præscripto, tenetur probare saltem quadragenariam cum titulo, vel immemorabilem præscriptionem, ita *Rota coram Rembold. d. decis.599. num.11.*

Quotiescumque Parochiæ Diœcesis non fuerint distinctæ, itaut integer cu-
7 ra habitualis resideat penes Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, actualis verò penes Vicarios ad curam gerendam deputatos, Capitulum ipsum, potiùs quam Beneficiati habet juris assistentiam super decimis, quod videtur inductum ratione consortii, quod habet cum Episcopo, *Rota coram Cerro Sen. decis.544. num.3. & decis.145. num.2.* ubi *Doctores*.

Dato quod Capitulum habeat fundatam intentionem, & Jus fundatum su-
8 per decimis coæquale cum Rectoribus, tunc ipsum Capitulum participare valet de decimis omnium specierum, ut notat, ac docet *Rota coram Dunoz. Sen. decis.289. n.2.* ubi *Doctores*.

Jus verò ipsum percipiendi decimas non habet Capitulum, ubi Ecclesia,
9 contra quam prætenditur exactio, non est intra limites Diœcesis, *Rota recent. part.9. decis.110. num.5. 6. & 7.*, ubi *Doctores*.

Undè non valet allegare juris assi-
10 stentiam pro se, super perceptione decimarum, ut in *dicta decis.110. part.9. recent.*

Capitulum ipsum, & Decanus, tanquam perpetui administratores decima-
11 rum, & redditum Ecclesiæ Episcopalis, eodem jure cum Episcopo utuntur, *Rota recent. part.13. decis.201. num.6.* ubi *Doctores*.

Circa materiam istam decimarum, vi-
12 de quæ nos in sua propria sede, ubi *de decimis lib.21.*

Quoad secundum: Sequitur, ut aliquid dicamus de præeminentia Capi-

 tuli

tuli Cathedralis Ecclesiæ supra Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ, ac cœteros de Clero, & alios tàm Ecclesiasticos, quàm Sæculares; quamvis enim de hac materia longè, latèque per nos tractabitur sub *titulo de Praeminentiis*, *& Praecedentiis infra lib.*30. *disc.*7. Attamen opportunum duximus, hic nonnulla adnotare circa ea, quæ respiciunt materiam ipsam.

Capitulum igitur Cathedralis Ecclesiæ, cum faciat unum corpus cum ipso
13 Episcopo, præcedit uti dignior omnibus inferioribus Cleri, & Collegiatarum, imò etiam Rectorum in sua propria Ecclesia, & hoc in omnibus actibus, & functionibus in ea exercendis, non obstante quacumque consuetudine in contrarium inducta, *Card. de Luca de Præeminent. disc.*22. *n.*9. *Rota coram Coccino decis.*1731. *num.*7. *&* 8., *& recent. part.*12. *decis.*144. *num.*17., *& part.*13. *decis.*120. *num.*7.

Rationes quamplures per nos assignantur, in *d. lib.* 30. *disc.*7. *de Praeminentiis*, quare Capitulum Cathedra-
14 lis Ecclesiæ præcedat aliis, inter quas illa est fortior, quia Capitulum in se unitum constituit unum corpus cum ipso Episcopo, ut ibi videre est, nam frustra est repetere aliàs dicta. Capitulo tamen Cathedralis debetur præcedentia, etiam supra cœteros Prælatos inferiores, ut diximus, sed hoc videtur habere locum, ubicumque Capitulariter intervenerit in functionibus; nam
15 aliter si conveniat unus, vel duo de Capitulo, quia considerantur uti singuli, aliis præcedere non valent, ex quo non dicuntur corpus efficere, ut benè ad materiam *Card. de Luca suprà disc.*17. *num.*4.

Sed quid circa Funeralia, & accessus Capituli ad funus ipsum sociandum?
16 Et certè in hoc Capitulum simul congregatum, cùm illud repræsentet corpus unum cum ipso Episcopo, meritò in omnibus præcedit aliis, etiam proprio Parocho defuncti, ad notata per *Rotam coram Arguelles decis.*72. *n.*6. *Panimolla decis.*1. *annot.*9. *num.*21. *Barbosa de Canonic.*, *& Dignitat. cap.*18. *num.*60. *Sacra Congreg. Rituum in una Viterbien.* 25. *Junii* 1611. *Prænestina Funerum* 14. *Augusti* 1614. *Sacra Congreg. Conc. in una Sutrina Præeminentiarum* 28. *Aprilis* 1703.

Capitulum Cathedralis Ecclesiæ tunc præcedit Parocho defuncti in funere
17 peragendo, ubicumque Collegialiter intervenit ad funus ipsum, secùs verò ubi interveniunt pauci de Capitulo, itaut non repræsentare dicantur Capitulum, *Sacra Congreg. Rituum in una Nullius* 12. *Maji* 1612. *Pignatell. consult. Canonic. tom.*3. *consult.*50. *n.*1.

Ita de Præbendariis Capituli videtur dicendum; etenim ipsi, ubi conve-
18 niunt uti singuli, non valent uti almutio, sed tantùm possunt uti illo, quoties Collegialiter cum Canonicis conveniunt, *Sacra Congreg. Episcopor. & Regular. in una Placentina Funerum* 5. *Maji* 1659., *&* 10. *Octobris* 1660. ibi: *Præbendariis licere tantùm deferre almutium, quando incedunt Collegialiter cum Capitulo*, & ita *Pignatell. suprà num.*2. *Rota coram Cavalerio decis.*57. *n.*6.

Diximus suprà, præcedentiam deberi Capitulo in quampluribus supra cœ-
19 teros, quoties Capitulariter conveniunt: hinc ubi Capitulum, & Canonici simul interveniunt, tenentur ad aliquam Ecclesiam non uti singuli, sed Capitulariter accedere: & ideò non sufficiunt tres, quatuor, aut quinque, *Rota recent. part.*18. *decis.*265. *n.*5.

ARGUMENTUM.

Capituli munus, & facultas immittendi super Possessionem provisum de Canonicatu.

SUMMARIUM.

1 *Provisus de Canonicatu in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia, possessionem capere debet Capitulariter.*

2 *Possessio pro Capitulari habetur, ubi Capitulum irrationabiliter eam tradere recusaverit*, & num.4.

Quinimò Capitulum tenetur restituere fructus à die denegatæ possessionis.

Limi-

Limita, nisi possessio fuerit denegata ex justa causa, num.5. & 7.

Causam tamen tenetur Capitulum concludenter justificare, n.8. & seq.

6 *Possessio tradita à Capitulo lite pendente, est attentata.*

11 *Capitulum non dicitur paruisse mandato Rotali de tradendo possessionem, per solam oblationem verbalem*, & num.12.

13 *Capitulum facultatem habet tradendi possessionem solis provisis de Canonicatu.*

14 *Possessio tradita per Capitulum an obtineat vim electionis, sive collationis Capitularis*, & num.15.

16 *Provisus in capienda possessione beneficii debet citare possessorem*, & n.17.

18 *Capitulum, quod pacificè possessionem apprehendit unius ex pluribus beneficiis sibi unitis, potest reliquorum etiam possessionem adipisci, non obstante litis supervenientia.*

DISCEPTATIO XXXII.

QUamplura sunt nobis discutienda in hac præsenti Disceptatione, omnia respicientia materiam ipsam possessionis, vel adipiscendæ ab ipso proviso de Canonicatu, vel beneficio, vel possessionis tradendæ eidem proviso à Capitulo in unum congregato, ut possessio inde capta dicatur legitimè obtenta, ibique quoque quando possessio denegari valeat, & de aliis ad materiam ipsam possessionis capiendæ.

Provisus igitur de Canonicatu, vel
1 beneficio in ipsa Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia, debet possessionem capere, ad hoc ut inter Capitulares annumerari possit; undè Capitulariter capienda est possessio Canonicatus, aliàs non est manutenibilis, *Rota coram Pamphilio decis.589.num.10. & 13., & coram Penia decis.928. n.8. & 9. & 960. num.6., & coram Otthobono decis.153. num.9. & in recent. part.7. decis. 218. num.13., & coram Ansaldo decis.62. num.8.*

Dixi: *Capitulariter capta*, hinc videre est, quid juris, ubicumque Capi-
2 tulum fuerit requisitum à proviso, ut ei tradat possessionem, & renuerit tradere illam, an valeat possessio non Capitulariter capta. Et certè quod sic, ex quo non fuit culpa provisi, ne Capitulariter possessionem ipsam caperet, sed culpa fuit Capituli, ita *Rota coram Penia decis.929. num.1.*

Imò in hoc casu denegatæ possessionis tenetur Capitulum restituere fructus
3 pro toto tempore, quo ipse provisus culpâ Capituli non potuit illos obtinere ob denegatam possessionem; sibi enim imputet Capitulum, denegando illud, quod alteri de jure debetur; undè, ut dixi, in pœnam tenetur ad restitutionem fructuum non perceptorum à proviso, *Rota coram Seraphino decis.1015. num.1. & 4., Add. ad Burattum decis.694. num.11.*

Denegando enim Capitulum possessionem proviso de Canonicatu, sine ju-
4 sta causa, tunc Executor Apostolicus potest quandocumque illam dare, *Rota coram Coccino decis.2259. n.8.*

Dixi: *sine justa causa*; etenim, ubicumque Capitulum habet justam cau-
5 sam denegandi possessionem, tunc possessio non valet capi; & ubi capta fuerit, non videtur manutenibilis, *Rota coram Carillo pag.265. n.5.*

Undè neque Capitulum, pendente lite, & inhibitione, dare potest pos-
6 sessionem proviso, aliàs attentare dicitur *Rota in recent. part.13. decis.169. num.2.*

Justè dicitur denegata possessio tradenda ipsi proviso de Canonicatu, ubi-
7 cumque ab alio possidetur, & possessor non fuit citatus, prout de jure citandus erit, ad deducendum jura sua, *Rota coram Coccino decis. 2259. n.10. & 11. & Doctores passim.*

Undè renuens Capitulum dare possessionem, ac admittere provisum tan-
8 quam sanguine impurum, debet hoc Capitulum ipsum concludenter probare, *Rota recent. part. 11. decis. 333. num. 10. & 19.* ubi *Doctores.*

9 Hoc idem de alia causa, *Rota recent. part.9. decis.389. num.2.*

Capituli enim interesse, unà cum justa causa requiritur ad effectum dene-
10 gandi possessionem Capitulariter tradere, ut benè tradit *Rota coram Peutinger. decis.250. num.13. & 16.*

At

At quia non semel Capitulo jubetur, mediante Rotali mandato, ut tradat possessionem proviso de Canonicatu, ubi renuerit parere mandatis S. Rotæ;
11 videtur Capitulum ipsum esse in culpa; & non parendo mandatis ipsis, dicitur non paruisse mandato Rotali, ex quo non tradidit possessionem Canonicatus in Choro, & in stallo proprio debito ipsi proviso, ut docet *Rota coram Coccino decis.* 1909. *num.* 3., ubi ampliat *num.*6. ibique *Doctores*.

Amplia, etiam si Capitulum obtulerit se paratum tradere possessionem, sicut
12 decet filios obedientiæ, sed tamen cum accessisset ad Chorum, & vidisset intrusum, non fecerit omnem possibilem diligentiam, ut intrusus ejiceretur, *Rota d. decis.*1909. *num.*4.

Capitulum non habet jurisdictionem tradendi possessionem proviso de bene-
13 ficio, sed tantùm proviso de Canonicatu, *Rota coram Cerro Sen. decis.*489. *num.*4. ubi Doctores per eum adducti.

Quid operetur possessio ipsa tradita, noviter proviso de Canonicatu? Et di-
14 cimus, illam habere vim electionis, sive collationis, *Rota recent. part.*12. *decis.*56.*num.*24. verùm ista opinio controversa est *ibidem*, ubi *Doctores*.

Ubicumque Capitulum tradit possessionem proviso ab Episcopo, an dica-
15 tur simul conferre cum ipso Episcopo, & hoc controversum est, nisi Episcopus provideat vigore alternativæ; nam tunc, absque ulla dubitatione, Capitulum dicitur parere, non conferre; ita *Rota coram Cavalerio decis.*238. *num.*5. ubi *Doctores*.

Provisus à S. Sede Apostolica de Canonicatu, vel beneficio, instando, ut eidem tradatur possessio Canonicatus, venit impediendus à possidente;
16 ac proinde possidens citandus erit ad deducendum jura sua adversus provisum à S.Sede; tantòque fortiùs, quod ubicumque literæ Apostolicæ conceduntur, in eisdem de stylo Datariæ apponi solet illa Clausula *citatis*, *citandis*, & similibus, ut *nos* latè *de officio Judicis*, ubi de Clausulis verificandis
17 coram illo *lib.* 5. ac proindè, ut dixi, possidens venit omnino citandus, *Rota recent. part.*9.*decis.*433. *num.*16.

Capitulum, cui fuerunt unita plura beneficia, si anteaquam moveatur lis
18 super nullitate unionis, cœpit possessionem aliquorum, poterit posteà non obstante lite, capere possessionem aliorum, absque vitio attentatorum, *Rota in recent. part.*3. *decis.*461. *num.*1.

ARGUMENTUM.

Capitulum quoad actus Capitulares, ubi quæ pro illorum validitate requirantur? Capituli Cathedralis jurisdictio, & facultas, & quænam ipsi facere non liceat, ostenditur.

SUMMARIUM.

1 *Actus Capitularis dicitur, qui expletus fuit Capitulariter à majori saltem parte Capituli.*
2 *Actus Capitulares legitimi censentur, qui expediti fuerunt Collegialiter, non singulariter.*
3 *Ad Capitulares actus admitti debent qui sunt de Capitulo.*
4 *Actus ut Capitulares dijudicentur, non est habenda ratio absentium, qui vocati venire recusarunt; quia tunc tota facultas consolidatur apud præsentes.*
5 *Capituli quænam sit jurisdictio*, & num. seqq.
6 *Jurisdictio competens Capitulo ex legitima præscriptione, vel privilegio, sublata non fuit per Tridentinum Concilium.*
Sed in ea debet manuteneri, n.13. & seq.
7 *Capitulum in actibus sibi præjudicialibus citari debet.*
8 *Causa absentiæ pro consequendis distributionibus quotidianis, cognoscenda est à Capitulo.*
9 *Capitulum quamplures functiones facere potest privativè quoad Parochum Cathedralis.*
10 *Capitulum est legitimus contradictor in concernentibus præjudicium suorum statutorum, vel Ecclesiæ.*
11 *Capitulum agere potest nomine Ecclesiæ, cujus veluti membrum existit, Epi-*

Episcopus verò caput.

12 *Capitulum num sese opponere valeat executioni literarum Apostolicarum provisionis Canonicatus de eodem Capitulo*, & num.22. cum seqq.

14 *Possessor quilibet in sua possessione debet manuteneri.*

17 *Plura recensentur, quæ Capitulo non licent.*

19 *Transigere est alienare.*

25 *Capitulum defensor est, non verò dissipator jurium suæ Ecclesiæ.*

26 *Capitulum nequit deputare administratorem bonorum Ecclesiæ absque Episcopi consensu.*

DISCEPTATIO XXXIII.

Plura sunt nobis in hac Disceptatione pertractanda, summoperè utilia, ac necessaria scitu: & nonnulla demonstrabimus, quæ respiciunt actus Capitulares, & quænam servanda pro hujusmodi actuum validitate, secundò nonnulla adducemus, quæ respiciunt jurisdictionem, & facultates Capituli.

Quoad primum, scilicet quoad actus Capitulares faciendos ab ipso Capitu-
1 lo: dicimus, quod pro illorum essentia opus sit Capitulari deputatione, & quod illi facti sint Capitulariter, & à majori parte Capituli, ut benè *Sacra Rota coram Manzaned. decis.558. nu.4. cum seq., & coram Dunozet. Jun. decis.38. num.7.*

Actus enim Capitulares Collegiali-
2 ter veniunt expediendi non à singulis, ut habeant nomen legitimi actus, benè *Rota coram Buratto decis.351. n.11., & recent. part.17. decis.263. num.5., & part.18. decis.747. num.17.*, ex quibus habetur, quod actus dicatur validus, ubi Collegialiter factus fuit, consentiente majori parte Capituli, licèt nonnullis repugnantibus.

Ad hujusmodi actus Capitulares, aliosque tractatus, illi tantùm veniunt
3 admittendi, qui sunt de Capitulo, & facultatem habent præstandi illorum votum in Capitulo, aliàs actus per extraneos gesti non sustinentur, *Paris. cons.27. num.9. vol.4. Roman. cons.332. sub n.10. Rota recent. part.17. dec.211. num.1. cum seq.* ubi *Doctores.*

Capitulares actus legitimè fiunt à solis præsentibus, non habitâ absentium
4 ratione, ubi vocati non venerunt, nam tunc tota Capituli auctoritas penes Canonicos præsentes residere dicitur, & quod major pars facit, omnes fecisse videntur, ad *Text. in cap. cum nobis cap. dudum de Elect., Rota recent. part.14. decis.273. n.8., & part.19. decis.169. num.1. cum duobus seq.*

Quoad secundum, sequitur, ut aliquid dicamus de jurisdictione, & facultatibus Capituli, & in quibus jurisdictionem, & facultatem hujusmodi exercere valeat, in quibus verò secùs.

Et inspicientes illud, quod de jure communi habetur, dicimus ante Tri-
5 dentinum maximam fuisse Capituli Cathedralis, & sic Canonicorum ejusdem jurisdictionem; etenim, ante Tridentinum, Capitulum habebat jurisdictionem cumulativam cum Episcopo, circa punitionem Clericorum, ita *Rota recent. part.19. decis.254. nu.16. Emerix Sen. decis.175. n.1. & 3.*

Dixi: *ante Tridentinum*; hic nota, quod licèt Tridentinum tribuat jurisdi-
6 ctionem Episcopis; attamen non privat Capitula, ac inferiores Prælatos eâ jurisdictione, quæ ex privilegio, aut legitima consuetudine competebat, nec quo minus eam cumulativè exercere possit cum Episcopo, ut notat *Barbosa de potest. Episcop. alleg. 73. num. 4. & ad Trident. sess.25. cap. 6. num.15. de Reform. Rota d. decis.254. n.21. & 22. part.19. coram Emerix d. decis.175. per totam.*

De facultatibus Capituli est defendere statuta, & Constitutiones suæ Ec-
7 clesiæ; ac proinde in inducendo aliquid contra suam Ecclesiam, uti legitimus Contradictor, venit de jure citandum; ut optime distinguit *Arguel. de legitimo contradict. quæst.17. art.5. n.47. Rota coram Bichio decis.14. num.1. & recent. part.19. decis.148. num.5. & 6.*

Pariter est in facultate Capituli cognoscere causas Canonicorũ absentium,
8 & impedimenta, ad effectum ut consequi valeant distributiones quotidianas, quamvis horis Canonicis non interfuerint, *Rota coram Pamphilio decis.671. num.13.*

Quam-

Quamplures functiones explere po-
9 test Capitulum, & Canonici privativè
quoad Parochum Cathedralis, de qui-
bus *Rota recent. part.* 18. *decif.* 400.
*num.*33. *cum feq.* uti funt horas cano-
nicas, & vefperas folemnes canere,
Miffas majores, feu Conventuales tàm
diebus feriatis, quàm aliis folemni-
bus celebrare, benedicere fontem Ba-
ptifinalem, candelas, & palmas, eaf-
que diftribuere, & procefsiones fa-
cere.

Capitulum poteft fe opponere, quan-
10 do agitur de læfione fuæ Ecclefiæ, vel
ftatutorum ad illam fpectantium, *Rota
coram Coccino decif.*2088. *num.*73., *&
part.* 4. *recent. decif.* 115. *num.*10. ubi
alii *Doctores*; & non fine ratione: ete-
nim Capitulum, & Canonici cum di-
cantur pars, & membrum Ecclefiæ, il-
11 lius confervationem tueri debent, ficuti
principaliter hoc fpectat ad Epifcopum,
qui caput dicitur iftius myftici corporis
ac fponfus Ecclefiæ, ille nempe uti ca-
put Canonici uti membra.

Undè in concernentibus ad ipfam
Ecclefiam, agere poteft Capitulum no-
mine ejufdem, *Rota coram Coccino de-
cif.*2088. *num.*68. *& recent. part.*6. *de-
cif.*289. *num.*72.

Rurfus eft in facultatibus Capituli
impedire immifsionem vigore litera-
12 rum Apoftolicarum, ubicumque alle-
gat exceptionem refultantem ex Apo-
ftolico indulto, *Rota coram Dunozett.
Jun. decif.*202. *n.*15. *& part.*6. *recent.
decif.*27. *num.*14.

Habens jurifdictionem vifitandi, con-
ferendi beneficia, & optandi, debet in
13 illa manuteneri adverfus Epifcopi tur-
bationes, *Rota coram Pamphilio dec.*48.
*num.*1. 3. *&* 7. ubi *Doctores*: etenim
14 vulgati juris eft, quemlibet effe manu-
tenendum in fua poffefsione, in qua re-
peritur.

Pariter eft manutenendum ipfum
Capitulum in pofsefsione exercendi ju-
15 rifdictionem criminalem, probatâ im-
memorabili quafi poffefsione, *Rota re-
cent. part.*19. *decif.*502. *num.*12. ubi
Doctores.

Docendo Capitulum de fua quafi pof-
fefsione, ut Epifcopus in caufis Capitu-
16 laribus, & fic contra Canonicos, non
pofsit procedere, fine adjunctis faltem
duobus de ipfo Capitulo, eft manute-
nendum, *Rota recent. part.*7. *dec.*105.
*num.*26. *&* 52.

Quoad tertium, breviter nos reftrin-
gentes, nonnulla adnotabimus. Per
ea, quæ demonftravimus in fecundo
quefito, licèt maxima fit Capituli ju-
rifdictio, & facultas, in quampluri-
bus verò illa videtur limitata, & re-
ftricta, ut in fequentibus demonftrabi-
mus.

Capitulum ergo ipfum non poteft co-
gnofcere de crimine hærefis, quando
17 Epifcopus eft abfens à fua Diœcefi, nifi
de illius mandato faciat; etenim licèt
crimen hoc fit gravifsimum, jure tamen
ordinario valet procedere folus Epi-
fcopus, & non alius, aliàs Capitulum
procedendo, nulliter procedere dici-
tur, ut benè *Rota coram Seraphino de-
cif.*733. *num.*3. & *nos fub titulo de Hæ-
refi infra*, ibi vide.

Infuper, licet Capitulum dicatur ad-
miniftrator bonorum Ecclefiæ, undè ad
18 illud fpectat unà cum Epifcopo defen-
dere illius jura, attamen non valet,
ftante controverfiâ fuper bonis ipfis, de-
venire ad tranfactionem, non obtento
priùs Apoftolico beneplacito, *Rota co-
ram Ottbobono decif.*220. *num.*14., ubi
alii *Doctores*.

Nam per eà, quæ demonftrabimus
infra, ubi de *Tranfactionibus*, *& fub
titulo de alienationibus bonorum Eccle-
19 fiæ*, tranfigere eft alienare. Vide *in
d. locis*.

Pariter non habet auctoritatem u-
niendi beneficia ad fui favorem abfque
20 confenfu Papæ; nam aliàs, fi hoc per-
miffum effet ipfi Capitulo, forfan om-
nia beneficia Diœcefis fibi uniret; un-
dè meritò, ut dixi, concurrente legi-
timâ caufâ, poteft fibi unire illa, obten-
to priùs Apoftolico confenfu, *Rota co-
ram Penia decif.*1379. *num.*5. *&* 6. ubi
Doctores.

In jurifdictionem Epifcopi noviter
provifi, fe inmifcere ampliùs non valet
21 Capitulum ipfum, ubicumque jam ab
eodem expeditæ fuerunt literæ Apofto-
licæ, illæque oftenfæ, *Rota coram Coc-
cino decif.*736. *num.*2.

Non dicitur legitimus contradictor,
vifo

quoad justificationem gratiæ, ad impe-
22 diendam immissionem Apostolico proviso super Canonicatu, *Rota coram Coccino decis.*1481. *num.*15. *& coram Otthobono decis.*58. *num.*31., *& part.*19. *recent. decis.*289. *num.*8.

In quampluribus verò potest dici legitimus contradictor, videlicèt ubi,
23 probando Ecclesiam esse renovatam, impedire vult novam erectionem Canonicatus, *Rota cor.Coccino decis.*1902. *num.*4. ubi *Doctores*.

Sicuti, ubi se fundat in certa qualitate requisita à Statuto, probata inca-
24 pacitate provisi, est legitimus contradictor, *Rota coram Coccino decis.*2013. *num.*60.

Illud non valet præjudicium inferre suæ Ecclesiæ, cùm potiùs sit munus ip-
25 sius Capituli defendere illius jura, ex quo administrator de jure est, & non dissipator, aliàs actus ab illo gesti sunt nullius roboris, & momenti, *Rota recent. part.*9. *decis.*302. *num.*28.

Hinc cum Capitulum dicatur pars corporis, ac membra, Caput verò ipse
26 Episcopus; meritò non potest sine Episcopo tribuere exercitium administrationis, *Rota cor. Rembold. decis.* 591. *num.*15. ubi *Doctores*.

Capitulum ipsum, licèt habeat maximam jurisdictionem, Sede Episcopali vacante, de quo *nos* latè *infra Di-*
27 *sceptatione* 36. Sede tamen Episcopali plena, ac legitimè non impedita, exercere nequit ordinariam jurisdictionem, *Rota coram Bichio decis.* 383. *num.*13.

Ulteriùs, licèt per, ea quæ demonstravimus in præcedenti Disceptatione,
28 ad Capitulum ipsum Collegialiter congregatum spectet immittere in possessionem provisum de Canonicatu: non valet tamen possessorem ipsum privare suâ possessione, *Rota coram Bichio decis.*635. *num.*9.

ARGUMENTUM.

Capituli Ecclesiæ Patriarchalis Sancti Joannis Lateranensis facultas recensetur circa Ecclesias incorporatas eidem Capitulo, ad normam Constitutionum Apostolicarum.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesia Lateranensis Urbis, & Orbis Mater est, & Caput.*

2 *Privilegium refertur Ecclesiæ Lateranensis alias Ecclesias suæ jurisdictioni supponendi, illasque providendi occasione vacationum, aliosque actus jurisdictionales ibidem exercendi*, & n.3. & 8. *juncto* n.10. & seq.

Quomodo verò procedat privilegium hujusmodi n.10. & seq.

4 *Ejusdem Privilegii quæ subsecutæ fuerunt Apostolicæ reformationes exponuntur*, & n.5.

5 *Ecclesiæ fundatæ in solo Lateranensi subsunt Lateranensi Capitulo.*

Quando autem taliter fundatæ dicantur n.6. & seq.

9 *Beneficia fundata in solo Lateranensi subjacent regulis Cancellariæ.*

13 *Episcopus habet juris assistentiam pro visitatione Ecclesiarum suæ Diœcesis, ac collatione Beneficiorum in ea erectorum contra Capitulū Lateranense pretendens Ecclesiam fundatam esse in suo Solo, Amplia* n.16.& seqq.& n.14.

Propter quam juris assistentiam Episcopo debetur manutentio n.19.

15 *Jurisdictio Episcopi justificatur etiam ex confessione Partis, quod locus sit in Diœcesi.*

20 *Episcopus visitare potest Ecclesias exemptas jure delegato: quam tamen delegatam jurisdictionem ipse requisitus explicare tenetur.*

DISCEPTATIO XXXIV.

Quia Ecclesia S. Joannis Lateranensis Mater Ecclesiarum est non solum Urbis, sed totius terrarum Orbis,
1 cum illa sit Cathedra Romani Pontifi-

cis, meritò supra omnes innumeris præfulget privilegiis, de quibus nostrum non est agere.

Inter cœtera privilegia, quæ majo-
2 ra antiquitùs erant, circa unum tantum agimus. Poterat enim Capitulum hujusmodi Patriarchalis Ecclesiæ submittere sibi quascumque alias Ecclesias ad ipsum Capitulum sponte accurrentes, & se ipsas submittentes, quæ dicebantur subjectæ ipsi Capitulo, & ab ipso
3 Capitulo, seù eorum Vicariis deputatis visitabantur, pro ut visitantur, & ab eodem Capitulo, dum vacantes fuerint, providentur de Rectore.

Quod ipsum Capitulum poterat aggregare suo quasi dominio omnes Ecclesias, quæ ita volebant, patet ex *Bulla Calisti III. Bonifacii IX.*; Hodie tamen illud antiquitùs concessum à *Calisto*, & *Bonifacio*, non habet locum, attentâ *Bulla Pii IV.* revocatoria illius *Ca-
4 listi III.* Potest nihilominus Capitulum ipsum fundare, & erigere Ecclesias in solo spectante ad ipsum Capitulum, attento Privilegio eidem Capitulo restituto per *Sixtum Quintum*, cum certis restrictivis, ut habetur ex Bulla *ejusdem*, super hac re edita, *Constitut.* 19. *inter impressas in Bullario novo*; Undè
5 attenta hujusmodi Sixtina Constitutione, quoties Ecclesia fuerit ædificata in solo Lateranensi, scilicet spectante ad ipsam Ecclesiam, non videtur ambigendum, illam esse subjectam ipsi Capitulo, ut habetur ex *S. Rota recent. part.* 18. *dec.* 383. 530. *n.* 5., & *per totam*.

Dicitur fundata in solo Lateranensi, ubi quis ante constructionem Ecclesiæ,
6 dat fundum Capitulo, & postea petit ab ipso Capitulo facultatem, ut possit Ecclesiam ædificare in d. fundo, assignando Canonem, quo peracto, dicitur fundata in solo Lateranensi, quod est val-
7 de notandum, ubi quis Ecclesiam, quam construit, optet esse liberam à Jurisdictione Ordinarii loci.

Posito quòd Ecclesia ipsa sit sub dominio, & protectione Capituli Lateranensis, tunc uti de illius dominio eam providere potest, & ubi habet annexa
8 Beneficia, etiam Curata, providere de novo Rectore, in defectum antiqui, in mensibus sibi debitis, ut notat *Rota coram Emerix Jun. dec.* 106. *num.* 2. ubi *Doctores communiter*.

Dixi: in mensibus sibi debitis; etenim hujusmodi Ecclesiæ sitæ in solo La-
9 teranensi non veniunt exemptæ à Regulis generalibus; undè comprehenduntur sub Regula 9. *Cancellariæ de mensibus*, *Rota coram Bichio dec.* 241. *num.* 4.

Capitulum prædictum licèt possit visitare, corrigere, ac cœtera agere, in ordine ad Ecclesias sibi subjectas, ut
10 supra, ac conferre Beneficia eisdem annexa, in præjudicium Episcopi Ordinarii loci; hoc tamen non videtur habere locum nisi quoad Ecclesias sitas in Lateranensi solo, juxta d. Sixtinã Constitutionem restitutoriam, non autem,
11 quoad erectas per dismembrationem aliarum Ecclesiarum, ut notat *Rota coram Emerix Jun. dec.* 106. *n.* 3. & 4.

Undè, ad effectum ut Capitulum ipsum gaudeat hujusmodi Privilegio, opus est concludenter probare qualita-
12 tem ædificationis in proprio solo, ut notat, *Rota in recent. part.* 18. *dec.* 383., *num.* 5. & 530. *pariter n.* 5. ubi latè, & ibi *Doctores*.

Aliàs Jus competit Episcopo privativè quoad Capitulum visitandi dictas
13 Ecclesias, ac conferendi Beneficia in eisdem erecta, attentâ juris assistentiâ super omnes Ecclesias in sua Diœcesi existentes, *Rota d. dec.* 383. *n.* 3. 9. & 10. & *in d. dec.* 530. *per totam*.

Ubicumque ergo Capitulum prædictum prætendit, aliquam Ecclesiam esse sub illius jurisdictione, & protectione, ad effectum excludendi Episcopum loci Ordinarium, opus est probare omnia extrema requisita in supra citata Sixti Constitutione; aliàs ipse Episcopus, ob assistentiam juris pro ipso facientem,
14 ut omnes Ecclesiæ sitæ in districtu suæ Diœcesis sint de illius dominio, & jurisdictione, habet intentionem fundatam visitandi illas, *ad Text. in cap. venerabilis de Relig. domibus, cap. cum personæ de privileg. in 6. cap. omnes Basilicæ 16. qu. 7. Barbosa de potest. Episc. alleg.* 80. *Rota recent. part.* 11. *dec.* 318. *n.* 3., & *part.* 18. *decis.* 383. *num.* 3. & *dec.* 530.

Quod

Quod quidem magis procedere videtur, & nullam patitur difficultatem, ubicumque Capitulum allegat in sua aggregatione Ecclesiam, puta S. Antonii existere in Diœcesi puta Hieracen.,
15 nam tunc clarè probatur, illam esse de Jurisdictione Episcopi Hieracen., cum nulla dari possit major probatio, quàm proprii oris confessio, *ad Text. in cap. fin. de confessis*, *Rota in rec. part. 13. dec. 70. n. 9.*, *& per totam*, *& nos* latè *sub titulo de probat.* per confessionem partium elicita, *& Doctores passim*.

Itaque, ubi Capitulum non probat concludenter, Ecclesiam, de qua est quæstio Jurisdictionis, fuisse constru-
16 ctam in solo Lateranensi eidem priùs donato, vel alio jure eidem debito, inde fit, ut juxta d. Sixtinam Constitutionem, hujusmodi Ecclesia non comprehendatur sub Privilegio, quod in ventre requirit qualitatem ædificationis in proprio solo, per ea, quæ tradit *Felin. in cap. ex parte n. 25. de rescript.*, *idem cons. 45. n. 14. & cons. 130. nu. 1. Rota coram Coccino dec. 117. num. 5.*, *& coram Buratto decis. 417. n. 1.*, *& in rec. part. 11. dec. 195. num. 4. & 5. part. 18. dec. 383. n. 5.*

Et hoc magis videtur habere locum, quotiescumque Episcopus loci Ordinarius, non tamquam Delegatus S. Sedis, sed suo jure ordinario, & facultate sibi a Sacris Canonibus, & Tridentino im-
17 posita Ecclesiam ipsam visitavit; ac proinde, ubi Capitulum Lateranense clarè, & concludenter non doceat de exemptione tamquam fundamento suæ intentionis, *ad Text. in cap. cum Epi-*
18 *scopus de offic. Judic. ordin. in 6. Clement. attendentes de statu Monach.* ubi *Doctores*.

Attentâ juris assistentiâ Episcopo competens, ut supra, ille venit manutenendus in sua quasi possessione visi-
19 tandi Ecclesiam, quam exemptam prætendit Capitulum; tantòque fortiùs attenta observantia visitandi illam, quæ magnum robur præstat in materia manutentionis, ut bene ad casum, de quo agimus, facit *Text. in d. cap. cum persona §. fin. Marescot. var. resol. cap. 11. n. 1. cum seq. lib. 1. Poss. de manutent. obs. 45. n. 2. part. 3.*, *Rota d. dec. 383. num. 9. cum seq. part. 18. recent.*

Caveant ipsi Vicarii Ecclesiarum Lateranensi Capitulo subjectarum, ut ubicumque Episcopus loci Ordinarius uti delegatus S. Sedis Apostolicæ visitare
20 voluerit Ecclesias ipsas, ante actum visitationis declaret Episcopus, etiam per publicam scripturam, ac publicum actum, se velle dictas Ecclesias visitare jure tantum delegato, quo peracto, Jus Capituli remanet salvum, & illi non infertur ullum præjudicium, *& nos* latè *supra lib. 1.* ubi de Jurisdictione Episcopi quoad loca exempta.

ARGUMENTUM.

Capitulum, quoad illius convocationem, ubi quis congregare valeat illud, & Capitulares convocare? Quo tempore sit congregandum? Quinam vocandi sint? Quinam veniant admittendi ad Capitulum, & quinam de jure excludendi, ac de aliis ad materiam ipsam.

SUMMARIUM.

1 *Capitulum pro validitate actuum Capitularium à quonam convocari oporteat*, & num. 2. cum seqq. & num. 7.

5 *Præsidentis Capitulo munus refertur*, & num. 6.

8 *Capitulum non debet ad placitum convocari, sed consueto, sivè alio congruenti tempore.*

9 *Tempore, quo Divina persolvi debent officia, non est convocandum Capitulum, aliàs amittuntur distributiones quotidianæ, nisi urgens necessitas aliter suadeat*, & num. 10.

11 *Capitulum quatenus extraordinariis temporibus convocari velit, nunciari debet Episcopo, qui justa ex causa ejus convocationem inhibere potest*, & num. 12.

Declara, ut num. 13.

14 *Ad Capitulum qui, & qualiter convocandi sint*, & num. 15. & num. 21. cum seq.

16 *Præsentes qui fuerunt Capitulo nequeunt dare de illius nullitate ex intimationis defectu.*

17 *Citationis defectus sanatur per comparitionem.*

18 *Canonicos absentes quibus casibus convocare oporteat, & quomodo iidem sint convocandi*, & num. 19. & 20. cum seqq.

24 *Canonicus absens num possit constituere Procuratorem ad ferendum suffragium*, & num. 25. & 31. cum seqq.

26 *Canonicus legitimè absens Procuratorem debet constituere de gremio Capituli*, & num. 28. cum seq.

27 *Procurator constitutus per absentem ad suffragium ferendum in electione facienda, nequit duos eligere alterum suo, alterum verò Procuratorio nomine.*

32 *Canonici absentes ii convocandi sunt, qui existunt in Provincia, legitimoque impedimento detinentur*, & n. 33.

34 *Ad suffragandum in Capitulo quinam sint admittendi, qui verò excludendi ab ipso Capitulo*, & n. 35. cum seqq.

41 *Portionarii, & similes, præscripto statuto, vel consuetudine, non dicuntur de Capitulo, cum sint veluti Ministri Canonicorum.*

DISCEPTATIO XXXV.

PRosequentes materiam ipsam de Capitulo, quamplura sunt nobis hic examinanda, quæ respiciunt Congregationem Capituli, & convocationem Capitularium pro agendis his, quæ spectant ad interesse ipsius Capituli. Et

Quoad primum, videre est, ad quem spectet Capitulum convocare. Capitu-
1 lum igitur convocandum est à Præsidente illius, seu ab alio deputato ab eodem Capitulo, quoties Capitulum non habet Præsidentem: si verò non habet Præsidentem, neque Deputatum, convocandum erit à prima Dignitate Capituli, attentâ consuetudine Cathedralis cujusque respectivè, *Abbas in cap. auditis num. 3. de Elect. Fagnan. in cap. ut Abbates num. 28. de ætate, & qualit. Sacra Congreg. Concil. in una Nullius Altamuræ 6. Septembris 1687. Sacra Congreg. Rituum in una Neapolitana 25. Januarii 1698. Card. de Luca de Canonic. & Capit. disc. 27. num. 7.*

Undè aliter facta convocatio erit
2 nulla, omniaque gesta in illo non erunt attendenda, *idem de Luca sup. num. 8.*

Dixi: *fore convocandum à prima Dignitate Capituli*: hoc autem procedit,
3 & locum habere videtur, licèt non fuerit in Choro, dummodò tamen sit in Civitate, quo casu, si convocetur à secunda Dignitate, cum prima Dignitas,
4 aut Præsidens fuerit in Civitate, licet non in Choro, actus Capitulares inde gesti erunt nulli, *Sacra Congreg. Concil. 11. Junii 1686.*

Præsidens, vel Deputatus, aut similis, congregato Capitulo, debet proponere negotia discutienda in ipso Ca-
5 pitulo, & ante omnes debet suum votum præstare, & successivè colligere vota Capitularium, licèt ipse non sit in sacris
6 constitutus, cum iste sit actus jurisdictionis, qui competit Præsidenti Capituli, *Garz. de Benefic. part. 3. cap. 4. num. 26.* ubi resolutio Sacræ Congregationis.

Non solùm Præsidens, aut Deputatus, vel similis potest convocare Capi-
7 tulum, sed etiam ipse Episcopus, ubi agitur de suo, vel suorum commodo, rem ipsam discutiendam proponere valet, & postea discedere, relinquendo solos Capitulares, ut cum libertate disceptent materiam propositam ab ipso Episcopo, ac decernant, ut ipsis magis visum fuit expediens, *Barbosa de Canonic. & Capitulo cap. 35. num. 9.* ubi *Doctores*.

Quoad secundum, sequitur, ut videamus, quo tempore sit congregandum
8 Capitulum? & in hoc dicimus, illud congregandum esse diebus solitis, & destinatis, ac congruo tempore ad actum expediendum, vel ubi necessitas acciderit, aliquo alio tempore congruo, instantibus Canonicis, & non pro libito voluntatis ipsius Præsidentis, vel Deputati, *Sacra Congreg. Episcop. & Regularium in una Ripana 6. Octobris 1617.*

Dixi: *congruo tempore*: etenim non erit convocandum tempore, quo divi-
9 na celebrantur, vel celebranda essent,
ne

re divinus cultus minuatur, nisi fortè urgens causa in aliud tempus compatiatur negocium differri: quod si secùs fa-
10 ctum fuerit, Canonici non lucrantur distributiones pro illis horis, in quibus divinis non interfuerunt officiis, *Barbosa suprà cap.35.num.14. & 15. Sacra Congreg.Concil. in una Oriolen.27.Martii 1632. ad dub.11.*

Quoties verò erit convocandum diebus extraordinariis, de hujusmodi con-
11 vocatione certiorandus erit Episcopus, à quo potest impediri ipsius convocatio, *Sacra Congreg. Concil. in una Maceraten. 7. Augusti 1683. Lauretana 6.Februarii 1700.*

Hoc tamen procedit, legitimâ con-
12 currente causâ impedimenti, ne convocetur, aliàs secus, *Sac. Congreg.Conc. in una Amerinen. 13.Septembris 1641.*

Licet in omni casu, in quo agitur de rebus ad Capitulum spectantibus, &
13 circa interesse, vel gubernium ipsius Capituli, convocari possit à Canonicis omni tempore, absque licentia Episcopi, *Sacra Congreg. Concil. in una Carsolen. 9. Maji 1637.*

Quoad tertium, quibus vocatis erit congregandum Capitulum? Et in hoc
14 dicimus esse congregandum vocatis omnibus de Capitulo, quatenus fuerint præsentes in Civitate, seu loco, per solita signa, sive campanæ, sive vivæ vocis, aut similium, juxta consuetudinem Diœcesis cujusque; absentes verò, & existentes in Provincia, vocandi erunt
15 per literas, sive Nuncium, juxta Diœcesis consuetudinem, ut accedant, quatenus accedere voluerint, ut de Electione probat *Text. in cap.quia propter de Elect. cap. quorum, eodem tit. Castellin. de elect. cap.8. num.7. Barbosa sup. cap.39. num.1. cum seq.*

At ubi non fuerint citati, neque vocati, non ex hoc actus dicuntur nulli in
16 ipso Capitulo gesti, quotiescumque ipsi Capitulares non citati, & vocati comparuerunt, & præsentes fuerint in Capitulo, undè amplius dicere non valent de nullitate ipsorum gestorum in Capitulo; nam per illorum comparitionem sanatur defectus citationis; & non
17 sine ratione, nam finis citationis est, ut partes benè sciant ad quem effectum sint citatæ, ideoque, stante comparitione, actus remanet validus, ex quo censetur adimpletus finis, *Fagn. in cap.cum ex injuncto de novi operis nunciat. n.51.* & in terminis *Card. de Luca de Canonic. & Capit. disc.37. num.10.*

Canonici absentes in tribus tantùm casibus sunt vocandi, per *Glossam* magistralem *in cap.2.de testibus in 6.* Et *pri-*
18 *mò* in Electione facienda de Episcopo, ad *Text. in cap. quia propter de Electio-*
19 *ne. Secundò* in receptione Canonicorum, aut collatione Beneficiorum, ad *Text. in cap.cum in Ecclesiis de Præbendis in 6. Tertiò* si cessare voluerint à Divinis, prout ex *Text. in cap. quamvis de offic. Ordinar. in 6., ibique Doctores.*

Addit *Felin. in cap. ad omnes de Constitut.* illos esse vocandos in omnibus
20 causis arduis, & majoribus; sed in hoc standum esse consuetudini cujusvis Cathedralis docet *Barbosa de potest. Episcop. part.3. quæst.7. num.9. Genuensis in practicab. Eccles. quæst.170. Fagnan. in cap. cum ex injuncto num.52. & 53. suprà.*

Absentium citatio, de qua supra, facienda erit de persona, & singulariter,
21 quando scitur ubi ipsi permaneat, ac comodè, & sine periculo citari valeant, ad *Text. in cap.cum olim de dolo, & contumacia, cap. venerabilis eodem tit.* latè *Sigismundus à Bononia de Election. dub.9. num.4.*

Quod si nesciatur, ubi morentur, citatio facienda erit per Edictum publi-
22 cum, puta in Ecclesia majori affigendum, vel in loco, ubi Canonici soliti sint commorari: & sic literæ citatoriæ Capituli debent legi citato Capitulo, ad *Text. in cap. fin. de eo qui mittitur in possess. l.4. §.Toties ff. de damno infecto*, ubi *Doctores.*

Si verò Canonicus citandus inveniri non possit, tunc citatio facienda erit ad
23 valvas domus ejusdem, ad *Text. in cap. causam, cap. venerabilis de dolo, & contumacia, Barbosa suprà cap.39. n.5.*

Canonicus absens, ut suprà, pro electione facienda, unum, vel plures con-
24 stituere valet Procuratores, qui pro ipso Constituente votum in Capitulo præstent, ad *Text. in cap. si quis de Elect. in 6.*

*in 6. Sigismundus suprà dub.*14. *Rota coram Ubaldo in una Calaguritana Beneficii* 13. *Novembris* 1620. *inter ejus impressas decis.*580., ubi fuit dictum,
25 tria requiri, ad hoc ut votum Canonici absentis per Procuratorem possit sustineri. Primò, quod Procurator sit de loco, ubi vocari possit, & ita sentit *Rota recent. part.*19. *decis.*141. *n.*10. Secundò, quod ipse Canonicus absens accedere non possit ad Capitulum. Tertiò, quod Procurator habeat mandatum ad jurandum super dicto impedimento allegato.

Procurator, de quo suprà, debet constitui unus de Collegio Canonicorum,
26 non autem extraneus, ea ratione, ne extranei sciant facta Capituli, ad *Text. in d. cap. quia propter*, §. *Illud*, ibi : *Et tunc si voluerit, committat uni de ipso Collegio, vicem suam.*

Procurator de Collegio simpliciter constitutus à Canonico absente in casu
27 electionis, non valet eligere duos, unum suo nomine, & alterum nomine Constituentis, ad *Text. in cap. si quis* §. *Porrò de Elect. in 6.*, *Sigismundus suprà dub.*14.

Imò, ubi Canonicus absens aliquem non invenisset in Capitulo, qui vellet
28 suo nomine agere, cùm ipsi de Capitulo in hoc non possint compelli, ut notat *Glossa in d. cap. quia propter* §. *Illud*.

Nec Canonicus absens valet alium
29 deputare, extra gremium Capituli, ut *in d. cap. si quis* §. *Absens*.

Tunc pro illa vice amittit jus sibi
30 competens, quatenus de persona accedere noluerit.

Canonici absentes in electione Vicarii Capitularis non possunt præstare eo-
31 rum votum per Procuratorem, ad normam *Text. in dicto cap. quia propter de Elect.*

Nisi concurrente legitimâ consuetudine in contrarium, legitimè præscripta. Quod intellige de absentibus, sed intra Provinciam existentibus. Dixi dummodo Canonicus absens adsit in
32 Provincia, nam magna distantia tollit Canonico absenti facultatem deputandi Procuratorem, *Rota recent. part.*19. *decis.*141. *num.*11., & quod ipsi Cano-
33 nici absentes fuerint legitimo impedimento detenti, quod probandum erit, ut docet *Sacra Congreg. Concil. in una Hidruntina* 11. *Aprilis* 1699. Vide quæ *nos* latè *in sequenti Disceptatione* circà hoc, *Rota d. decis.*141. *num.*12., ubi habetur, impedimentum adesse debere de tempore deputationis Procuratoris.

Quoad quartum: Quinam præstare valeant eorum votum in Capitulo, & è contra, quibus hoc denegatum sit, licèt sint de Capitulo?

Et quod respicit primam partem, omnes Canonici votum suum præstare
34 valent; nam statim, ac quis possessionem adeptus fuerit stalli Canonicalis, uti de gremio Capituli potest ea agere, quæ sunt de juribus Canonicorum, *Abbas in cap. dilectus de præbendis num.*7. *Rota coram Cavaler. decis.*109. *num.*8.

Quod videtur habere locum, etiamsi fuerint plures fratres de gremio Capi-
35 tuli; nam adhuc omnes vocem habent in illo, & sic omnes possunt præstare illorum suffragium in actibus Capitulariter gestis, *Sacra Congreg. Concil. in una Vercellen.* 23. *Augusti* 1631. *Fesulana* 4. *Maji* 1639. *Hidruntina* 27. *Martii* 1653. *Lauden.* 13. *Februarii* 1689.

Sequitur, ut videamus de his, qui licèt sint de Capitulo, votum suum præstare nequeunt in actibus Capitularibus, & per nos per modum Synopsis quamplures enumerantur. Et

Primò: Veniunt exclusi nondum
36 Constituti in Sacris Ordinibus, ad normam *Text. in Clem. ut hi de ætate, & qualit. Pignatell. consult. Canonic. tom.*1. *consult.*325. *per Trid. sess.*22. *cap.*4. *de Reform.*

Sed hoc intellige, nisi aliter esset de
37 consuetudine legitimè præscripta, *Sacra Congreg. Concil. in una Romana* 8. *Martii* 1664. *Pignatell. suprà num.*4.

Sicuti pariter ubi quis fuerit dispensatus à Papa, ut possit obtinere Cano-
38 nicatum in Cathedrali, licèt non habeat ætatem legitimam, juxta disposita per sacros Canones, & Tridentinum, *Sacra Congreg. Concil. in una Reatina* 10. *Julii* 1627. *Montis Politiani* 13. *Januarii* 1529. *Patavina* 22. *Augusti* 1648.

Secundò: Veniunt exclusæ Dignitates Præbendâ Canonicali carentes; nam
39 per ea, quæ suprà demonstravimus, Digni-

gnitates regulariter non dicuntur de Capitulo, sed tantùm Canonici habentur ut membra Capituli, & Dignitates potiùs sonant in Officium, nisi annexam quoque habeant Canonicalem Præbendam ipsimet Dignitati, *Abbas in cap.* 1. *& cap. scriptum, cap. inter de Elect. Barbosa de potest. Episcop. alleg.*3.*n.*18. *& nos in præcedentibus*.

Tertiò: Portionarii, Beneficiati, Cappellani, Mansionarii, & similes,
40 licèt provisi in titulum, vocem non habent in Capitulo, & actibus Capitulariter gestis, *Gratian. disc. forens. c.*397. *à num.*57. *cum seq. Barbosa suprà n.*16. *Card. de Luca de Canonic. & Capitul. disc.*40. *num.*6.

Ratio ea est, quia Portionarii, & similes, habentur uti Ministri Canonicorum, *Cavaler. decis.* 57. *de Luca d.*
41 *num.*6. Privilegio tamen, Statuto, aut Consuetudine existente, possunt non solùm Portionarii, aut cœteri, de quibus supra præstare eorum votum in Capitulo, sed etiam alii, *Card. de Luca de Canonic. & Capit. disc.*19. *num.*7., *& disc.*20. *num.*6., *& Sac. Rota recent. part.*1. *decis.*296. *& part.*2. *decis.*708., & alibi passim per *Doctores*.

Quartò: Canonicus Coadjutor vocem non habet in Capitulo, & actibus
42 Capitularibus; etenim licèt obtinuerit gratiam Coadjutoriæ à Papa cum futura successione; attamen non dicitur adhuc verus Canonicus; hinc quando intervenit Canonicus Coadjutus, Coadjutor non potest interesse in illo, ad hoc ut præstet suum votum, *Sacra Congreg. Concil. in una Narnien.* 5. *Maji* 1646., *&* 22. *Septembris ejusdem anni*.

Quintò: Promotus ad sacrum Subdiaconatus ordinem, illegitimè, subre-
43 ptitiè, & ante legitimam ætatem, cum dicatur de jure suspensus juxta Constitutionem Pii II. quæ incipit: *Cum ex Sacrorum*, proindè, uti suspensus non erit admittendus ad Capitulum, ad effectum præstandi suum suffragium in illo, *Lavor. lucubrat. Canonic. tom.*1., *tit.*4. *cap.*15., & *Doctores passim*.

Sextò: Excommunicati, & innodati majori excommunicatione, tamquam
44 abscissi à mystico corpore Ecclesiæ, non erunt admittendi in Capitulo, & actibus Capitularibus, *Glossa in cap. unico Ne sede vacante in* 6. *DD. in cap. illa quotidiana de Elect.*

Sed hoc intellige, dummodo excom-
45 municatio fuit deducta in judicium, *Card. de Luca de Canonic., & Capitul. disc.*27. *num.*19.

Septimò: Veniunt exclusi suspensi,
46 seu per Judicem depositi, mediante illius sententiâ, ipsa suspensione durante, ad *Text. in cap. cum dilectus de consuetudin. Ricciull. de jure person. lib.*4. *cap.*3. *num.*9. *Lavor. suprà num.*61., & *Doctores passim*.

Octavò: Interdicti non erunt admit-
47 tendi ad Capitulum atque actus Capitulares, cum eisdem hoc de jure denegatum existat, ad *Text. in cap. cum inter de Elect. Petrus Gregor. de Elect. cap.*7. *num.*9. *Lavor. suprà num.*67. ad *Text. in cap. is, qui de Sentent. excommunic. in* 6.

Nonò: Veniunt exclusi etiam ii, qui ob delictum privati fuerunt voce acti-
48 vâ, ac facultate præstandi eorum votum in Capitulo: nam hoc casu non erunt admittendi, quia aliàs esset inutilis illorum admissio, ad *Text. in cap. bonæ memoriæ de Elect. Lavor. suprà tit.*4. *cap.*21. *num.*46.

ARGUMENTUM.

Capituli Cathedralis Ecclesiæ facultas, & jurisdictio quæ sit, Sede Episcopali vacante, ibique de Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ, adhuc vacante Sede.

SUMMARIUM.

1 *Episcopo naturaliter, vel civiliter mortuo, jurisdictio ordinaria transit in Capitulum Cathedralis, non verò delegata*, & num.4. juncto num.7.

2 *Capitulo quænam competant facultates, Sede Episcopali vacante*, & n.3. & num.8. cum seqq.

5 *Capitulum, Sede Episcopali vacante fundatam habet intentionem super jurisdictione ordinaria, usquequo con-*

contrarium doceatur ex privilegio, consuetudine immemorabili, vel quadragenaria cum titulo.

6 *Jurisdictio ordinaria, Sede Episcopali vacante, potest alteri ex legitimo titulo competere, quàm Capitulo.*

18 *Capituli Ecclesiæ Collegiatæ facultas expenditur, Sede Abbatiali vacante.*

DISCEPTATIO XXXVI.

VAcante Sede Episcopali Cathedralis Ecclesiæ, vel ob mortem naturalem, aut civilem, aut ob aliam causam, sui Sponsi, Ecclesia ipsa dicitur viduata; unde ne illa patiatur detrimentum aliquod in spiritualibus, ac populus eidem commissus sentiat incommoda, & languores ob deficientiam proprii Pastoris, jura nostra sanxerunt, ut jus, & facultas, quæ competebant Episcopo in jurisdictionalibus, pertranseant ad ipsum Capitulum in quampluribus.
1

Inter jura, & facultates, quas habet Capitulum Sede Episcopali vacante, illud primum est, Diœcesim visitare, ac debitas procurationes recipere, cum non debeat propriis sumptibus militare *Rota recent. part.15. decis.62.num.28.*
2

3 ac etiam extra visitationem de delictis cognoscere, & contra imputatos de crimine procedere, *Rota coram Buratto decis.504. in annot. num.13., & recent. part.3. decis.166.num.1. cum pluribus sequentibus, & coram Merlino decis.84. num.1.*

Quod Capitulum ipsum succedat in
4 jurisdictionalibus, non videtur dubitandum, & ita *Doctores communiter cum Sac. Rota recent. part.2. decis.632.n.4. & coram Dunoz. Jun. decis.706. n.18. 780. n.2. 870. n.6. 899. n.9., & 995. num.4.*

Habet Capitulum ipsum jurisdictionem in jure fundatam, ut demonstravi-
5 mus cum Sacra Rota; ac proindè contrarium prætendens debet docere de suo bono jure, vel quia habeat privilegium pro se, aut præscriptionem immemorabilem, vel quadragenariam cum titulo, ut benè *Sac.Rota coram Emerix Jun. decis.696. num.1. & 2.*, ubi alii *Doctores*.

Quod talis jurisdictio devolvi possit
6 ad Archidiaconum, tenet *Rota coram citato Dunoz. Jun. decis.731., & 764. num.1.*, ubi quod sufficit quadragenaria absque titulo; Actus tamen jurisdictionis exerciti per ipsum, non indigent præsentia alterius, *Rota dicta decis.696. num.11.*

Quamvis per ea, quæ diximus, Capitulum ipsum vacante Sede, succedat in
7 jurisdictione Episcopi; attamen hoc videtur habere locum, ubi agitur de jurisdictione ordinaria, quod secùs est ubi ageretur de jurisdictione delegata ipsi Episcopo debita per plura decreta adducta à Tridentino, *Rota coram Celso decis.68. num.9.*

Ratione jurisdictionis acquisitæ per vacationem Ecclesiæ, valet Capitulum
8 admittere fundationem Beneficii, *Rota coram Arguell. decis.72. num.11. & 12. & cor. Ottbobono dec.220. n.2.*

Sicuti pariter videtur posse facere
9 Collationem necessariam, ut notat *Rota coram Millino decis.32. num.1. Dunoz. Jun. decis.706. num.22.*

Potest Capitulum ipsum, vacante
10 Sede, nova statuta condere etiam contraria statutis ab Episcopo prius editis, *Rota coram Dunoz. Jun. decis.870. n.6.* ubi *Doctores*. Limita ut *ibid. num.7.* & amplia ut *num.8.*

Undè valet condere statuta super bo-
11 nis existentibus in ejus dominio, *Rota coram Dunoz. Jun. decis.841. num.1.*, ubi alii *Doctores*.

Inter cętera munia, quæ sunt de jurisdictione Capituli, vacante Sede, il-
12 lud est, deputandi Vicarium Capitularem, scilicet, qui pro toto Capitulo curam gerat Ecclesiæ, quod non solum videtur procedere de jure communi, sed ex dispositione *Tridentin. Rota coram Coccino decis.2138.num.4. & coram Ottbobono decis.220.num.1.*, ubi *Doctores*. De quo nos infra ubi latè *Discept.37.*

Potest pariter Capitulum ipsum dare licentiam alteri Episcopo, ut possit te-
13 nere Ordinationem, pueros confirmare, & dispensare in sua Diœcesi, *Rota coram Puteo decis.407.num.2.lib.2.*

Valet indicere publicas processiones,
14 cum indicere processiones sit actus jurisdictionis, *Rota coram Dunoz. Jun. decis.*

decis.996. num.9., ubi *Doctores*, & nos alibi.

Sede ipsa vacante potest sindicare Fi-
15 scalem Episcopi prædefuncti, & ubi il-
lum reperierit reum delicti, debitis pœnis punire, ut benè *Rota part.3. recent. decis.166. num.3.*, ubi *Doctores*.

Capitulum Cathedralis, ut suprà, vacante Sede, licèt ratione communio-
16 nis bonorum succedat in administratione, non autem succedit in dominio fructuum, undè de fructibus receptis de tempore vacationis, reddere rationem tenetur, *Rota recent. part.5, decis.414. num.30.*

Nisi fructus proveniant ex re Indivi-
17 dua, nam tunc dicitur Dominus quoad partem sibi debitam, *Rota d.dec.414. num.29.*

Sequitur, ut de Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ, Sede vacante, aliquid di-
18 camus. Capitulum ergo ipsum Sede Abbatiali vacante habet in facultatibus visitare suos Subditos, & procedere in omnibus, quæ spectabant ad Abbatem in jurisdictionalibus verò tantum, *Rota recent. part.1. decis.346. num.3.* Quod videtur limitatum ibi *n.4. & 5.*

Illud subest jurisdictioni Capituli Cathedralis, ejusque Capitularibus Vicariis, *Rota cor. Otthobono decis.220. num.1.* ubi *Doctores*.

ARGUMENTUM.

Capituli Cathedralis munera quæ sint, Sede Episcopali vacante, ubi signanter circa ea, quæ respiciunt deputationem Vicarii Capitularis, ubi latè ad materiam ipsam vide.

SUMMARIUM.

1 *Capitulum, ubi vacaverit Sedes Episcopalis, quænam facere teneatur*, & num.2. & seq.

4 *Capitulum, quatenus vacaverit Sedes Episcopalis, tenetur præcipuè eligere Vicarium, aliàs hujusmodi electio devolvitur*, & num.5. & 6.

7 *Jus deputandi Vicarium Capitularem devolvitur ad Metropolitanum, si Capitulum elegerit minus idoneum, vel Ecclesiasticis censuris reperiatur irretitum*, & num.8.

9 *Vicarius Capitularis eligi debet qui in publica Universitate Lauream Doctoralem fuerit assecutus, nec sufficit privilegium Ducis Sfortiæ, aliàs electio nulla erit*, ut num.10. & seq.

Intellige, ut num.12.

14 *Electio Doctoris, ac respectivè non Doctoris facta in discordia Eligentium Vicarium Capitularem neutra subsistit.*

15 *Vicario Capitulari non Doctori, electo in defectu Doctorum, dandus est consultor.*

16 *Capitulum in electione Vicarii Capitularis tenetur præeligere personam idoneam de gremio Capituli, cæteris paribus.*

17 *Vicarius Capitularis eligi nequit is, cui incumbit cura animarum.*

18 *Vicarius Capitularis eligendus est absque ulla conditione, vel reservatione, quæ ipso jure reiicitur*, & num.19, cum seq.

21 *Capitulum, eligendo Vicarium Capitularem transfert in eundem universam Ordinariam jurisdictionem privativè.*

22 *Vicarium Capitularem num liceat removere, & à quonam remotio hujusmodi facienda sit*, & n.23. cum. seq.

25 *Ad electionem Vicarii Capitularis quinam admittendi sint*, & num.26. & seqq.

31 *Observantia minimè suffragatur, quæ non fuit pacifica.*

32 *Canonicus an possit in electione Vicarii Capitularis sibi accedere pro complendo majori numero suffragiorum.*

33 Text. in cap. quia propter & cap. Cumana de Elect. *explicatur.*

34 *Electio Vicarii Capitularis facienda est per secreta suffragia, vocatis omnibus de Capitulo*, & num.35.

36 *Canonici absentes an possint admitti ad electionem Vicarii Capitularis per Procuratorem*, & num.37.

38 *Vicarius Capitularis unus eligi debet, nisi duæ Cathedrales fuerint simul unitæ, vel de consuetudine aliter servetur*, num.39.

40 *Vicarius Capitularis eligi debet non ad tem-*

tempus, sed usqueque Ecclesia suo fuerit viduata Pastore.

DISCEPTATIO XXXVII.

Viduata Ecclesia Cathedrali suo proprio Pastore illius morte naturali, vel civili, aut alia causa, & genere va-
1 cationis, tunc illius jurisdictio devolvitur ad Capitulum, ita *Glossa ad text. in cap. his, quæ*, juncto *cap. cum olim de major. & obed.*, *cap. illa ne Sede vacante*, *Panvin. de offic. & potest. Capit. Sede vacante part. 1. quæst. 1. num. 5.* & *Doctores passim cum Sacra Rota recent. part. 19. decis. 251. num. 29.* hinc videre est, quæ sint munera subeunda per ipsum Capitulum, quæ omnia in sequentibus latè demonstrabimus.

Ante omnia tenetur Capitulum, imò vel statim debet conficere inventarium
2 de rebus omnibus per Episcopum relictis, ne bona ipsa pereant, ad *Text. in cap. charitatem 12. quæst. 2.*, ubi *Canonistæ*.

Pariter debet apponere unum, vel plures fideles œconomos deputare, qui
3 rerum Mensæ Episcopalis curam gerere valeant, ad normam *Tridentin. sess. 24. cap. 16.*, & *Doctores passim*.

Præcipuum verò Capituli munus est infra octo dies post mortem naturalem,
4 sive civilem ipsius Episcopi, seu illius depositionem, Vicarium, seu Officialem generalem eligere, qui præditus esse debeat omnibus qualitatibus à sacris Canonibus, & Tridentino requisitis, aliàs, ubi electio non fuerit sequuta infra dictum tempus dierum octo, jus deputandi illum devolvitur ad Metropolitanum, ad *Trident. d. cap. 16.* ibi = *Si secus factum fuerit, ad Metropolitanum hujusmodi deputatio devolvitur* = ubi *Barbosa*, *Fagnan. in cap. his, quæ num. 67. de major. & obed. Card. de Luca ad Trident. disc. 31. num. 5.*

Quoties verò Cathedralis Ecclesia fuerit Metropolitana, aut aliàs fuerit
5 immediatè subjecta S. Sedi; in utroque casu, ubi Capitulum fuerit negligens in eligendo ipso Vicario, tunc antiquior Episcopus, ex Episcopis in Metropolitana, aut vicinior Episcopus in Ecclesia Cathedrali exempta, & S. Sedi immediatè subjecta, Vicarium idoneum constituere valet in illa, ad *Trident. d. cap. 16. Card. de Luca de Præemin. disc. 7. n. 25.*, & *Doctores passim*.

Si verò Cathedralis Ecclesia careat Capitulo, tunc Vicarius eligendus erit
6 à Metropolitano, vel ejus Capitulo, quatenus Metropolitana quoque Ecclesia fuerit viduata suo Pastore, non autem ab Episcopo viciniori, *Barbosa de Canonicis, & Dignitat. cap. 42. n. 48. Card. de Luca d. disc. 7. num. 24., & d. disc. 31. num. 42. Sacra Congreg. Concil. ad dubia proposita 28. Augusti 1683. confirmata 14. Aprilis 1685.* & alibi.

Hoc idem videtur dicendum, ubicumque Capitulum Cathedralis non eligat idoneum Vicarium ad hoc munus;
7 nam hoc casu, cum habeatur, ac si non elegisset illum, jus devolvitur ad Metropolitanum, *de Luca d. disc. 31. n. 26.*

Nec non pariter, ubi Capitulum Ca-
8 thedralis fuerit censuris Ecclesiasticis innodatum, *idem de Luca d. disc. 7. n. 25.*

His positis de munere Capituli circa ipsam electionem faciendā; Sequitur ut
9 videamus, quibus qualitatibus præditus esse debeat eligendus in Vicarium. Et, inter cęteras qualitates, ille debet esse Doctor, & Doctoratus in publica universitate, vel Collegio, *Sac. Congreg. in una Elven. 17. Januarii 1643. Papien. 27. Julii 1657. Sac. Congreg. Episcop. & Regular. 19. Augusti 1667. Pignatell. consult. Canonic. tom. 1. consf. 224. & 311.*

Dixi: *in publica Universitate, vel Collegio*: etenim quatenus quis fuisset
10 Doctoratus à personis privatis, uti de Doctoratis à Comitibus Palatinis, ab Excellentissima Familia Sfortia, vel similibus, illius electio est nulla, ut notat *Barbosa de Canonic., & Dignitat. cap. 42. num. 51. Card. de Luc. de Canonic. & Capit. disc. 24. num. 6. Sac. Congreg. Concil. 19. Septembris 1620., & in una Clusina 21. Februarii 1682.* ibi *Sacra &c. mandavit cassari, & annullari electionem Camilli Nardi in Vicarium Capitularem, habentem privilegium Doctoratus à Duce Sfortia*, & 11. *Aprilis ejusdem anni* reproposita causa, Sac. Congreg. rescripsit = *Nihil*.

Attamen ne mireris amicè Lector, si Sa-

si Sacra Congregatio resecavit Doctoratum à Familia Sfortia, neque exinde
11 posse dici, dictam Familiam non habere ampliùs Jus Doctorandi, ut à quampluribus intellexi deceptis auctoritatibus prædictis: Etenim licèt Sac. Congreg. non approbaverit electionem prædictam, jure merito hoc fecit; nam ad Dignitates Ecclesiasticas, qualis est Vicariatus, non sunt admittendi illi, qui lauream Doctoralem non adepti fuerint in publica Universitate, vel Collegio, ut habetur ex *Constitutione S. Pii V.* incipiente: *Quamvis à Sede &c.*

Et in omni casu, quo Capitulum eligat non Doctorem, rejecto Doctore in
12 utroque Jure, vel saltem in Jure Canonico, electio est nulla uti facta contra formam præscriptam à *Trid. d. cap. 16.* Sed hoc intellige, posito quod in Capitulo adsit Canonicus Doctor; nam aliàs sufficit, ut eligatur, quantum fieri potest, idoneus, *Barbosa d. cap. 42. n. 49. & 50. Riccius in praxi resol. 497. n. 2., Pignatell. consult. Canonic. tom. 1. cons. 317., & tom. 7. cons. 4. Card. de Luca de Canonic. & Dignitat. disc. 24. n. 8., & disc. 25. n. 2., Sacra Congreg. Concil. in una Craten. 15. Octobris 1644.*

Sufficit verò si eligatur Doctor in
13 Sacra Theologia, *Sacra Congreg. Episcop. & Regular. in una Mindonien. 4. Aprilis 1664.*

Nota ad articulum hunc. Duo fuerunt electi, unus à minori parte, & erat
14 Doctor, alter à majori parte, & non erat Doctor, quænam electio erit sustinenda? & neutram esse sustinendam rescripsit *Sacra Congreg. Concil. in una Acernen. Vicarii Capitularis 23. Febr. 1709., Nazarena Vicarii Capitularis 11. Septembris 1717.*

Posito quòd eligatur non Doctor, eo quia in Capitulo nullus adest, qui sit
15 Doctor: hoc casu in actu deputationis dandus est ei Consultor, qui sit Doctor, alioquin illo non deputato à Capitulo, est in facultatibus ipsius electi in Vicarium sibi eligere Consultorem sibi benè visum, & Capitulo non suspectum, *Sbrozius de Offic. Vicarii lib. 1. qu. 36. n. 13., Quaranta in summa Bullarum verbo Capitulum Sede vacante n. 3. Garz. de Benefic. part. 5. cap. 7. n. 12.*

Capitulum quamvis non teneatur eligere illum in Vicarium, qui sit de gre-
16 mio Capituli; attamen, si in Capitulo adesset idoneus, cæteris paribus præferendus est ille, qui est de Capitulo, *Garz. de Benefic. part. 5. cap. 7. n. 13.*

Non potest Capitulum eligere in Vicarium habentem curam animarum, nisi
17 curam ipsam gerat in eadem Civitate, & Ecclesia, *Barbosa sup. cap. 42. n. 38. Sacra Congreg. Episcop. & Regular. in una Orien. 19. Martii 1619.*

In ipsa electione, & deputatione Vicarii, non potest Capitulum sibi reser-
18 vare facultatem signandi supplicationes, distribuendi conciones, vel habendi superintendentiam Seminarii, & ita de similibus, *Sacra Congreg. Concil. in una Tudertina 11. Decembris 1654.*

Neque sibi reservare valet jus cognoscendi de causis suspicionis ipsius Vica-
19 rii jam electi, neque faciendi gratiam condemnatis ab eodem, & ita de similibus.

Adeout, ubi quis fuerit electus in Vicarium cum iisdem conditionibus,
20 potest liberè uti suâ jurisdictione, ac si conditiones ipsæ in hujusmodi electione non fuissent appositæ, *Pellegrin. in praxi Vicar. part. 1. sect. 4. subsect. 1. n. 28. Sacra Congreg. Episcop. & Regular. in una Venusina 14. Novembris 1698.*

Ratio supradicta est, quia Capitulum, Sede vacante, transfert in Vicarium ab
21 eo electum omnia sua jura privativè cum omnimoda jurisdictione, quæ penes ipsum Capitulum residebat, *Pellegrin. suprà n. 36. Sacra Congreg. Episcop. in una Hidruntina 1. Octobr. 1655.* Concordat Constitutio *Innocentii XII.* quæ incipit: *Cum Ecclesiæ*, ubi damnat pacta juri contraria, non apponenda in electionibus Capitularibus.

Factâ electione Vicarii Capitularis, non valet amplius Capitulum ad sui li-
22 bitum revocare illam, & novum constituere Vicarium; nam licèt electio fiat à Capitulo, illa facta videtur in exe-
23 cutionem præcepti à Tridentino suprà demandati, ut notat *Riccius decis. 187. part. 4. Barbosa de potest. Episcop. alleg. 54. num. 171.*, ubi *Doctores.*

Revocari tamen potest deputatio ipsa ex causâ benèvisâ Sacræ Congrega-

tionis,ut ſæpè accidiſſe teſtatur *Barboſa ſuprà cap.42. num.47.* Quod ſecus eſt
24 in Vicario electo, & deputato à Metropolitano in vim *d.cap.16.Tridentin. Sacra Congreg. Concil. in una Limana 29. Septembris 1625. Barboſa de Jure Eccleſ. lib.1. cap.32. num.48.*

Sequitur ad materiam prædictam, ut videamus quinam veniant ſub hoc nomine *Capituli* in electione ipſa facienda de Vicario Capitulari; Et dicimus re-
25 gulariter ſub hoc nomine tantùm comprehendi Canonicos de ipſo Capitulo, cùm ipſi ſoli veniant uti membra hujus myſtici corporis, quorum Canonicorum, & Capituli caput eſt Epiſcopus; unde ipſi tantùm admittendi erunt ad præſtandum eorum ſuffragium,ad *Text. in cap.requiſiſti de teſtam.* ibi = *Apoſtoli conjugio, Rota recent. part.19. dec.251. n.2. & per totam, & n.27. cum ſeq.*

An autem veniant Dignitatem habentes in Capitulo? Et certè quod non;
26 nam dignitatem obtinentes, dicuntur tàntùm habere officium, ut *nos ſupra de Dignitatibus.*

Sed hoc intellige, niſi habentes dignitatem habeant quoque & Præben-
27 dam Canonicalem cum ſtallo in Choro, undè dicantur Dignitates præbendatæ, *Rota coram Celſo deciſ.168. n.10.*, ubi *Doctores.*

Ea enim eſt mens *ſacroſancti Concilii Tridentini d. cap.16.* interpretante *Sacra Congregatione Eminentiſſimorum Cardinalium die 13. Septembris 1647.*, ut ſcilicet electio Vicarii Capitularis ad ſolum Capitulum Canonicorum pertineat, excluſis aliis Beneficiatis,Portio-
28 nariis, & Capellanis, licèt iidem haberent vocem in Capitulo cum Canonicis, cum in diſpoſitionibus pertinentibus ad Capitulum veniant Canonici ſoli, & non alii, qui de conſuetudine vocem habent in Capitulo, ut notat *Fagnan. in cap. nullus n.39. de Elect. Marchett. in praxi Vicar.Capit. part.1. tit.1.n.87. Antonell. de Regimine Eccleſ. lib.4.cap. ult. n.40. Card. de Luca de Canonic. & Capit.diſc.28.n.6. Rota recent.part.19. deciſ.251. num.27.*

Quod quidem magis procedit, ubicumque conſtat, Vicarium Capitula-
29 rem ſemper fuiſſe electum ab immemorabili ab ipſis ſolis Canonicis, aliis excluſis, *Rota d. deciſ.251. num.31.*

Licèt autem in electione ipſa Vicarii, juribus per nos adductis, veniant ſolùm Canonici, non autem alii, licèt de Capitulo; hoc tamen videtur limi-
30 tandum, ubicumque adeſt conſuetudo in contrarium legitimè præſcripta; nam tunc Capitulum non poteſt in illorum præjudicium, illiſque inconſultis Vicarium eligere, ſed talis conſuetudo venit ſervanda, *Sacra Congreg. Concil. in una Nullius Altamuræ 9. Decembris 1690.*, & *4. Aprilis 1693.*, & in altera *Caſtellanen. 1.Decembris 1696.*

Sed hoc intellige, ubi cæteri de Capitulo pacificè Jus ipſum habent,
31 quod ſecùs,ubi obſervantia non eſt pacifica, *Sacra Congreg. Concilii in dicta Nullius Altamuræ 4. Julii 1701.*

Sequitur ut videamus, an in hujuſmodi electione, poſſit unus de Cano-
32 nicis accedere ſibi ipſi cum ſuo voto, & ſic ubi fuerint quindecim vocales, ex his ſeptem eligant Petrum, ſeptem alii Paulum, poſſit ne ipſe Petrus accedere ſibi ipſi cum ſuo voto, ad hoc ut dicatur habere majorem partem ſuffragiorum; & affirmativam ſententiam ſuſtinet *Card. de Luca de Canonic. & Capit. diſc.26. num.6.*, & ita *Rota recent. part.9. deciſ.367. num.8. & 9. & part.19. deciſ.141. num.23. Sacra Congr. Concil. in una Materanen. 1632. relata à d. de Luca ſup. n.4. ad Text. in cap. cum de Jure de Elect.* ubi *Doctores.*

Neque obſtat *Text. in cap. quia propter, cap.Cumana de Elect.*, ex quibus juribus habetur, votum proprium non eſſe computandum: nam ſupradicta ju-
33 ra loquuntur de Electione Prælati præficiendi Eccleſiæ viduatæ,quæ non erunt applicanda; ubi agitur de Electione Vicarii, ut in præciſis terminis deputationis Vicarii Capitularis docet *Garzias de Benefic. part.5. cap.7. num.22. Card. de Luca d. diſc. num.4. & 5. Rota recent. part.6. deciſ.289. num.30.& part.9. deciſ.210. num.9.*

Electio prædicta erit facienda per ſecreta ſuffragia, nam aliter magna orîretur inimicitia inter Vicarium electum,
34 & illos, qui ei non præſtiterunt eorum ſuf-

suffragium, undè alias erit nulla electio: ita *Pellegrin. in praxi Vicar. part. 1. sect.4. subsect.1. num.8. Sacra Congreg. Concil. in una Melevitana 23. Novembris 1697., & in eadem 20. Septembris 1698. Alexanen. Vicarii Capitularis 17. Decembris 1712.*

In ipsa Electione habenda vocandi erunt omnes de Capitulo, & sic Cano-
35 nici; nam aliàs Electio aliter facta erit nulla, ut docet *Barbosa de potest. Episc. alleg.54. n.162. Pellegrin. sup. num.8. Card. de Luca ubi suprà.*

Canonici absentes stricto jure non
36 sunt admittendi ad præstandum eorum votum per Procuratorem, ut dicit *Glossa in sæpius citato cap. quia propter.*

Nihilominus, si consuetudine legiti-
37 mè præscripta aliter videtur inductum, servanda erit, *Sacra Congreg. Concil. in una Hidruntina 11. Aprilis 1699. Rota recent. part.14. dec.371. num.4.*

Ipsi Canonici unum tantùm Vicarium eligere debent, non autem plures; nam sicuti unus est Vicarius Generalis, ita talis debet esse Vicarius Capitularis; attamen si plures fuerint Diœceses unitæ, tunc in qualibet ipsarum depu-
38 tandus erit Vicarius Capitularis, quilibet à suo Capitulo eligendus, dummodò unio Cathedralium facta fuerit æquè principaliter, *Barbosa d. alleg.54. num.165. Card. de Luca ad Tridentin. disc.31. num.42., idem de Præbendis disc.27. num.23.*

In illis verò Diœcesibus, ubi ex consuetudine legitimè præscripta introdu-
39 ctum est, ut eligantur duo Vicarii, tunc illi non debent jurisdictionem, & officium vicissim exercere, sed alter exercere debet in defectum alterius, videlicèt, ubi fuerit infirmus, absens, aut legitimè impeditus, *Fagnan. in cap. his quæ de major. & obed. Barbosa de Canonic. & dignit. cap. 42. num.33. Sacra Congreg. Concil. in una Nullius 28. Julii, & 28. Augusti 1689.*

Vicarius non erit eligendus ad certum tempus, sed pro integro tempore
40 vacationis Ecclesiæ (licèt antiquitùs hoc videbatur permissum) & non sine ratione hoc interdictum fuit, ne Vicarius iste electus, timore ne amoveretur non faceret ea contra Capitulares, quæ de jure teneretur facere; ac proindè statim, ac fuerit electus, non est amovendus, usquequo Ecclesia non fuerit provisa de novo Pastore, *Sacra Congreg. Episcop. & Regul. in una Sutrina 14. Februarii 1653. Puteolana 14. Novembris 1659., Sacra Congreg. Concil. in una Nursina 3. Septembris 1647. Venusina 14. Novembris 1698. Pignatell. consult. 23. tom.1. Card. de Luca in Relatione Romanæ Curiæ disc.26. num.21.*



JOAN-

JOANNIS BAPTISTÆ
A R G Y R Ò
DISCEPTATIONES
ECCLESIASTICÆ,

De Parochis, Parochianis, & Parochialibus Ecclesiis, ubi quanta sit Parochorum dignitas, auctoritas, & potestas in eorum Ecclesia, & populo sibi eisdem commisso: ac pariter quale sit munus, onus, & qualis honor eorumdem. Demum nonnulla circa novam provisionem faciendam de Pastore, ubi Ecclesia eo fuerit viduata.

LIBER VII. DISCEPTATIONES XXXIV.

ARGUMENTUM.

Parochia, Parochus, Parochianus, & Parochialis Ecclesia undè hoc nomen habeant: ubi per trasennam, quinam possit esse Parochus.

SUMMARIUM.

1 *Parochus, Parochia, & Parochiani, nomina sunt correlativa.*
2 *Parochiæ nomen unde originem habeat.*
3 *Antiquitus universa animarum cura residebat apud Episcopos, qui eam per Clericos ad id suffectos exercebant, usquequo à tempore Dionysii Papæ distributa illa fuit singulis Parochis, sub certis designatis confinibus*, & num.4. & seq.
6 *Consuetudo quorumdam locorum, quod Parochiæ sint distinctæ per familias non est à jure improbata.*
7 *Parochus unde nomen trahat*, & n.9.
10 *Parochorum alii Plebani, alii Curati, alii aliis nominibus nuncupantur, & unde nomen hujusmodi derivaverint*, num.11. & seqq.
11 *Plebanus præest aliis Curatis ejusdem Plebis, ipsiusque Ecclesia veluti mater est aliarum.*
13 *Papæ commissa est cura universalis Ecclesiæ, quæ per Episcopos vocatos in partem solicitudinis ex ipsius Papæ commissione exercetur.*
14 *Parochiani quare sic dicantur*, & n.19.
18 *Parochiani à proprio Parocho tenentur Sacramenta suscipere.*
19 *Parocho debentur primitiæ, decimæ, atque oblationes, ratione administrationis Sacramentorum.*
20 *Parochiani reputantur, qui habitant intra fines Parochiæ.*
21 *Habitatio occasionalis aliquem non efficit Parochianum.*
22 *Habitans in confinio duabus Parochiis communi, cuinam Ecclesiæ censeatur subjectus.*
23 *Parochiæ definitio traditur.*
24 *Parochialis Ecclesia privilegiata est, ne intra suos fines alia Ecclesia, sive Oratorium construatur citra consensum Rectoris ipsius Parochiæ.*

DI-

DISCEPTATIO I.

QUia Parochia, Parochus, & Parochianus, sunt correlativa inter se, cùm non detur Parochia sine Parocho, nec Parochus sine Parochis, &
1 Parochianis, ita quoque nec Parochianus sine Parocho saltem virtualiter; è Parochia vero, & Parocho efformatur Parochialis Ecclesia; meritò de his singulis in hoc præsenti libro nonnulla verba faciemus, nisi ad saturitatem, saltem ad opportunitatem materiæ. Et primò in hac Disceptatione sermo noster erit, undè nomen sumpserit *Parochia*. Secundò unde nomen *Parochus*. Tertiò unde nomen *Parochianus*. Quartò unde nomen *Parochialis Ecclesia*.

Quoad primum: Parochia nomen
2 habet à verbo Græco *Paræcia*, quòd Latinè idem sonat, ac conventus accolarum, seu habitatio, aut Cura; vel secundùm alios Parochia dicitur quasi partitio Curæ, quia Rector Ecclesiæ curam habet Animarum totius Populi intra illos limites congregati, ad *Text. in cap.1. de Capellis Monach.*, *cap. cum singula de Præbendis in 6. Gonzalez ad Regulam octavam Cancellariæ, Glossa 6. n.39. Guttierex alleg.8. num.6. Lælius Zacch. de Reg. Eccles. cap.27. n.28.*

Dixi: *quasi partitio Curæ*; etenim licèt antiquitus Parochiæ non essent distinctæ, sed Episcopi dicebantur Cura-
3 ti, cùm tota cura animarum Diœcesis penes ipsos residebat, curam ipsam exercentes per alios Clericos, qui partem decimarum percipiebant, ad *Text. in cap.1.16. quæst.7. Gonzalez. suprà n.80.*

Deindè, cum augeretur Populus Christianus, Dionysius Papa XXVI. post S. Petrum, singulas Ecclesias sin-
4 gulis Sacerdotibus assignavit, ut unusquisque proprium haberet territorium, nec unus fines alterius ingrederetur, *Can.1. 16. quæst.1. cap. pastoralis de iis, quæ fiunt à Prælatis, Suarez de Religione to.1. tract. de decimis lib.1. cap.21. à n.4. Lotter. de re benefic. lib.1. cap.8. num.18.*

Undè *Tridentina Synodus*, *sess. 24. cap. 13. de Reform.*, annuendo huic Dionysii Papæ dispositioni mandat, quod in illis Civitatibus, seù Locis, ubi
5 adhuc Parochiæ certos fines non habent, nec eorum Rectores populum, quem regant, sed promiscuè petentibus Sacramenta administrant, ut Episcopus distincto populo in certas, propriasque Parochias, unicuique suum proprium, peculiaremque Parochum assignet, ita docet *Ugolin. de offic. Episcopi cap. 54. §. 2.*

Non videtur tamen derogatum per hujusmodi Conciliare decretum consuetudini illius loci, secundùm quam
6 Parochiæ non sint distinctæ per domos materiales, cum certo fine, sed distinguatur ipsa Parochia per certas familias, ut est Aquilæ, ubi Parochiæ non distinguuntur per domos materiales, sed per populos, seu familias, ut colligitur ex relatioue illius Episcopi facta Sacræ Congregationi Concilii de anno 1578. de qua *Tamburin. de Jure Abbatum tom.1. disp.14. quæst.1. n.11.* & ita Tolentini, ut mihi notum est, ubi Parochiæ sunt distinctæ per familias.

Quoad secundum, undè nomen *Parochus* descendat, videre est. Paro-
7 chus dicitur à *Paræcon* Græcè, quod Latinè idem sonat, ac *incola*, sive *habitator* in loco, *Pomponius in l. Pupillus ff. de verb. sign.* ibi: *Incola est, qui in aliquam regionem domicilium suum contulit, quem Græci Paræcon vocant*; vel à *Parochia*, seu *Paræcia*, ut *Budeus* vult, & hoc nomine usi fuerunt antiqui Christiani, ut docet *D. August. de Ci-
8 vitate Dei lib.14.* his verbis: *fuit Presbyter nomine Restitutus in Paræcia Calernensis Ecclesiæ.* Et verè Parochus dicitur *incola*, sive *habitator* in loco; nam præcipuum munus Parochorum est, residere in sua Parochia, vel intra limites illius, ut *nos infra Disceptat. 9.*

Ex hujusmodi Parochis aliqui vocantur *Plebani*, ad *Text. in c. Scriptum de Elect.*, qui videlicet curam exercent
9 animarum in Plebania habente sub se plures Ecclesias, sivè Capellas, *cap.1. ubi Glossa ne Clerici, vel Monachi in 6.*
10 Et tales dicti sunt à plebe, vel populo, qui sub eorum cura regitur, & se habet Plebanus cum cœteris Curatis unius plebis, sicut Archiepiscopus cum suffraganeis Provinciæ suæ; nam & ipsi visi-

Visitatores constituuntur, qui Vicos, & Castella in Episcoporum locum circumeant, *cap. non debere cum Glossa* 80.*dist.*

Et Ecclesia Plebani appellatur Ma-
11 trix, quasi mater Ecclesiarum, quas sub se continet.

Hujusmodi Plebanis competit tantùm jurisdictio fori pœnitentialis; ut
12 Parochis, & ideo inter Parochos, & Plebanos nulla datur differentia, ut docet *Filesac. in tract. de Parœcia cap.* 3.

Curati alii appellantur à cura, quam de Regendis ovibus susceperunt, & non
13 sine mysterio; etenim, sicut Papæ commissa est Cura universæ Ecclesiæ à Christo Domino, ibi: *Pasce oves meas: Jo:21.*, sic ipse Papa vocans Episcopos in partem sollicitudinis, seu curæ, ex Divina ordinatione iisdem Episcopis committit particulares Ecclesias, sive Diœceses pascendas, & curandas: Sic demum ipsi Episcopi, domino instituente ordinem Presbyterorum, seu Curatorum in illis septuaginta discipulis (ut
14 Patrum est doctrina) iisdem curam singularum Parochiarum committunt, à quibus solis Parochiani, seu Filiani Sacramenta suscipiant, ad *Trid. sess.* 24. *cap.*13. *de Reform.*

Rectores quidam dicuntur, quia ple-
15 bem, & populum sibi ipsis commissum cum cura regunt, ad *Text. in cap.* 1. *de Capellis Monach.*, *cap.* 3. *de vita, & honest. Cleric.*, ubi *Doctores*. Eorumque
16 beneficium Rectoria dicitur, ad *Text. in cap. ult. de Præbendis*, *Petrus Gregor. Syntagm. Juris lib.*15.*cap.*14.*n.*10.

Quoad tertium, nempè de Parochianis, hoc nomen *Parochianus*, ortum
17 etiam habet à verbo *Parœcia*, seu *Parochia*; etenim isti Parochiani subsunt curæ illius Parochiæ, & Parochi, in qua morantur, cum districtus Parochiæ
18 habeatur pro territorio; undè illi Sacramenta non ab alio recipere valent, quàm à proprio Parocho, cum illorum Pastor, & Rector de jure dicatur, ut *nos infra Discept.* 6. Eidemque debentur decimæ, primitiæ, & oblationes,
19 ut *nos infra Disceptat.*12. *&* 13. Propterea meritò Parochiani, seu Filiani, quasi filii spirituales nuncupantur.

Parochiani igitur dicuntur omnes
20 habitatores intra limites Ecclesiæ Parochialis, *Card. Tuscus litt. P. Conc.*99.

Ad hoc verò, ut quis efficiatur Parochianus alicujus Parochiæ, & Parochiæ, ac Parocho acquiratur jus erga illum, requiritur ex parte novi habitatoris animus permanendi in illa, ac con-
21 stituendi ibi domicilium; nam qui aliter intra limites alicujus Parochiæ existunt ex accidenti, puta causâ alicujus negotii, itineris, infirmitatis, & similium, hoc casu non valent dici Parochiani, seu Filiani illius Parochiæ, in qua existunt, ad *Text. in cap. is, qui de Sepult. in* 6. *l. domicilium ff. de municip.*, *Barbosa ad Tridentin. sess.*24. *cap.*1. *de Reform. Sacra Congreg. Concil. in una Mediolanen. de mense Augusti* 1661. *Rota in una Romana jurium Funeralium* 4. *Julii* 1653. *coram Zarata*, ubi latè ad materiam, *Gratianus discept. forens. cap.*94. *n.*74. *Marescottus var. resol. lib.*2. *cap.*65. *n.*11. *Fagnan. in cap. significavit de Parochis num.*21. *&* 84. *Sperell. decis.*87. *n.*5.

Si verò quis habitaverit in confinio duarum Ecclesiarum Parochialium,
22 censetur Parochianus, seu Filianus illius, in qua domus habet aditum nobilem, *Riccius decis.*333. *Barbosa de Episcop. alleg.*32. *num.*71., & nos alibi.

Demum, quoad quartum, dicimus quòd à Parochia, & Parocho dicitur
23 Parochialis Ecclesia: quæ quidem habet jus consistens in cura animarum ipsorum Parochianorum, certis limitibus constituta, ipsis Sacramenta ministrans, proprium habens Rectorem, quocumque nomine vocetur, ita *Abbas in Rubrica de Parochis*, *Carac. de juribus Paroch. tit.*1.*cap.*3. *Bellamera consult.*38. *num.*8. *Guttierez alleg.*8. *num.*6.

Quæ quidem Parochialis Ecclesia gaudet privilegio, ne intra suos fines,
24 alia Ecclesia, seu Oratorium publicum, aut Capella constituatur, aut ædificetur, invito ejus Rectore *cap. quicunque* 16. *qu.*1., & *nos* latè *tit. de Ecclesiis, cęterisve Locis piis*.

AR-

ARGUMENTUM.

Parochorum onus, & Cura quanta esse debeat circa Oves sibi commissas, & quid ubi malè se gesserint. Demum quæ officia exercere nequeant, ne distrahantur à Cura.

SUMMARIUM.

1 *Animarum cura quàm formidabilis sit, latè expenditur*, & num.2. cum seqq.
4 *Parochorum onera recensentur*.
11 *Animarum cura summa cum maturitate assumenda est, propter ingentia, quæ illi inhærent onera*, & num.12.
13 *Monita quædam pro Parochis*, & n.14. cum. seq.
18 *Parochus nequit esse Confessarius Monialium*.
19 *Itèm nèc Vicarius Generalis, vel Capitularis*.
20 *Nec Rector Seminarii*.
21 *Rursùs nec potest Subcollectoris munus exercere*.
22 *Ulterius nèc subire munus Concionatoris Quadragesimali tempore in aliena Ecclesia*.

DISCEPTATIO II.

Quàm grave sit Parochorum onus circa curam Populi sibi commissi, vix explicari potest, cum sit onus Angelicis humeris deportandum: undè
1 si quisque benè perpenderet incommoda, & pericula, tàm spiritualia, quàm temporalia, quæ accidere ei possunt, curam hujusmodi in se suscipiendo; aut minimè assumeret tale pondus, aut assumendo illud, benè se gereret; etenim quid aliud est animarum curam gerere, quàm illarum Pastorem laborantem, & sollicitum esse?

Ex Christo enim Domino habemus, non tantùm semel, sed bis, & ter oves
2 suas Divo Petro commendasse, præviis semper illis verbis dilectionis: *Petre amas me?* Scis Domine. *Pasce oves meas*, *Jo*: 21. Undè aliter facientes Rectores
3 animarum non effugient Divinam ultionem, juxta illud *Ezechielis* 33. *Sanguinem ejus de manu speculatoris requiram*.

Ipsi Rectores curæ animarum non solùm Pastores dicuntur, ut suprà, sed
4 etiam Duces illarum; etenim quisque Parochus respectivè quoad Populum sibi commissum, uti Dux armorum, præeundo oves suas expugnaturus humani generis hostem, suos monere, hortari, ac docere debet Filianos prædicatione, & exemplo, ut suo verbo, & exemplo eos ducere possit ad portum salutis, nam facere, & docere optimum est pro bono gubernio animarum, ut le-
5 gitur apud sacras paginas *Matthæi* 5. *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cælorum*, & alibi passim.

Vocantur etiam navium Gubernatores; nam sicuti navis gubernator, be-
6 nè se gerendo, alios conducit ad portam; ita Parochus, ubicumque benè se gerit, & prædicatione, & aliis modis, oves sibi creditas quantum in se est, ducit ad portum Cœlestis patriæ.

Quod quidem omni studio facere tenentur; etenim, cum ipsi vocati fue-
7 rin in sortem ministerii, debent animadvertere quanta sit etiam unius Animæ dignitas, quam nec totus expectabilis mundus exæquare potest, juxta illud *Matthæi* 16. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur*, & alibi passim.

Undè non immeritò contra negligen-
8 tes Animarum Pastores exclamat *Ezechiel Propheta*, = *Væ Pastoribus Israel*.

Expendat quisque Rector animarum, quàm accurata, & exacta ratio ab eo
9 exigenda sit de Anima deperdita ob sui culpam, cum Deo, non mundo exactiorem rationem redditurus erit, juxta illud *Ezechielis* 34. *Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manibus eorum*.

Memoriâ recolet, quanti Deus animas fecerit, cùm millia millium Angelo-
10 rum in sui obsequiũ haberet, & quamvis alios plures suę glorię participes creare potuisset, nihilominus Filium suum uni-

genitum mittere voluit, qui humanâ carne indutus in utero Virginis Mariæ, mortem ignominiosissimam sustulit pro Animarum salute; cogitet etiam quo studio, & amore ipsas Petro suo Vicario commendaverit: *Pasce oves meas*. Facit ad casum illud *D. Chrysostomi homil.*3.in *Ge es.* ibi = *Nihil ita gratum est Deo, & ita Curæ, quàm Animarum salus*: Ac illud *Lucæ* 13. *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat: dico vobis quod ita gaudium erit in Cœlo super uno Peccatore pœnitentiam agente*.

Cum igitur hoc officium talia, &
tanta contineat onera, tantâque doctrinâ, & experientiâ indigeat, æquum est,
11 ut antequam quisque illud suscipiat,
accuratè consideret illius onus; & ita
consideratum, & susceptum exequatur,
etiamsi oportuerit animam suam ponere pro ovibus suis, juxta illud Christi
12 Domini, *Bonus Pastor dat animam suam pro ovibus suis*. Et ita faciendo, recipiet
condignum premium, juxta illud Christi
Domini *Matthæi* 25. *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui*. Aliterque faciendo non effugiet Divinam ultionem, juxta illud *Ezechielis* 33. ibi = *Sanguinem ejus de manu speculatoris requiram*.

Ipsi quoque Parochi, cœterique curam animarum habentes cum sint vocati non solum ad honores, sed ad onera, debent quærere, quæ Dei honorem,
& lucra animarum respiciunt, non Bo-
13 na fugacia; debentque habere præ oculis Christi sanguinem pro animarum salute profusum, ac Dei præsentiam assiduè cogitare tenentur, nam aliter officium boni Pastoris exercere non valent, sed potiùs percussores dici possunt.

Ante mentis oculos ponat quisque
Parochus, quanta gloria, & honore,
14 in judicio Dei ornantur seduli, & ardentes Curatores salutis animarum, ut ex *Apost.* 1. *ad Tessalonicenses* 2. ibi = *Quæ est enim spes, & gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum Jesum Christum estis in adventu ejus? Vos enim estis gloria nostra, & gaudium nostrum*.

Quantâ verò ignominiâ in extremo
judicio afficientur negligentes anima-
15 rum Pastores, colligi potest ex illo
D. Gregorii homil. 17. *in Evangelio*.

Cogitet etiam Parochus, vel quisque
Rector animarum, quod Deus gravis-
16 simis pœnis afficit negligentes Pastores, *Matthei* 25. *inutilem servum ejicite in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium*. Facit illud *D. Gregorii homil.* 11. *super Ezechielem* ibi = *Tot occidimus, quot ad mortem ire quotidiè tepidi, & tacentes videmus*.
17 Hinc *D. Prosper. lib. de vita contemplat. cap.* 20. ait: *Ille, cui Divini verbi dispensatio commissa est, etiamsi sanctè vivat, & tamen perditè viventes, aut arguere erubescat, aut metuat, cum omnibus, qui, eo tacente perierant, perit, & ille*.

Undè, ut quisque Parochus benè possit satisfacere Curæ sibi commissæ, ei quamplura videntur interdicta à Jure.
18 Et primò, ipse non valet esse Confessarius Monialium sine licentia S. Sedis, vel Sacræ Congregationis, *Sacra Congreg. Episcop. & Regular. in una Parmen.* 7. *Maji* 1652. *lib.* 19. *Decretorum*.

Secundò, non potest esse Vicarius
19 Generalis Episcopi, vel Capituli Sede vacante, *Sacra Congreg. Concil. in una Patavina* 16. *Julii* 1639., & in altera *Pennen.* 1. *Decembris* 1746.

Tertiò, non potest esse Rector Se-
20 minarii, nisi de licentia Sanctæ Sedis, *Sacra Congreg. Concil. in una Aquilana* 17. *Januarii* 1643. *lib.* 17. *Decretor. fol.* 137.

Quartò, non potest esse Subcolle-
21 ctor spoliorum, ut vulgò dicitur *Commissario del Nunzio, o della Camera, Sacra Congreg. Concil. in una Civitatis Castelli* 6. *Maji* 1645. *lib.* 17. *Decretorum*.

Quintò, non potest esse Conciona-
22 tor in aliena Ecclesia tempore Quadragesimæ, *Sacra Congreg. Concil. in una Aversana* 13. *Februarii* 1638. *lib.* 16. *Decret. fol.* 147.

AR-

ARGUMENTUM.

De vita, honestate, & moribus Parochorum, & quales illi debeant esse, per modum corollarii, ut breviter demonstrabimus.

SUMMARIUM.

1 *Vita qualis debeat esse Parochorum, qualis honestas*, & num.2. cum seqq. usq. ad finem.

DISCEPTATIO III.

PArochi, cœterique Pastores Animarum, cum debeant esse aliis exemplum, & speculum; nam in eos potissimum, Plebes oculos suos conjiciunt, & ad exemplum illorum suam vitam,
1 & mores componunt; ideò plurimum refert, quod suam instruant vitam ad ipsius *Tridentini Concilii Decretum sess.22. cap.1. de Reform.*, ubi licèt de Clericis loquatur, eo magis illius verba applicanda erunt Rectoribus animarum, cujus decreti verba sunt: *Nihil est quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui se Divino ministerio dedicarunt. Cum enim à rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque*
2 *sumunt quod imitentur*, & sequitur. Ex quo.

Colligitur primò, quod Parochi, & alii quicumque Clerici eis uti, & habere debeant vestimenta, aut calceamenta, quæ religionem deceant; ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant, ad *Textum in cap. Clerici 23. dist. cap. Clerici officia de vita, & honestate Clericorum Tridentin. d. cap.1. & sess.14. cap.6. de Reform.*

Concordat illud *Aniceti Papæ in Epistola* ibi = *Sicut discreti esse debent in conversatione, ita & in omni habitu apparere tenentur.*

Ipsi quoque non debent uti vestibus rubri, aut viridis coloris, ad *Text. in*
3 *cap. penult. de vita, & honestate Cleric. Clem. 2. eodem titulo.*

Interdictum quoque videtur eisdem deferre annulum in digito, nisi quibus
4 competat ex officio, & dignitate, *dicto cap penultimo.*

In vestitu, nimio cultu uti, peccatum est: scribit *D. Gregor. homil. ultima Quadrag.* his verbis: *Sunt nonnulli, qui cultum subtilium, pretiosarumque vestium non putant esse peccatum, quod si videlicèt culpa non esset, nequaquam sermo Dei tàm vigilanter exprimeret, quod dives, qui torquetur apud inferos, bysso, & purpura indutus fuisset* = nos latè *infra lib. 8.*, ubi *de Clericis, Discept. 3.*

Colligitur secundò, Parochum teneri evitare quamcumque incontinentiæ
5 suspicionem; ac proindè non posse mulieres, de quibus haberi potest suspicio, in domos, & habitationes suas recipere, ac retinere, ad *Text. in cap. præter hoc, cap. interdixit 32. dist. cap. ut Clericorum de vita, & honest. Cleric.*, & ex *toto titulo de cohabit. Cleric., & mulierum*, ut latè *nos d. Discept.3.*

Colligitur tertiò, Parochos, & alios Clericos conversationes, & inhonesta
6 convivia fugere debere, *cap. cum decorem, de vita, & honest. Clericorum, cap.1. ne Clerici, vel Monachi.*

Honestis verò conviviis benè possunt
7 interesse, *cap. quando il 1. & 2. dist.44. nos* latè *d. Discept.3.*

Colligitur quartò, Parochos, & omnes Clericos à crapula, & ebrietate di-
8 ligenter abstinere debere, ad *Text. in cap. à crapula de vita, & honest. Cleric. nos* latè *d. Discept.3.*

Colligitur quintò, Parochos, & alios
9 quoscumque Clericos, mimis, joculatoribus, & histrionibus intendere non debere, *cap. penult. de vita, & honest. Cleric. cap. presbyteri 34. dist. cap. non oportet de consecrat. dist.5. Nos* latè *d. Discept.3.*

Colligitur sextò, Parochis, & aliis Clericis, ob honoris gravitatem, & di-
10 gnitatem, citharam pulsare, & saltare non semper licere, nisi secretò, & in suis ædibus, *nos* latè *d. Discep. 3.*

Colligitur septimò, Parochis, & Clericis

ricis, cauponas, & tabernas, nisi lon-
11 gioris itineris causâ ingredi non lice-
re., *cap. non oportet cum duobus sequentibus* 44. *dist. Nos* latè *d. Discept*.3.

Colligitur octavò, Parochis, & Clericis non licere choreis, & saltationi-
12 bus interesse, ne propter actus obscœnos oculi eorum contaminentur, *cap. Presbyteri* 19. *dist. Nos* latè *d. Discep*.3.

Colligitur nonò, Parochis, & Cle-
13 ricis non licere Comœdiis interesse, cum ut plurimum sint de rebus lascivis, & turpibus, provocantes auditores ad malum, ut ex *d. cap. penult. de vita, & honest. Cleric. Nos* latè *d. Discept*.3.

Colligitur decimò, Parochos, & Clericos minimè adesse debere agitationi
14 taurorum, cum id eis prohibuerit *Gregorius XIII. in quadam sua Constitutione. Nos* latè *d. Discept*.3.

Colligitur undecimò, Parochis, &
15 aliis Clericis ad aleas, & taxillos ludere non licere, ut ex *d. cap. penult. de vita, & honest. Cleric. Trident. sess*.24. *cap*.12. *de Reform. Nos* latè *d. Discept*.3.

Colligitur duodecimò, Parochis, & Clericis non licere canes, accipitres, vel
16 hujusmodi ad venandum habere, ad *Text. in cap.2. de Clerico venatore. Nos* latè *d. Discept*.3.

Colligitur decimotertiò, Parochis, & Clericis non licere negotiari, &
17 mercaturam facere lucri causâ, ad *Textum in cap. negotiatio* 88. *dist. cap. cum secundum ne Clerici, vel Monachi. Nos* latè *infra de Clericis, lib*.8. *Discept*.4.

Colligitur decimoquartò, Parochos, & quoscumque alios Clericos abstinere
18 debere ab omni sordido quæstu, & vili, aut ignominioso artificio, *cap. Clericus dist*.91. *Nos* latè *suprà d. Discept*. 3. & 4.

Colligitur decimoquintò, Parochos arma deferre non posse, eaque portantes
19 excommunicari possunt; nam Clericorum arma sunt lachrymæ, & orationes, *cap. Clerici de vita, & honest. Cleric. Nos* latè *d. Discept*.3.

Quisque enim Parochus debet vitam suam instituere in orationis frequentia, cibi, & potus temperantia, corporis castitate, locutionis modestia, er-
20 ga pauperes misericordia, erga omnes humanitate, & charitate: & quod verbis Populum docet, ipse opere confirmet, ac veluti in imagine ostendat: & quod aliis tamquam ad salutem necessarium, aut utile suadet, idem consilium sibi det, & exequatur; alioquin enim apparet subditis, Pastorem non ex animo hortari ad charitatem Dei, & proximi, continentiam, & temperantiam, vitiorumque omnium fugam, si videant ipsummet talia facere, quæ in aliis damnat; nam qui sibi malus est, quomodo aliis bonus esse poterit, cum proximus quisque sibi sit, juxta illud *Eccles. cap*.30. *miserere animæ tuæ placens Deo*.

ARGUMENTUM.

Parochorum Onus, quale esse debeat, circa retentionem Librorum ad normam Ritualis, ubi adnotandi erunt baptizati, confirmati, mortui, & matrimonia? ubi quanta fides præstanda erit hujusmodi Libris.

SUMMARIUM.

1 *Parochi debent in peculiari libro descriptas habere familias suorum Parochianorum.*
2 *Itemque retinere librum baptizatorum.*
3 *Liber baptismi num probet filiationem, & quid, si solius patris nomen contineat*, & num.4. & 5.
6 *Parochi conficere quoque tenentur librum Confirmatorum.*
7 *Necnon librum matrimoniorum.*
8 *Matrimonium probatur ex annotatione in libro Parochi.*
9 *Parochi habere debent librum defunctorum, ex quo probatur mors, & sepulturæ locus.*
10 *Parochi an liceat aliquid accipere pro describendo nomine baptizatorum, sive Confirmatorum &c. in libris Parochialibus*, & num.11.
12 *Fides extractæ è libris Parochialibus quatenus probent.*

DI-

DISCEPTATIO IV.

AD normam *Tridentini sess.23. cap.1. de Reform.* debet quisque Animarum Rector suas oves agnoscere, non solùm in genere quoad earum numerum,
1 sed etiam in specie quoad singulas personas, earumque ætatem, & qualitatem, ut possint ipsimet, vel si opus fuerit, Ordinarii locorum, necessaria ad salutem singulorum opportunè subministrare, quod familias exequentur si juxta *novum Rituale* librum componant, in quo facilius, & personas subditorum, cum nota ætatis, & Sacramentorum præsertim ad salutem necessariorum receptione, & alia hujusmodi describant.

Preter hunc librum debent etiam quatuor alios retinere, in uno quorum,
2 qui dicitur *liber Baptizatorum* describere debent omnes, qui in sua Ecclesia baptizantur, cum nominibus parentum, si de legitimo matrimonio procreati fuerint, ac nomina patrinorum, qui eos de Baptismo, scilicet de Sacro Fonte susceperunt, nec non adnotandus est dies, mensis, & annus, ad normam *Tridentin. sess.24. cap.2. de Reform. Matrim. Fuscus de Visitat. lib.2. cap.3. num.23. Possevin. de offic. Curati cap.8. num.48.* facit *Sacra Rota recent. part.16. decis.134. num.9. & part.18. decis.370. n.1. & 7.* ubi *alii Doctores*.

Dixi *parentum*, hinc videre est, an præstanda sit fides libro quatenus in eo
3 non fuerit expressum nomen matris? & certum est, librum ipsum non claudicare, ac proinde ei præstanda est integra fides; tum quia nihil in jure constutum est de exprimendo nomine matris, ut benè *Sac. Rota recent. part.19. decis.303. num.12.*

Quanta enim fides adhibenda sit hujusmodi libro baptismi, omnibus patet:
4 etenim, ubicumque liber ipse non fuerit falsificatus, fides ei præstanda est integra; ac proinde quis dicere valet, se esse baptizatum, esse filium illorum, qui in dicto libro veniunt enunciati, ac eo docere de sua ætate, *Mascard. de probat. conclus.673. num.1. & 2., Genua de Scriptura privata lib.5. tit. de libris Plebanorum quæst.1. num.3. Gratian. Discept. forens. cap.491. num.18., & cap.767. num.43., Sperell. decis.174. n.28. Rota part.13. recent. decis.447. num.4. & part.14. decis.134. num.3., & part.16. decis.149. n.23. & part.18. decis.370. num.4. & Doctores passim.*

Liber verò Baptismi si non contineat nomen patris, & matris baptizati, nihil
5 relevat pro ipso baptizato ad effectum probandi filiationem, cum hoc casu habeatnr uti ignotus, & de ignoto patre, ac ignota matre natus.

Probatur etiam origo per librum baptismi, *Genua d. lib.5. quæst.3. Mascard. conclus.1147. num.21. de probat.*

De secundo libro, qui inscribendus erit *liber Confirmatorum*, sequitur, ut aliquid dicamus. Quisque enim Paro-
6 chus, maximè in Oppidis, ad quæ Episcopus ad confirmandum accedit, debet retinere suum librum, in quo adscribere tenetur nomina, & cognomina Confirmatorum, patrumque, & matrum, item similiter patrinorum, seu matrinarum, necnon ipsius Episcopi administrantis sanctum Chrisma, tum diem, mensem, & annum, necnon ipsius Ecclesiæ nomen, in qua ministratum fuit, ita *Possevin. de Offic. Curati cap.12. num.43.*

De tertio libro, qui dicitur *liber Matrimoniorum* pariter nobis sunt aliqua dicenda, & quantum probet liber ipse.
7 Quisque enim Parochus debet retinere librum hunc, ad hoc ut si dubietas aliqua contingat, possit ipse Parochus fidem de matrimonio contracto præstare; unde & nomina testium ad hoc describere tenetur in libro ipso, cum appositione diei, mensis, & anni, ad *Trident. sess.24. de Reform. matrim. cap.1. vers. habeat Parochus, Fuscus de Visitat. lib.12. cap.3. num.26. Possevin. de Offic. Curati cap.6. num.44. & cap.12. n.42. Gratian. Discept. forens. cap.653. num.63. Genua d. lib.5. quæst.6. Rota coram Alex. VIII. in una Bononien. fideicomissi de Bologninis 5. Junii 1651. Barbosa de Episcop. alleg.32. num.175.*

Nam ex supradicta partita, etiam mortuo Parocho, & testibus, absque
8 aliis probationibus, matrimonium plenè probatur illud fuisse contractum, ut ex citatis juribus, *Sanchez de matrim. lib.3.*

lib.3. lib.3. Discept.15. n.22. Mascard. de probat. conclus.672. n.17. cum pluribus sequentibus, Riccius resol.318. Menoch. consil.199. num.3.

De quarto libro, qui dicitur *Mortuorum*, & quantum probet, remanet ut aliquid enarremus: Quisque igitur Parochus secundùm normam dicti novi
9 Ritualis, debet retinere penes se librum, in quo adnotari debent illi, qui mortui fuerunt in sua Parochia, & in quo loco sepulti fuerunt, ex qua descriptione censetur probata mors, & sepultura, ita *Menoch. de præsumpt. lib.1. præsumpt.51. num.53. Fuscus de Visitat. lib.2. cap.3. n.28. Genua d. lib.5. quæst.2. Rota recent. part.1. decis.621. num.4. & part.2. decis.605. num.4. & part.14. decis. 92. num.3. & part.15. decis.105. num.1. & part.17. decis.139. num.13. & 14.* & alibi passim.

Hoc unum est, in materia confectionis librorum, ut supra, & descriptionis baptizatorum, confirmatorum &c.
10 non posse aliquid Parochum accipere, sed hoc gratis, ratione officii facere tenetur, ut ex *Sacra Congreg. Concil. In una Nullius* 18. *Martii* 1683.

Potest verò aliquid moderatè accipere, dummodò non excedat decimam
11 partem unius scuti, ut in casu attestationis pro publicationibus matrimonialibus, vel Ordinis, docet *Sacra Congreg. Episcop. & Regul. in una Sanctæ Severinæ 6. Augusti* 1700.

Quæ fides, ut in judicio probet, necessariò facienda erit in formali tran-
12 scriptione de verbo ad verbum, ut jacet, aliter nulla erit, *Rota coram Gregorio XV. decis.359. num.5.* ubi *Beltraminus num.9. Ferentil. ad Buratt. decis.11. num.5.*

ARGUMENTUM.

Parochorum onus recensetur, circa applicationem Missæ diebus Dominicis, & Festis, quibus ex præcepto celebrare debent pro Populo: & an valeant recipere ab aliis eleemosynam pro fructu medio, & tantùm commendare in fructu generalissimo, vel specialissimo suos filianos, vel fructum specialissimum applicare pro Populo?

SUMMARIUM.

1 *Parochus quibus diebus pro Populo celebrare tenetur, an obligatus sit Missæ Sacrificium pro suis Parochianis specialiter applicare*, & num.2. cum seq.

Et an pro eadem Missa possit ab alio eleemosynam accipere, num.4. & 6. cum seq.

5 *Quod uni debitum est, nequit alteri applicari.*

6 *Sacerdoti pro eodem Missæ Sacrificio non licet duplicem recipere eleemosynam prætextu duplicis applicationis.*

DISCEPTATIO V.

AD intelligentiam illius, quod secundùm aliquos, non ita videtur distinctum, & explicatum per *Tridentinum sess.23. cap.1. de Reform.* videlicèt an Parochus illis diebus, quibus de præcepto tenetur in Parochiali sua Ecclesia celebrare, possit ab aliis recipere eleemosynam pro fructu medio, & sic pro applicatione Sacrificii, & tantùm suos Parochianos commendare in Missa, ut generalissimè commendantur omnes alii fideles, vel illis tribuere fructum specialissimum Sacrificii.

Et circa intelligentiam *præcitati Text. Tridentini*, ubi suprà, nonnulli
1 putarunt, Parochum satisfacere oneri suo, tantùm celebrando in Parochiali Ecclesia, & sic pro Parochianorum commodo, ut Missam audire valeant. Attamen sensus iste parum congruverit

verbis Tridentini; undè de eo non est habenda ratio.

Alii verò putarunt, Parochum satisfacere oneri suo, commendando suos Parochianos, & oves sibi commissas fructu
2 generalissimo, ita ut teneatur pro illis celebrare eo modo, quo tenetur pro Papa, atque aliis generaliter: sed neque hic sensus videtur congruere *Decreto Tridentin. d. cap.* 1. nam dum Concilium declaravit, teneri Parochum Sacrificium offerre pro suis ovibus, indicavit, in Parocho adesse aliquam specialem obligationem, diversam ab illa, quam habent singuli Sacerdotes, applicandi fructum Missæ omnibus Christifidelibus.

Videtur ergo verus, & consonus verbis, & intentioni Tridentini Concilii
3 tertius intellectus, secundùm quem Parochus obligatur ad offerendum Sacrificium pro suis ovibus, idest ad specialem illius Sacrificii, & fructus medii applicationem, quemadmodum videtur sentire *Sotus de Just. & jure quæst.3. lib.9. Vasquez in 3. part. disput.235. art.6. cap.6.*

Atque hinc sequitur, ut iis diebus, quibus Parochus tenetur ex præcepto
4 celebrare, & pro suis ovibus Sacrificium applicare, nequeat eleæmosynam accipere ab alio pro ejusdem Sacrificii applicatione; quia nimirum hic fructus medius Sacrificii jam reperitur alteri debitus: undè locum habet vulgaris re-
5 gula juris: quod uni est debitum, non potest secundùm justitiam alteri applicari, cum illa obligatio præcesserit, argumento *l.qui potior ff. de Judic. l.cum ex pluribus ff. de solution.* optimè *Burcent. in cap. cum jamdudum de præbendis*, & ita in puncto censet *Suar. tom.3. in 2. part. disput.86. sect.3. §. Et juxta hanc conclusionem*, *Bonacina de Sacram. Eucharist. disput. 4. quæst. ult. part. 7. n.5. Pasqualigus* latè *de Sacrific. Missæ quæst.580. Anastas. de causis piis lib.2. cap.3. num.44. Fagnan. in cap. fraternitatem à n. 91. cum sequentibus de Sepulturis*, & ita *ex Concilio 4. Provinc. Mediolanensi tit. de his, quæ pertinent ad Sacrificium Missæ*.

Et juxta hunc ultimum sensum videtur non semel respondisse *Sac. Congreg. Concil. In una Civitatis Castellanæ 8. Augusti* 1648. ubi fuit propositum dubium: *An Archipresbyter Cathedralis Castellanæ, habens curam animarum annexam teneatur diebus Dominicis aliisque festis de præcepto celebrare in Ecclesia Cathedrali, & Sacrificium pro Fundatoribus, Benefactoribus, & suis animabus applicare, absque eo quod dictis diebus aliam eleæmosynam accipere possit*. S.Congreg. respondit *Affirmativè*.

Quod quidem videtur confirmatum, & resolutum per eamdem *Sac. Congreg. Concil. in una Clusina 12. Julii 1670.*, ubi Episcopus supplicat declarari an Parochi in diebus festis teneantur applicare Sacrificium pro Populo, & *Sacra Congreg.* respondit *Affirmativè*, & ita *in una Lucana 10. Maji 1681. Triventina oneris Missarum 27. Apr.1687. eadem Sacra Congreg.Concil. in una Militen. 10. Maji 1692. & Cremonen. 20. Decembris ejusdem anni*. Et ita ex *Constitut. S. M. Innocentii XII.* in forma Brevis expedita 24. *Aprilis* 1699., de qua *Clericatus de Sacrificio Missæ*, & alibi passim.

Demum, quod respicit ultimam partem propositi argumenti, dicimus, neque posse Parochum ab extraneo recipere eleæmosynam pro applicatione fructus medii Sacrificii, & pro Populo sibi commisso applicare fructum specia-
6 lissimum Missæ; nam hoc casu quasi perciperet duas eleæmosynas, quod videtur prohibitum à *Sacra Congregatione Concilii* per illius declarationem editam 25. *Januarii* 1659. ex qua prohibitum videtur, duplum stipendium, seù eleæmosynam accipi pro una Missa, illis verbis: *Nulli Sacerdoti licitum esse præfata ratione, sive prætextu alteram eleæmosynarum accipere, præter illam, quam accepit ab eo, pro quo Missam offerre tenetur*; ac proindè casum hunc esse comprehensum in Decretis aliàs per eamdem Sacram Congregationem Concilii editis, quibus prohibetur, ne duplex stipendium pro unica recipiatur. Quæ quidem Sacræ Congregationis resolutio fuit approbata per Alexandrum VII. sub die 29. ejusdem mensis, & publicatum Decretum ipsum *die 27. Octobris* 1659.

Un-

Undè, si Parochus ex adductis, & probatis, ut suprà tenetur Missæ Sacrificium offerre, & applicare pro Populo
7 sibi commisso, non videtur posse ab alio eleæmosynam accipere pro celebratione ejusdem, & pro illius, ac fructus medii applicatione.

ARGUMENTUM.

Parochorum quale sit onus circa Baptismi, & Pœnitentiæ administrationem, Sacræ Communionis dispensationem, Matrimonii celebrationem, ac circa Extremam Unctionem Infirmis peragendam.

SUMMARIUM.

1 *Significatio nominis* Parochus, *exponitur*.

2 *Parocho precipuè incumbit Sacramenta Populo ministrare sub pœnis à jure inflictis*.

3 *Pro commoda Sacramentorum administratione in Habitantes extra Civitatem, constituenda est Ecclesia filialis cum deputatione Cappellani facienda à Parocho Matricis Ecclesiæ, in ipsius adjutorium*.

4 *Parochus Sacramentorum institutum, atque efficaciam ovibus suis deligenter insinuare debet*.

5 *Baptismus, excepto casu necessitatis, debet ministrari à proprio Parocho*.
Limita, ut num.8. & seq. *juncto* num.12. cum seq.

6 *Baptizans sibi non subditum, tanquam alienæ jurisdictionis usurpator puniri potest*.

7 *Parochus fines alterius Parochiæ nequit invadere, neque in Parochianos alienos jura Parochialia exercere*.

10 *Turcum baptizare spectat ad Parochum domicilii*.

11 *Parochus, cujus culpâ infans obierit sine baptismo, deponendus est*.

15 *Parochi quomodo sese gerere debeant in imponendis nominibus baptizatorum*.

16 *Nomen bonum, sive malum, bonam, vel respectivè malam præsumptionem consuevit præseferre*.

17 *Baptizandis præstat nomen imponi alicujus Sancti, quem ipsi in humanis calamitatibus habeant Advocatum*.

18 *Parochus dicitur Ordinarius minister Sacramenti Pœnitentiæ ac Sanctissimæ Eucharestiæ, respectu suorum Parochianorum, qui tenentur saltem semel in anno eidem peccata sua confiteri, atque ab eo Santissimum Eucharistiæ Sacramentum suscipere*, & num.21.
Declara, ut num.22.

19 *Parochi subditus quis efficitur per domicilium, vel quasi*.

20 *Actum audiendi confessiones subditorum tanquam voluntariæ jurisdictionis Parochus potest exercere etiam alibi, quàm in sua Parochia*.

23 *Canonico extra Cathedralem commoranti Viaticum debet deferre Parochus, intra cujus limites ille reperitur*.

24 *Parocho licet ministrare Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum per modum Viatici tempore localis interdicti*.

25 *Parochi an teneantur tempore pestis residere, suisque Parochianis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ministrare*.

26 *Matrimonium jure novissimo Concilii Tridentini celebrari debet coram proprio Parocho*.

27 *Parochus conjungens Sponsos temporibus ab Ecclesia prohibitis puniendus est arbitrio Episcopi*, & n.28.

29 *Parochus proprius pro contractu Matrimonii quinam reputandus sit*, & num.30.
Et quale domicilium requiratur, itemque quid dicendum, ubi quis domicilium simulatè mutaverit, n.31.

32 *Denunciationes præmittere debet Parochus ad Sponsorum conjunctionem*.
Ubi autem, & quomodo faciendæ illæ sint, num.33.

34 *Sacramentum extremæ Unctionis ministrari debet à proprio Parocho, itaut Regularis jurisdictionem hujusmodi usurpans excommunicationem incurrat*, & num.35.
Declara, ut num.36.

37 *Sacram unctionem ministrare licet infirmo*

· *firmo in caſu neceſſitatis cuilibet Sacerdoti.*

DISCEPTATIO VI.

Sicut olim apud Ethnicos Parochi dicebantur illi, qui Legatis, publicè
Romam miſſis ſalem, & ligna præpa-
1 rabant, hoc eſt qui omnium rerum copiam Legatis Regum, Principum, ac Populorum, hoſpitio receptis ſuppeditabant; ut annotavit *Acron* in illud *Horatii lib. 1. Sermonum Satyra 5.* Et *Parochi quæ debent ligna, ſalemque.* Poſtea verò inſtar horum hoc nomen, non ſine afflatu S. Spiritus factum fuit quodammodo proprium Chriſtianorum & ſignanter illorum Sacerdotum, qui deputati ſunt, ad miniſtrandum ovibus ſibi commiſſis Sacramenta, & ad paſcendum eos pabulo Divini verbi, & ſimilia munera Paſtoralia gerenda.

Parochorum igitur præcipuum munus eſt Sacramenta adminiſtrandi ovi-
2 bus ſibi ipſis commiſſis, ratione officii, aliàs ea non adminiſtrantes, ubi neceſſitas ita expoſtulat, ſi aliquis ſine Sacramento deceſſerit, non erunt immune à pœnis, per ſacros Canones, & Tridentinam Synodum comminatis.

Ac proindè in hoc, ut ſubveniatur neceſſitati Populi; poſito quod Eccleſia
3 fuerit intra Civitatem, cujus portæ de noctæ clauduntur, & habeat populum ſibi ſubditum extra Civitatem, vel longè à Civitate: hoc caſu debet conſtrui Eccleſia extra Civitatem cum deputatione Vicarii amovibilis ab Ordinario approbati, quæ dicitur Filialis reſpectu Eccleſiæ principalis, *Sacra Congreg. Concil. in una Lauden 12. Auguſti 1628. Piſauren 12. Auguſti 1634. lib. 15. Decret. fol. 115.*

Debent autem Parochi in primis in adminiſtratione Sacramentorum eorum
4 vim, & uſum, Plebibus ſuis pro ſuſcipientium captu, explicare, ad *Tridentin. ſeſſ. 24. de Reform. cap. 7.* ibi: *Ut fidelis populus ad ſuſcipienda Sacramenta majori cum reverentia, atque animi devotione accedat, præcipit ſancta Synodus Epiſcopis omnibus, ut non ſolùm, cùm hæc per ſe ipſos erunt populo adminiſtranda, priùs illorum vim, & uſum pro ſuſcipientium captu explicent, ſed etiam idem à ſingulis Parochis, piè, prudenterque etiam lingua vernacula ſi opus ſit, & commodè fieri poterit, ſervari ſtudeant, juxta formam à ſancta Synodo in Catecheſi ſingulis Sacramentis præſcribendam, quam Epiſcopi in vulgatam linguam verti, atque à Parochis omnibus exponi curabunt.* Hoc poſito.

Devenierdo ad quælibet Sacramenta, quæ miniſtrari poſſunt jure Ordinario à Parochis: primo nobis aliquid dicendum occurrit de Sacramento Ba-
5 ptiſmi. Hoc Sacramentum ratione Officii proprii, ab alio non eſt conferendum, quàm à proprio Parocho, ubi extra caſum neceſſitatis illud confertur domi, vel alibi, *Doctores communiter cum Bonacina de Sacram. diſput. 2. quæſt. 2. punct. 2. & num. 2. & nos ſuis locis,* ubi *de Baptiſmo.*

Undè fit, eum qui ſolemniter baptizat alienum Parochianum, quia videtur
6 uſurpare jus, quod competit proprio Parocho, puniri poteſt. Quiſque igitur in ſua, cui ſubeſt Eccleſia, eſt baptizan-
7 dus; etenim unus Parochus alterius Parochiæ terminos, plebem, & jus non valet uſurpare, *cap. placuit 7. quæſt. 1. cap. ſicut 9. quæſt. 2. cap. 1. cap. nullus cap. non invitati 13. quæſt. 1. cap. nullus de Parochis* ibi: *Nullus Epiſcopus alterius Parochianum judicare præſumat,* ubi *Fagnan. num. 1.*

Supradicta concluſio locum habet, ubicumque aliter non eſſet conſuetudo legitimè præſcripta, ut infantes poſſint baptizari à quibuſcumque Presbyteris
8 Loci, quia illa ſervanda erit, dummodò id fiat de licentia Ordinarii Loci, & ſine præjudicio jurium, & emolumentorum Parochi, ut cenſuit *Sacra Congr. Rituum in una Oriolen. 16. Decembris 1605.*

Vel niſi baptizandus peregrinetur, aut certum non habeat domicilium, quo
9 caſu baptizari poterit in Eccleſia, quam elegerit, *cap. nec numerus 10. quæſt. 3.*

Sed quid, ubi baptizandus fuerit Turca, an iſte debeat baptizari à Parocho Cathedralis, vel Matricis Eccleſiæ, vel à Parocho, in cujus Parochia moratur, licèt uti ſervus, ſeù ſclavus?

vus ? Orta hac controverſiâ inter Paro-
10 chum Cathedralis Eccleſiæ Neapolitanæ, & Parochum domicilii, *Sacra Congregr. Concil. in dicta Neapolitana die* 27. *Septembris* 1687. cenſuit ſpectare ad Parochum domicilii, ſervata forma Ritualis Romani. Quæ reſolutio fuit confirmata *die* 21. *Febr.* 1688. ut in *libro Decret.* 37. *fol.* 587. *&* *lib.* 38. *fol.* 91.

Caveat Parochus quiſque, ne deficiat in ſuo officio circa Baptiſmum præſtandum; nam ſi fuerit requiſitus ad baptizandum aliquem puerum, vel adultum, eo magis ſi ille fuerit infirmus, & noluerit facere, quatenus ille moriatur ſine Baptiſmo, in pœnam tanti
11 criminis deponendus erit, ad *Text. in cap. quicunque de obſervat. diſt.* 4. *Salſez ad Diaz in ſua praxi crim. Can. cap.* 55. *Ugolinus de Offic. Epiſc. cap.* 15. §. 12. *num.* 14.

Diximus ſuprà, eſſe ſolius Parochi baptizare ſuos Filianos, ideſt Parochianos; ſcias tamen, alienum Parochum, vel Sacerdotem, de proprii Parochi licentia, hoc facere poſſe, ad *Text. in cap. interdicimus* 16. *quæſt.* 1. *Ludovicus Miranda in Manuali Prælat. to.* 1. *part.* 43. *art.* 1.

Ubi dicit, quod in caſu neceſſitatis, vel de licentia Ordinarii, non eſt prohi-
13 bitum Religioſis baptizare, *Ugolin. de Offic. Epiſcop. cap.* 15. §. 6. *num.* 7. *Paulus Layman in Theologia Morali lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 1.

Imò ex commiſſione proprii Parochi, datâ rationabili cauſâ, etiam Dia-
14 coni ſolemniter baptizare poſſunt, *cap. Diaconus* 93. *diſt. Bonacin. de Sacram. diſp.* 2. *quæſt.* 2. *punct.* 5. *num.* 3. *Layman d. cap.* 7. *num.* 3.

Caveant ipſi Parochi, ne in imponendis nominibus baptizandis, eis imponant nomen, quod non benè ſonet;
15 undè æquum eſt, ut imponant nomen alicujus Sancti, vel Sanctæ; etenim ſicuti Chriſtiani à Chriſto dicuntur, ita ipſi Chriſtiani à Chriſti militibus, qui Sancti fuerunt, ſua nomina ducere tenentur, non ab Infidelibus, ſeu Gentilibus, nec ab aliis denominationibus, quæ cum noſtra Religione non ſunt conjunctæ, vel turpia ſignificant; quoniam malum nomen habet ſiniſtram ſuſpicio-
16 nem, & ex bono nomine oritur bona præſumptio, *Doctores in cap.* 1. *de Depoſito*, *&* *paſſim*.

Et non immeritò apponendum eſt nomen Sancti, vel Sanctæ, ad hoc ut
17 in ſuis neceſſitatibus ad illum recurrat pro interceſſione apud Deum, cum benè quiſque norit, quot, quantiſque periculis, & calamitatibus, humana vita ſit obnoxia, quantumque indigeat aſſiduo Sanctorum patrocinio. *Nos* latè ubi *de Baptiſmo*.

Quod reſpicit Sacramentum Pœnitentiæ, quiſque Parochus in ſua Parochia, & in ſuos Parochianos dicitur or-
18 dinarius Miniſter; ac proindè, ſaltem ſemel in anno ei confiteri debent ſua peccata, & ab ejus manibus recipere SS. Euchariſtiæ Sacramentum, ad *Text. in cap. omnis utriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſione*.

Subjiciuntur Fideles juriſdictioni Parochi in foro pœnitentiali, non ſolùm ubi conſtituunt domicilium, ſeu habi-
19 tationem perpetuam in Parochia, ſed etiam quaſi domicilium, ſeu habitationem ad tempus, non tamen admodum breve, negotii alicujus causâ, *Gloſſa in Clement.* 1. *de privileg.*

Undè Parochorum tanta eſt juriſdictio circa confeſſiones ſuorum Parochianorum audiendas, ut valeant audire illas etiam in aliena Diœceſi, & ubi-
20 que locorum, cum actus audiendi confeſſiones ſit actus voluntariæ juriſdictionis, quæ poteſt etiam in aliena Diœceſi exerceri, *Gloſſa in cap. novit de offic. Legati Capit. deciſ.* 203. *num.* 14. *& ſequent. Covarr. pract. quæſt. cap.* 11. *n.* 4. *Zerola in praxi Epiſc. part.* 1. *V. Parochus*, *Campanil. diverſ. Juris Can. rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 71. *Barboſa de Epiſcop. alleg.* 25. *num.* 18. *Fagnan. in cap. ne pro dilat. n.* 29. *de pœnit. & remiſſ.* latè *nos ſuis locis lib. de Sacramentis*, ubi *de pœnit. & remiſſionibus*.

Quod reſpicit Sacramentum Euchariſtiæ, ſcilicet Sacræ Communionis diſpenſationem, dicimus, ad proprium
21 Parochum privativè, quoad alios competere, ut ſemel in anno, & tempore ſtatuto ab Eccleſia, & ubi neceſſitas ita expoſtulat, hoc Sacramentum propriis

Pa-

Parochianis ministret, ad *Text. in cap.
omnis utriusque sexus de pœnit. & re-
miss.* ubi *Canonistæ communiter*.

Quilibet verò alius Sacerdos, licitè
non administrat Sacram Eucharistiam,
22 nisi habeat ordinariam, vel delegatam
jurisdictionem ad hoc Sacramentum ad-
ministrandum, excepto necessitatis casu;
nam uti diximus, hoc est proprium mu-
nus Pastoris, *Bonacin. de Sacram. disp.4.
quæst.5. punct.1. cap.4. Layman lib.5.
tract.4. cap.7. num.3. Vasquez disp.219.
cap.2. Ugolin. de offic. Episc. cap.15. §.7.
num.1.*

An verò spectet ad Parochum mini-
strare SS. Eucharistiam per modum Via-
23 tici, Canonico commoranti in sua Pa-
rochia, & affirmativè resolutum habe-
mus ex *Sacra Congreg. Concil. in una Ti-
burtina* 12. *Maji* 1695., *Narnien.* 26.
Septembris 1699.

Parochus an possit ministrare Eucha-
ristiam per modum Viatici morientibus,
24 tempore Localis interdicti, & affirma-
tivè respondendum videtur, ad *Text.
in cap. quod in te dè pœnit. & remiss.
Glossa V. Sacramentum in cap. Alma
Mater de Sent. Excomm. Ugolin. de cen-
suris rub.5. cap.7. §.6. Sayrus eodem
tract. lib.5. cap.7. à num.*16. *nos* latè
*lib.*19. *de Censuris Eccles.*, ubi *de In-
terdicto*.

An verò teneatur vi Pastoralis officii
ministrare SS. Eucharistiam morienti-
25 bus, tempore pestis: & nonnulli affir-
mant, alii verò negant. Affirmat *Man-
cinus in praxi visitandi infirmos pract.8.
dub.18. Vasquez tom.1. tract.3. cap.5.
num.99. Philipp. Marchia de bello Di-
vino part.3. cap.2. num.2.* Negat *Ben-
zon. in Speculo Episc. lib.1. disp.1. qu.1.
concl.6. Diana resol. moral. par.5. tract.3.
resol.53.* latè *Galleg. de Paroch. obligat.
tempore pestis part.3.* Undè consultâ *Sa-
cra Congregat. Concilii de anno* 1576.
an Parochi teneantur residere in pro-
pria Parochia tempore pestis, & quæ
Sacramenta ministrare teneantur, re-
spondit, teneri ad residentiam; & quo-
ad secundum, non teneri administrare
alia Sacramenta, præter Sacramen-
tum Baptismi, & Pœnitentiæ, & latè
demonstrat *Fagnan. in cap. Clericos de
Clericis non residentibus à num.37. &
sequentibus usque ad* 46. Circa reliqua
nos latè *sub titulo de Celebratione Mis-
sarum, ac SS. Eucharistiæ Sacramento*.

Quod respicit Sacramentum Matri-
monii, dicimus, spectare ad proprium
26 Parochum Sponsi, vel Sponsæ conjun-
gere illos in Matrimonium, non quia
Parochus dicitur Minister hujus Sacra-
menti, cum ipsi Sponsi dicantur Mini-
stri illius, sed tamquàm testis major in
actu illo reciprocæ voluntatis, & reci-
proci consensus: & hoc inductum fuit à
*Tridentino sess.24. cap.1. de Reformat.
Matrimonii*, ad effugiendam clandesti-
nitatem. Undè hodie Matrimonium ali-
ter factum, puta absque præsentia pro-
prii Parochi, vel alterius Sacerdotis de
ejus licentia, & saltem duobus testibus
est nullum, *Tridentin. sup. & Doctores
communiter*, & *nos* lato calamo *lib.*23.
de Sponsalibus, & Matrimonio infrà.

Caveant Parochi ne Matrimoniis assi-
stant ab Adventu Domini Nostri Jesu
Christi usque ad diem Epiphaniæ, & à
27 feria quarta Cinerum usque ad Octa-
vam Paschæ inclusivè, cum his tempo-
ribus solemnitates Nuptiarum interdi-
ctæ sint à *Tridentin. sess.24. cap.10. de
Reform. Matrim. Riccius in praxi fori
Eccles. part.4. resol.*557.

Undè si adversùs hoc præceptum Pa-
rochus dicto tempore prohibito Matri-
28 moniis assistat, ac solemnes benedictio-
nes impartiatur, gravi pœna plecten-
dus erit, arbitrio Ordinarii, cum nul-
la videatur præscripta in jure, *Sanchez
de Matrim. lib.7. disp.7., & Doctores
passim*.

Parochus proprius ad hunc effectum
dicitur ille, in cujus Parochia habitant
29 contrahentes tempore Matrimonii, ut
docet *Riccius in praxi resol.*214., *Gra-
tian. de Matrim. cap.63. num.*19.

Vel, ut alii rectiùs censuerunt, dici-
tur ille in cujus Parochia contrahentes
domicilium habent, *Barbosa alleg.*31.
*num.*59.

Undè non est opus, ut quis efficiatur
Parochianus alicujus Parochiæ, com-
30 morari in illa per longum temporis
cursum; nam statim efficitur talis, eo
ipso quod animum habuerit habitandi
in illa, ut docet *Basil. Pont. de Matri-
mon. lib.15. cap.13. §.1. num.5. Adden-*

*tes ad Sacram Rotam coram Buratto decis.*713. *num.*15. *Rota coram Merlino in una Toletana Matrimonii* 10.*Decembris* 1625. inter suas impressas est *decis.*194.

Quod locum sibi vindicat, etiam si
31 quis mutet domicilium simulatè, *Sanchez de Matrim.lib.*3.*disp.*18. *sub n.*29. *& disp.* 25. *sub num.*11. *Guttierez de Matrim. cap.*65. *num.*11. *Rota in d. Toletana. Nos* latè *de Sponsalibus,& Matrimonio d. lib.*23. *disp.*13. ibi vide, latè ad materiam *Fagnan. in cap. significavit de Parochis.*

Caveat quoque Paróchus, ne deveniat ad Matrimonii celebrationem, non
32 præmissis denunciationibus, juxtà dispolita per *Tridentin. sess.*24. *cap.*1. *de Reform. Matrim.*, quæ fieri debent à proprio contrahentium Parocho, & in propria Parochiali Ecclesia. Et si spon-
33 si fuerint diversæ Parochiæ, tunc faciendæ erunt ab utroque Parocho, nempe Sponsi, & Sponsæ: quæ quidem faciendæ erunt tribus diebus festivis continuis, quibus servatis Parochus devenire potest ad celebrationem illius; aliter verò faciendo, non effugiet debitam pœnam, ut de omnibus *Nos* latè *dicto lib.*23. *de Sponsalibus, & Matrim. Discept.*7. ubi vide.

Quoad Sacramentum extremæ Unctionis ministrandum infirmis, dicimus
34 solius proprii Parochi esse, ministrare illud suis Parochianis in articulo mortis constitutis; nam aliàs si quis ausus fuerit ministrare illud, inconsulto proprio Parocho, tanquam usurpator alienæ jurisdictionis, non erit immunis à pœnis, cùm nemo debeat falcem mittere in messem alienam, alienamque jurisdictionem sibi usurpare, *Barbosa de Parochis part.* 2. *cap.* 22. *n.*2., ubi alii.

Imò si fuerit Regularis, qui ministraverit hoc Sacramentum, sine proprii Pa-
35 rochi licentia, Clericis Sæcularibus, sive Laicis, ipso facto fit excommunicatus, cujus excommunicationis absolutio Sedi Apostolicæ est specialiter reservata, ad *Text. in Clem.*1. *de privileg. Riccius resol.*210. *Barbosa de Episcop. allegat.*50. *num.*96.

Excommunicationem, de qua suprà, incurrit Regularis, ubicumque hoc agit in contemptum Parochi, secùs verò ubi
36 necessitas ita expostulat, puta ex quo Parochus abest, & necessitas ministrandi illud non patitur dilationem; nam hoc Sacramentum utile est animæ in illa extrema lucta, dum quasi firmissimum præsidium contra dæmonis infestationes est; ac proindè Regulares, qui suprà, veniunt excusandi à pœnis, ut docet *Bonacina de Sacram. disp.*7. *quæst. unica punct.*4.*num.*6. *Suarez de Relig.to.*4. *tract.*10.*lib.*9.*cap.*4.

Ita quoque venit excusandus à pœnis Sacerdos Sæcularis, ubi administrat illud, Parocho absente, vel nolente, &
37 tempus non patitur dilationem adeundi Superiorem pro petenda licentia, cùm hoc casu præsumatur, Summum Pontificem præbere licentiam, *Cajetan. V. Excommunicatio num.* 64., *Suarez tom.*3. *disp.*44.*sect.*2., *Coninch. de Sacram. tom.*2. *disp.*19.*num.*9. *Barbosa de Parochis part.*2. *cap.*22.*num.*6., & *Nos* latè *lib.*87. *de Extrema Unctione.*

ARGUMENTUM.

Parochorum onus circa Missæ celebrationem saltem diebus festis in eorum Ecclesia Parochiali: ubi an Parochiani teneantur accedere ad illam? an possint iidem Parochi prohibere Regularibus, vel aliis Rectoribus Ecclesiarum, ne celebrent ante Missam Parochialem.

SUMMARIUM.

1 *Parochus cunctis festis diebus tenetur in sua Ecclesia Sacrificium Missæ celebrare ad Parochianorum commodum*, & num.2. & seq.

Amplia quacumque contraria observantia non obstante, num.4.

5 *Parochus, quatenus legitimè impeditus nequeat per seipsum, tenetur per alios diebus festis Missam in Parochiali Ecclesia celebrari facere.*

6 *Parochus, ultra propriam Missam, alias quoque diebus festis celebrari facere debet, secundùm Populi indigentiam.*

7 *Parochus monere quidem, non verò cogere*

gere potest suos subditos, ut Missam de præcepto in sua Ecclesia audiant.

8 *Parochiani an satisfaciant præcepto de audiendo Missam, in aliena Parochia*, & num. 11. cum seq.

9 Text. in cap. 2. de Paroch. *determinans, peccare eos, qui, proprio contempto Parocho, in aliena Ecclesia Missam audiant, explanatur.*

10 *Episcopus edicere nequit, ut quisque in propria Parochia Missam audiat.*

13 *Regularibus interdici nequit Missarum celebratio, præmisso Campanæ sonitu, ante Missam Parochialem.*

Quid autem de reliquis Ecclesiis seu Capellis, num. 14. & 15.

DISCEPTATIO VII.

QUale sit onus Parochorum circa celebrationem Missæ in propria Ecclesia, saltem diebus Dominicis, & festivis, & an Sacrificium Missæ appli-
1 care debent pro populo, ad normam *Tridentini sess. 23. cap. 1. de Reform.*, hoc nobis est demonstrandum. Et quoad primam partem, nulli dubium est, Parochum, teneri Dominicis, & aliis festivis diebus suis subditis Missam celebrare, & sic in propria Ecclesia, & non in alia, ut probat *Guttierez Canon. quæst. lib. 1. cap. 30. num. 1. cum sequent.* Undè consultâ *Sacra Congreg. Concilii in una Lucana 15. Septembris 1629.*
2 Censuit, onus injunctum Parocho Tompagnani se transferendi diebus festivis ad Parochialem alterius Villæ Antroccoli, ibique Sacrificium faciendi, esse abrogandum.

Et in *eadem Lucana die, & anno de quibus suprà*, cum Rector Parochialis
3 Ecclesiæ Tompagnani reperiretur obligatus accedere in octo festis diebus cum toto suo populo ad Ecclesiam Antroccoli pro celebranda Missa, remanente Ecclesia Tompagnani his diebus sine Missa, *Sacra Congreg. suprà*, censuit, onus hujusmodi eundi ad aliam Ecclesiam esse tollendum.

Propositoque pariter dubio in eadem *Sacra Congreg. Concilii die 17. Novembris 1629.*, an Parochi Terræ Urceani Fanensis Diœcesis, soliti à tempore fortè immemorabili accedere ad celebrandam Missam, in ea Ecclesia ejusdem Loci, ubi Festivitas aliqua per annum celebratur, & solemnizatur, relicta sine
4 Missa, propriâ Parochiali Ecclesia, *Sacra Congregatio, ubi suprà*, censuit, consuetudinem prædictam, secundùm ea, quæ proponuntur non esse admittendam, sed diebus festivis celebrandum in propria Parochia, *eadem Sac. Congreg. Concil. in una Civitatis Castellanæ 8. Augusti 1648.*

Parochi igitur, quicumque illi fuerint, ex suprà firmatis cum auctoritati-
5 bus Sacræ Congregationis Concilii, tenentur saltem Dominicis, & festivis diebus celebrare per se in eorum Ecclesia Parochiali: & quatenus legitimè impediti fuerint, per alios, ut docet *Diana resol. moral. part. 2. tract. de celebrat. Miss. resol. 26. Passerin. de offic. Curati cap. 2. num. 5. Ciarlin. controv. forens. cap. 38. num. 32. Rota recent. part. 19. decis. 469. num. 67.*

Sed quid, ubi Populus numerosus sit, an teneatur Parochus alias Missas celebrari facere, cum una Missa satisfieri
6 non possit omnibus Filianis, scilicet omnibus de sua Parochia; & dicimus, non solùm teneri, sed posse ab Episcopo cogi, juxta disposita per *Trident. sess. 21. cap. 4. de Reform.* per hæc verba: *Episcopi, etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegati, in omnibus Ecclesiis Parochialibus, vel Baptismalibus, in quibus Populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui Divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum Divinum celebrandum.*

Parochi, ut suprà demonstravimus, tenentur celebrare in eorum Parochiali Ecclesia, singulis diebus Dominicis, & festivis: hinc sequitur ut videamus, an Parochiani ipsi possint compelli à Parocho, ut accedant ad ipsam Parochialem Ecclesiam pro audienda Missa, vel, an possint accedere ad aliam, & ita facientes satisfaciant præcepto Ecclesiæ auditionis Missæ? Et quoad primum
7 dicimus, non posse Parochum compellere suos de Parochia, ut accedant ad Mis-

Missam Parochialem, sed tantùm monere eos valet, juxta disposita per *Tridentin. sess. 22. in Decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missarum* per hæc verba: *Moneant etiam eumdem Populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & majoribus festis accedant. Barbosa de Episcop. alleg. 24. num. 17.*

Quoad secundum: Accedentes ad aliam Ecclesiam pro audienda Missa diebus Dominicis, & festivis, quod sa-
8 tisfaciant præcepto Ecclesiæ, pariter non est dubitandum, ut habetur ex quadam declaratione *Leonis X.* ut sequitur: *Intelleximus, quosdam in dubium revocare, & perindè conscientiis timoratis scrupulum injicere, si Christifideles, qui Dominicis, & festis diebus extra Ecclesias suas Parochiales, Missas audiunt in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Ecclesiæ præcepto de Missa audienda satisfaciant? Nos ambiguitatem hujusmodi penitùs tollere volentes, ut cum sinceriori conscientia fideles quique Deo Creatori suo serviant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium notum facimus, omnes Christifideles utriusque sexus, qui non contempto proprio Sacerdote Parochiali, in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium Dominicis, & festis diebus Missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de audienda Missa, nec in aliquam labem mortalis peccati, pœnamve propterea incurrere; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque &c. Datum Romæ sub annulo Piscatoris die 13. Novembris 1517.* ita *Bertis Lucens. in praxi crim. Regul. tit. 4. cap. 34.*

Idem habetur ex quodam Brevi *Clement. VIII.* directo ad Nuncium Sedis Apostolicæ, inferioris Germaniæ, de anno 1592. die 2. Septembris, de quo *Fr. Emman. in Collect. privileg. fol. 520.*

Neque obstat *Textus in cap. 2. de Paroch.* quia ibi ad summum dicitur, peccare illos lethaliter, qui proprio con-
9 tempto Parocho, propriam Parochialem Ecclesiam deserunt, ut alibi Missam audiant: undè à contrario sensu deducimus satisfacere præcepto, si eam alibi audiant. Ideò autem in *præcitato Textu* meritò jubetur ejici à Parochis alienos Parochianos; quia in foro externo hi præsumuntur per contemptum propriam Parochiam deserere: undè quoad præceptum Ecclesiæ audiendi Missam, sive per contemptum, sive absque contemptu hoc faciant, semper implebitur præceptum, ut optimè docet *Card. Tolet in instruct. Sacerd. lib. 6. cap. 7. n. 1. Trullench. lib. 3. cap. 1. dub. 6. num. 4., Fagundez de Eccles. præcept. part. 1. lib. 2. cap. 3. num. 9.*

Et adeò est vera hæc opinio, ut non videatur posse Episcopos constitutio-
10 nem facere, qua præcipiant suis subditis, ne audiant Missam, nisi in propriis Parochialibus Ecclesiis, & excommunicationem esse nullam, ac irritam, si fortè sub ea id ipsum præcipiant, ut docet *Guttierez Canonic. quæst. lib. 1. cap. 30. num. 14. in fin. Suarez tom. 3. in 3. part. disp. 18. sect. 2. §. Sed in primis.*

Dixi: *qui proprio contempto Parocho, Ecclesiam Parochialem deserunt:*
11 contemptus autem præsumitur ex parte Parochiani, quoties caret causa legitima, cum sit honestum, & necessarium, ut in Dominicis, & festivis diebus audiant Missam, vel saltem in præcipuis festivitatibus, in sua propria Parochiali Ecclesia. Nota illud quod dicit *Mich. Lochovajar. in sua Parochiali Curatorum cap. 5.*, ubi quærens, utrum quilibet Parochianus teneatur sub mortali ad audiendam Missam in sua Parochia Dominicis, & festis diebus, sic respondit: *Potest aliquando esse mortale,*
12 *aliquando veniale, aliquando nullum: nullum, si causa suppetat legitima, veniale si ex pigritia, vel quia alia Ecclesia est vicinior: mortale tamen quando omittit ex contemptu vero, vel interpretativo: voco* (inquit) *contemptum interpretativum, quando sine causa legitima alibi audit, & præsumitur contemptus, si non habeat licentiam à proprio Parocho, vel non habeat causam legitimam, tunc enim peccat mortaliter, quia contemnit, & contra præcepta superioris, & juris venit.*

Non est abs re videre ad evitanda ea de quibus suprà, videlicet, ut Parochiani alicujus Parochiæ accedant ad eorum propriam Parochialem Ecclesiam, possit inhiberi Regularibus, vel Rectoribus,

aut

aut Capellanis aliarum Ecclesiarum, ne celebrent ante Missam Parochialem, vel
13 quatenus celebrare voluerint, quod non pulsent campanas, vel aliud dent signũ. Et quoad Regulares dicimus, nequaquã prohibitum esse illis Missas celebrare, & campanas pulsare in suis Ecclesiis ante celebrationem Missæ, & pulsationem campanæ in Ecclesia Parochiali, ut resolutum habemus ex *Sacra Congreg. Concil. in una Nullius Ravennaten.* 15. *Septembris* 1629., *Barbosa de Parochis part.* 1. *cap.* 11. *num.* 21., *Panimolla decis.* 5. *annot.* 1. *num.* 27.

Quo verò ad cœteros Ecclesiarum Rectores, seu Capellanos, dicimus,
14 non posse illos Missam celebrare diebus Dominicis, & festivis, præmisso sonitu campanæ, aut alio signo dato, & super hoc Episcopus providere potest, *Sacra Congreg. Concil. in una Aquen. celebrationis Missarum, ac jurium Parochialium* 4. *Augusti* 1691. ibi = *Habita relatione Episcopi, & utraque parte informante, Sacra &c. censuit celebrationem Missæ in diebus festivis, ante Missam Parochialem cum sono campanæ, aut alio signo Populum convocante, non licere*. Et ita *in Ripans* 18. *April.* 1693. *Sacra &c. censuit inhærendo Decreto in Aquen.* 4. *Augusti* 1691. *edito, censuit, celebrationem Missæ in diebus festivis ante Missam Parochialem cum sono campanæ, aut alio signo Populum convocante, non licere*.

Supradicta verò non habent locum, ubi Ecclesia fuerit Ruralis, quo casu li-
15 cet Sacerdoti celebrare etiam cum sono campanæ ante celebrationem in Ecclesia Parochiali, *Sacra Congreg. Concil. in una Cajetana* 18. *Septembris* 1627., & *in Asculana* 7. *Augusti* 1683., & *in Terracinen.* 12. *Decembris* 1693.

ARGUMENTUM.

Parochorum onus circa prædicationem verbi Dei, inter Missarum solemnia, circa Doctrinam Christianam, per eos docendam, circa denunciationem Festorum, Vigiliarum, Indulgentiarum, Matrimoniorum, Ordinandorum inter Missarum solemnia faciendam, ubi, an possint aliquod emolumentum petere pro hujusmodi Officiis.

SUMMARIUM.

1 *Parochi per se, vel per alios, dum legitimo detinentur impedimento, tenentur verbo Dei oves suas pascere*, & num. 2. cum seq.

3 *Panis spiritualis dicitur verbum Dei, quo defraudatæ animæ dicuntur occidi*, & num. 4.

5 *Prædicantes cum fructu verbum Dei, dicuntur mortuos resuscitare.*

6 *Prædicatio Divini verbi principaliter incumbit Episcopis, secundario inferioribus Rectoribus animarum*, & num. 8. cum seq.

7 *Curatis licitum est Evangelium explicare in sua Parochia, etiam quo tempore Episcopus in Civitate prædicaverit.*

10 *Parochis num formaliter concionandi sive Evangelium solummodo explicandi onus inhæreat, ostenditur*, & n. 13.

12 *Determinatio respiciens plura determinabilia, omnia pariformiter determinat.*

14 *Parochi tenentur pueros fidei rudimenta docere, nec citra lethalem culpam id poterunt negligere*, & n. 15. cum seq.

17 *Episcopus, Parochi negligentiam, vel inidoneitatem circa eruditionem puerorum in fidei rudimentis, supplere tenetur per alterius personæ idoneæ deputationem, eidem assignata congrua ex Parochiæ redditibus.*

18 *Parochus tenetur dies Jejunii, Festivitates, Indulgentias, ac similia in hebdomada occurrentia, Populo in-*

ter

ter Missarum solemnia denunciare, & num.20. & 22. *ubi declaratur*.

19 *Parochus potest aliquem super jejunio legitimè dispensatum declarare*.

21 *Parochus an dispensare valeat super exercitio operarum servilium Festis diebus*.

23 *Parochorum munus est futura Matrimonia inter Missarum solemnia denunciare*.

Nec non eorum vota, qui majoribus ordinibus cupiu t insigniri.

25 *Parochus pro concionibus habitis tempore Quadragesime, vel Adventus nequit eleemosynam concionibus dari solitam, prætendere*.

26 *Sicuti nec quicquam exigere pro denunciationibus Vigiliarum, Indulgentiarum, & similium*.

Declara ut ibidem.

DISCEPTATIO VIII.

QUale sit onus Parochorum, cœterorumque Curam Animarum habentium, hic per nos demonstrandum
1 est: & nulli dubium videtur, eosdem, attenta dispositione *Tridentini sess. 5. cap.2. de Reform.* teneri per se ipsos, si legitimè non fuerint impediti, sin minus per alios, prædicare verbum Dei diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus,ne impleatur illud *Hierem.Thr.4. Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*, his verbis: *Archipresbyteri &c.*, quod quidem repetit *eadem Tridentina Synodus sess. 22. de Sacrificio Missæ cap.8. vers. quamobrem retento &c.* necnon *sess.23. de Reform. cap.1. vers. cum præcepto*. Ac pariter *sess.24. cap. 4. vers. moneatque Episcopus*, & eadem *sess.24. utrobique de Reform. cap.7. vers.necnon*, *Doctores communiter* cum *Fagnan.* ad *Text. in cap. inter cætera de offic. Ordin. num.6. Barbosa alleg.76. num.37.*

Pabulum enim verbi Dei noscitur esse per quàm necessarium, eo quia sicuti
2 corpus cibo materiali nutritur, ita anima cibo spirituali pascitur: etenim non in solo pane vivit homo,sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, *Matthæi 3.*, & *Lucæ 4.*

Sermo enim Domini dicitur panis cœ-
3 lestis, quo subtracto, dicuntur Christiani pati famem, & sitim, ad *Textum in cap. jejunium 76.dist.*, concordat *Textus in cap. audacter 8. quæst.1.* ibi: *Sub quo Populus famem, & sitim patiatur, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Dei*: unde quemadmodum per subtractionem panis corporalis, occiditur corpus, ad *Textum in cap. pasce 86. dist.* Ita per
4 subtractionem panis spiritualis occiditur anima, *cap.Ephesis 43.dist. Glossa in d. cap. pasce*, ubi plura similia cumulat.

In eo autem cibum corporalem præcellit cibus spiritualis prædicationis E-
5 vangelicæ, quod ille corpus ext inctum non vivificat; at Prædicatores dicuntur spiritualiter mortuos suscitare, ad *Textu in cap. olim 8. qu.1.* & alibi passim.

Non est abs re videre, an Episcopo concionante, teneantur etiam Parochi hoc tempore silere, scilicet ne concionem habeant in eorum Parochiali Eccle-
6 sia: Et dicimus, quod licet principaliter hoc munus prædicandi verbum Dei spectet ad Episcopos; undè, eo concionante, omnes alii silere teneantur, juxta disposita,& resoluta pro *Sacram Congregationem in una Bituntina 2. Martii 1629. Urbinaten. 3.Februarii 1652.*

Verumtamen supradicta non habent locum quoad Parochos, cæterosve Ani-
7 marum Rectores; etenim ipsi inter Missarum solemnia, sermonem habere possunt, etiam ipso Episcopo prædicante, ut ex *Sacra Cougreg. Concil. in una Terulen. 11. Junii 1631.*, & *in eadem 29. Julii 1713.*

Quisque Parochus, vel quilibet Animarum Rector in sua Parochiali Ecclesia, tàm Dominicis, & festis diebus,
8 quàm tempore Adventus, vel Quadragesimæ,prædicare,potest imò debet,non obstante quacumque consuetudine in contrarium, *Sacra Congreg. Episcopor. & Regular. in una Prænestina prædicationis 17. Martii 1672. Sac. Congreg. Concil. in una Florentina 26. Januarii 1697. & in Rossanen. 22. Febr.1698.*

Quod videtur statutum non solùm à Jure communi Canonico, ad *Text. in cap. quod Dei timorem de statu Monach.* ac per *Trident.sess.5. cap.2. de Reform.* & aliis locis *Tridentini*, *ut suprà*: Sed etiam

9 etiam præcepto Divino, quo mandatum est Curam Animarum habentibus oves suas pascere verbi Dei prædicatione, *Joannis* 21., & *Actorum* 21.

Parochi, ut suprà, aut quicumque alii Curam Animarum habentes, an teneantur in eorum Parochialibus Ecclesiis formalem prædicationem habere diebus Dominicis, & Festis, videre est, vel an solùm teneantur simpliciter explicare Evangelium. Et in hoc dicimus,
10 quod, attento jure veteri, qui habebat Curam Animarum tenebatur ad prædicandum, ad *Textum in cap. quod Dei timorem de statu Monach.* ibi = *Ad Parochialium Ecclesiarum regimen in presbyteros ordinati, ex quo debent prædicationis officium exercere*, ubi *Abbas n.*2.

Nihilominus non de formali concione videtur dispositum per *Trid. sess.*5. *cap.*2. *de Reform.*, ubi tantùm habetur,
11 esse onus Parochorum, ut salutaribus verbis pascant gregem sibi commissum, *Fagnan.* latè *in cap. inter cætera à n.*33. *de offic. Ordin.*

Neque obstat dispositio ejusdem *Trident. sess.*24. *cap.*4. *de Reform.*, ex quo sub una structura verborum, eademque determinatione videtur comprehendere & Episcopos, & Parochos; adeout eosdem æqualiter debeat determinare,
12 juxta regulam: determinatio una respiciens plura determinabilia, debet illa æqualiter determinare: ac proindè sicuti Episcopi tenentur ad prædicationem formalem habendam, ita Parochi, quisque respectivè in sua Parochia. Nam responderi potest, quod ubi *Con-*
13 *cilium* sermonem habuit de Episcopis, eisdem præcipit prædicationem per illa verba: *Ipsi per se, aut si legitimè impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus assument*, nota li *Prædicationis*; Quando postea disponit de Parochis, non repetit eam dictionem, sed utitur illa dictione *Annuncient* ibi = *Sacras Scripturas, divinamque legem annuncient*. Undè concludendum est, Episcopos teneri de formali concione habenda sivè per se, sivè per alios, Parochos verò de explicatione *Sacri Textus*, ac morum correctione. An possint petere aliquod emolumentum, vide infrà.

Sequitur, ut videamus, quale sit onus Parochorum, circa docendos pueros de his, quæ pertinent ad salutem Animarum, puta, quæ respiciunt vitam Chri-
14 stianam: Et nulli dubium est, quemcumque Parochum teneri, sivè per se, sivè per alium singulis Dominicis, & festis diebus, pueros Parochiæ fidei rudimenta, ac Doctrinam Christianam docere, ad *Trident. sess.*24. *cap.*4. *de Reform.* ibi = *Iidem etiam saltem Dominicis, & aliis festivis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta, & obedientiam ergà Deum, & parentes, diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt*, *Ugolin. de offic. Episc. cap.*26. §.4. *n.*1. *Barbosa eodem tract. alleg.*76. *n.*37. *Sacra Congreg. Concil. in una Ventimilien.* 2. *Septembris* 1606.

Pro hujus tam præclari instituti observantia, emanavit Constitutio *S. Pii V.* quæ incipit: *Ex debito Pastoralis officii*, qua demandatur tam sancti operis im-
15 plementum. Igitur pertinet ad officium Parochi Parochianos suos in prædicta Doctrina Christiana erudire, *Fuscus de visit. lib.*1. *cap.*4. *num.*17., & *lib.*2. *cap.*3. *num.*12., *Riccius part.*1. *decis.*22.

Immò mortaliter peccabit Parochus,
16 ubi nimium negligens fuerit in hujusmodi Doctrina Christiana edocenda, *Sà V. Parochus n.*1., *Fernandez in sua Morali part.*4. *cap.*15. §.5. *n.*7.

Rursus poterit Episcopus, constito sibi de Parochi negligentia, vel insuffi-
17 cientia, alium designare ad hoc ministerium, assignatâ ei quadam competenti congrua ex fructibus Beneficii Parochialis, ad *Trident. sess.*5. *cap.*2. *de Reform.* *Barbosa de Parochis part.*1. *cap.*15. *n.*3. & *Riccius d. decis.*22. testatur, quemdam Parochum fuisse suspensum per sex menses, eo quod rudimenta fidei suos Parochianos non docebat, & *Doctores passim*.

Quod respicit onus denunciandi Populo Vigilias, Festivitates, Indulgen-
18 tias, & similia, inter Missarum solemnia, dicimus, esse munus Parochorum denunciare ovibus suis Vigilias in occurrenti hebdomada, in qua ex præcepto Ecclesiæ, vel ex loci consuetudine, seu ex Ordinarii lege jejunandum sit, ad *Trident. sess.*25. *de delectu ciborum*, & *jeju-*

jejuniis, *Vgolin. de offic. Episc. cap.6.*
§.3. num.3. Barbosa de Parochis cap.16.
num.2.

Hinc incidenter dicimus, posse Pa-
rochum, ubi justa necessitas ita expostu-
lat, dispensare cum suis Parochianis su-
19 per jejunio, videlicet declarare pro fo-
ro conscientiæ, stante necessitate illa,
non teneri ad jejunium, *Sylvester in*
summa. V. Jejunium quæst. 7. dist. 4.
Possevin. de offic. Curati cap.12. num.22.
Barbosa suprà num.3.

Pariter tenetur Parochus denuncia-
re Populo dies festos, quibus ab operi-
20 bus abstinere debent, ut ex *Trident. d.*
cap. de delectu ciborum, & innuitur in
Decreto de observandis, & evitandis in
celebrat. Miss. sess.22. Vgolin. de offic.
Episc. cap.16. §.3. n.4. Campanil. rub.12.
cap.13. num.92.

Hinc obiter dicimus, secundùm
nonnullorum sententiam, posse Paro-
21 chum concedere licentiam laborandi
diebus festis, dummodo non facilè ha-
beri possit recursus ad Episcopum, vel
ejus Vicarium, *Possevin. de offic. Cura-*
ti cap.12. & num.12. nos latè *lib.3. Di-*
scept.13. ubi *de Episcopis.*

Tenetur quoque Parochus Indulgen-
tias concessas à Pontifice publicare in
sua Ecclesia inter Missarum solemnia;
22 sed hoc tamen, ubi priùs justificatæ illæ
fuerint coram Ordinario Loci, & hic
mandaverit, ut eæ publicentur, & non
aliter, ut habetur ex *Sacra Congreg.*
Concil. ad Tridentin. sess.21. de Reform.
cap.9. ibi = *Nullus ergo sine Ordinario-*
rum licentia, & auctoritate poterit eas
publicare, non obstante quacunque exem-
ptione, etiam si Regularis sit, aut in Ec-
clesiis ipsorum Regularium, etiam præ-
textu privilegiorum, videlicet Confra-
ternitatis Rosarii, sed per Ordinarium
adhibitis duobus de Capitulo debitis
temporibus publicari debent = Brotii
Lucens. in praxi Crimin. Regul. tit. 4.
cap.34. num.3. vers. Indulgentias.

Est etiam munus Parochi publicas
denunciationes facere matrimonii con-
23 trahendi, quæ fieri debent ab illo, in-
ter Missarum solemnia, ad *Tridentin.*
sess.24. cap.1. de Matrim., Sanchez de
Matrim. lib.3. disp. 6. num.1.; Et ubi
Sponsus, ac Sponsa fuerint diversarum
Parochiarum, tunc illæ sunt faciendæ
in utraque, ut colligitur ex *eodem Tri-*
dentino suprà, ex quo habetur, denun-
ciationes faciendas esse à proprio Paro-
cho contrahentium; ergo tàm unus,
quàm alter Parochus eas facere debent,
Bon. de Matrim. cap.26. §.4. Guttierez
eodem tract. cap.56. num.5. Sanch. ubi
suprà num.4., & Doctores passim. La-
tè *nos infra de Sponsalibus, & Matri-*
monio Discept.7. per totam.

Parochus similiter tenetur, jubente
Ordinario Loci, inter Missarum solem-
24 nia denunciare, seu publicare vota illo-
rum, qui promoveri cupiunt ad majo-
res Ordines, ut si quis certò sciat, ali-
quem ex promovendis esse affectum ul-
lo Canonico impedimento, illud de-
nunciet vel ipsi Parocho, vel Episcopo
Loci Ordinario, ad normam *Tridenti-*
ni sess.23. de Reform. cap.5. & Doctores
communiter.

Demum pro complemento hujus Di-
sceptationis videre est, an Parochus,
25 ubi concionem habuerit in Ecclesia Pa-
rochiali tempore Adventus, vel Qua-
dragesimæ, possit petere, & exigere
eleæmosynam dari solitam à populo
aliis Concionatoribus. Et negativè re-
spondendum videtur, etiamsi ipse Pa-
rochus fuerit pauper, & prætextu pau-
pertatis eam exigere voluerit: ea ra-
tione, quia de jure Parochi tenentur
oves sibi commissas verbo Dei pascere:
ita *Barbosa ad Tridentin. sess.5. cap.2.*
de Reform. num.15. Panimolla decis.91.
annot.1. num.15. Sacra Congr. Concil.
in una Aquilana 21. Aprilis 1640.

Ita quoque nihil exigere valent Pa-
rochi pro denunciationibus Vigiliarum,
26 Indulgentiarum, Matrimoniorum, Or-
dinandorum, & similium, cum hæc
gratis facere debeant ratione officii: pro
fide verò, seu attestatione denuncia-
tionum Matrimoniorum, seu Ordinan-
dorum eis debetur decima pars unius
scuti, & quo ad munuscula non potest
Parochianos cogere, *Sacra Congreg.*
Episcop. & Regul. in una Sanctæ Seve-
rinæ 6. Augusti 1700.

AR-

ARGUMENTUM.

De Parochorum residentia penes eorum Parochialem Ecclesiam, ubi quinam comprehendantur sub hoc nomine Parochus.

SUMMARIUM.

1 *Parochis incumbit onus personaliter residendi, quamvis Ecclesia modicis constet redditibus, vel tribus, aut quatuor incolis dumtaxat*, & num.2. cum seq.

3 *Ecclesia, quæ à suis Parochianis penitus derelicta est, residentiam non exigit propter solam Curam habitualem. Limita nisi spes proxima supersit quod iidem Parochiani reversuri sint*, num.4.

5 *Parochus in ædibus Parochialibus, sin minus intra Parochiæ limites inhabitare tenetur.*

6 *Parochus duarum Ecclesiarum æquè principaliter unitarum, ubinam habitare teneatur*, & num.7.

8 *Parochi residentia debet esse continua*, & num.9.

10 *Parochus, qui festis tantùm, & Dominicis diebus inservit Ecclesiæ, residere non dicitur.*

11 *Parochi apud sibi commissum gregem tenentur animo, & corpore residere.*

12 *Parochus per seipsum residere debet*, & num.43.

13 *Alter substitui non potest, quoties fuit electa industria personæ.*

14 *Parochus, cui datus fuit Coadjutor, omnia, quæ magis ardua sunt, tenetur per seipsum expedire.*

15 *Parochi num excusentur à residentia propter aeris insalubritatem*, & num.16.

17 *Causa pestis an Parochum legitimè excuset à residentia*, & num.19.

18 *Parochi excusantur à residentia propter capitales inimicitias.*

20 *Pane alieno qui vescitur, debet eodem sese dignum exhibere.*

21 *Duarum Parochiarum, quarum una unita est alteri habenti Curam habitualem dumtaxat, qualis sit residentia.*

22 *Beneficium accessoriè unitum, efficitur quodammodo prædium ejus, cui unio facta fuit.*

23 *Ecclesia, habitu tantùm Curam retinens animarum, an residentiam requirat, non obstante contraria consuetudine*, & num.24. cum seq.

26 *Ecclesia curata, quæ fuit derelicta, restituto populo, nova erectione non indiget.*

27 *Vicarii, & Coadjutores Parochialium Ecclesiarum tenentur ipsi quoque residentiam præstare in Ecclesia.*
Item Regulares, quibus onus incumbit Animarum, num.28.
Similiter Canonici Collegiatarum, quibus eadem Cura inhæret, & n.29.

30 *Canonicus obtinens Præbendam, cui annexa est Cura animarum, in alia Ecclesia, residere tenetur in Parochiali*, & num.31.

32 *Residendi onus quoad Parochos innixum est juri Divino.*

33 *Residentia an requiratur pro sola Cura jurisdictionali, Cura actuali residente penes Capitulum.*

34 *Abbas Commendatarius Monasterii, cui Animarū Cura annexa reperitur, tenetur solummodo idoneum deputare Vicarium pro ipsius Curę administratione, non autem residere: & ratio redditur*, num.35. cum seq.

37 *Abbas Commendatarius suffectus dicitur in locum Titularis quoad onera Beneficio incumbentia.*

38 *Subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur.*

39 *Monachi incapaces existunt Curæ animarum Secularium.*

40 *Potentia inanis reputatur, quæ non est redigibilis ad actum.*

41 *Commenda nullatenus immutat statum Beneficii.*

42 *Observantia in dubio attenditur pro dignoscendo, an Beneficio onus inhæreat residendi.*

DISCEPTATIO IX.

Quia Animarum Cura competit non solum Episcopis, cuilibet respectu suæ Diœcesis, sed cuilibet Parocho

cho respectu suæ Parochiæ; meritò, sicuti
1 quilibet Episcopus tenetur ad personalem residentiam, ut aliàs demonstravimus, ita quilibet Parochus, sub pœna, & pœnis, ut infrà, ad *Trident. sess.23. cap.1. vers. eadem omnino*, & *toto tit. de Cleric. non residentibus* tàm *extra*, quàm in *sexto Decretalium*, concordat *Textus in cap. extirpandæ* §. *qui verò de præbendis*, ubi *Fagnan.* & *Doctores communiter*, cum *Sac. Rota part.19. recent. decis.335. num.7.*

Ampliatur primò supradicta Conclusio, etiam ubi Parochialis Ecclesia
2 fuerit modici redditus, cùm de jure non debeat attendi commodum ipsius Rectoris, sed suorum subditorum; ac proinde Parochus non residendo, subjacet iisdem pœnis, ac si Beneficium pingue existeret, ad *Text. in cap. conquerente* ubi *Fagnan. num.1. & 2. de Cleric. non residentibus*, idem *Fagnan. in cap. extirpandæ* §. *qui verò de præbendis n.6. Santarellus var. resol. resol.4. n.45. Reginald. in praxi pœnitent. lib.3. tract.3. n.294.* Imputare enim sibi debet Parochus hujusmodi, si tale Beneficium acceptavit, *Fagnan. sup. num.7.*

Ampliatur secundò, ut teneatur Parochus ad residentiam, quamvis in sua
3 Parochia non commorentur nisi tres, vel quatuor incolæ tantùm, *Fagnan. in d. cap. extirpandæ* §. *qui verò num.11. Pax Jord. lucubr. Canon. lib.10. tit.40. num.43.* Secus verò si Parochialis Ecclesia desinat in totum Parochianos habere; quia tunc dicitur Curata tantùm habitu, non actu; ac proinde providetur de illa, sicut de simplici Beneficio, neque ampliùs ad residentiam tenetur Parochus, *Doctores communiter* cum *Barbosa de Parochis cap.8. num.5.*

Ratio est, quia Ecclesia Parochialis habitu, ex quo caret incolis, regulatur uti simplex Beneficium; ac proinde Rector venit excusandus à residentia. Sed
4 hoc intellige, ubi non adsit spes proxima, ut habitus reducatur ad actum, per reversionem Parochianorum; nam, si verisimile sit, ut brevi incolæ revertantur, regulanda est ut Parochialis actu, *Doctores apud Fagnan. in d. cap. extirpandæ* §. *qui verò num.48.*

Rectores ipsi, pro majori commoditate Populi, residere tenentur in ædibus
5 Parochialibus, si eas habeant, quas si non habuerint, saltem intra fines Parochiæ, *Garz. de beneficiis part.3. cap.2. num.179. Pax Jordan. lib.10. tit.40. n.55.*, *Barbosa de Parochis cap.8. n.34. Fagnan. in cap. extirpandæ* §. *qui verò num.12. de præbendis*, *Card. de Luca ad Trident. disc.4. num.11. Sacra Congreg. Concil. in una Limerien. 19. Januarii 1636. Nucerina Paganorum 17. Augusti 1687.* ubi de Parocho, qui habebat domum propriam extra Parochiam, & in dicta *Nucerina 26. Aprilis 1698.* ibi = *Benedictum de Sanctis teneri in sua Parochia residere*.

Ubi verò quis fuerit Parochus duarum Parochialium unitarum æquè principaliter, itaut inter ipsas non detur
6 dignior; tunc Parochus residere potest in qua maluerit ex his duabus, *Garz. suprà n.179. Barbosa de Episcop. alleg.53. num.82. Fagnan. in d.* §. *qui verò n.31. Pignatell. consult. Canon. to.1. consf.350. Sacra Congreg. Concil. in una Regien. 17. Aprilis 1649.*

Verùm hoc procedit, ut dixi, si per omnia sint æquales, aliàs secus; ideoque
7 suborto dubio, si duæ Ecclesiæ fuerint unitæ, in qua sit residendum, responsum est, esse residendum in digniori: quod si non constet, quæ sit dignior, in frequentiori, quod si una fuerit extra, & altera intra Urbem, residendum est in ea, quæ est intra Urbem, ita *Fagnan. ad literam suprà num.32.*

Residentia, de qua suprà, debet esse continua, ad hoc ut Rector verè, & cum
8 effectu residere dicatur; undè non valet nocturno tempore residere apud suam Ecclesiam, & de mane se conferre ad Civitatem, etiam relicto Vicario, seu substituto; cum hoc casu non videatur
9 munus sibi injunctum à Sacris Canonibus, servare, ut in casu præciso docet *Sacra Congreg. Concil. in una Fulginaten. residentiæ 10. Maji 1687. ad dub.2.*

Ita pariter neque residere dicitur, ubicumque habitat in loco distante à sua Parochia, non plusquam tribus, vel qua-
10 tuor miliaribus; licèt Dominicis, vel festivis diebus ad suam Ecclesiam accedat, *Barbosa de Parochis cap.8. num.39. Pax Jordan. suprà num.57. Sacra Congreg.*

greg. Concil. in d. Fulginaten. ad dub. 1.

Etenim Rectores Parochialium, corpore, & animo residere tenentur apud
11 eorum Ecclesiam, ut eorum sermone, & visu pascere, & considerare possint greges sibi commissos: juxta illud sacri *Textus Proverb. cap.* 27. ibi = *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera*.

Tenentur quoque residere per se ip-
12 sos, non autem per eorum Vicarios, ad *Text. in cap. extirpandæ §. qui verò de præbendis* ibi = *qui verò Parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per se ipsum illi deserviat in ordine, quem ipsius Ecclesiæ Cura requirit*. Ratio est, ut dicit *Abbas ad citatum Text. num.* 2.
13 quia videtur electa industria personæ; ideoque non potest cura alteri delegari, ad *Text. in cap. fin. §. is enim de offic. delegati, cap. is cui, eodem tit. in* 6. Confert *Text. in l. inter artifices ff. de solutionibus*.

Et licèt Parocho concedatur aliquando Coadjutor pro alleviando onere ip-
14 sius Parochi; omnia tamen ardua per ipsum Parochum erunt exercenda, ut docet *Cajetan. num.* 2. *quæst.* 185. *art.* 5. *Sotus de Just. & jure lib.* 10. *quæst.* 3. *art.* 3. *Barbosa de Parochis dicto cap.* 8. *num.* 41.

Rectores Parochialium sunt adeò adstricti oneri residentiæ, ut neque pos-
15 sint abesse ratione insalubritatis aeris: ita *Barbosa de Episcopis alleg.* 53. *n.* 90. *& de Parochis cap.* 8. *n.* 29. *&* 30. *Pax Jordan. lucubrat. Canon. lib.* 10. *tit.* 40. *n.* 52. *Ugolin. de Officio Episcopi cap.* 15. *§.* 3. *Sacra Congreg. Concil. in una Callien. residentiæ* 29. *Septembris* 1680. *&* 28. *Octobris* 1699.

Licèt alii credant aeris intemperantiam præbere Parochis justam excusa-
16 tionem non residendi, ita *Hostiensis* ad *Textum in cap. Clericis num.* 5. *de Clericis non resident.* docet *Fagnan. ad dictum Textum num.* 35. quamvis *idem Fagnan. eodem num.* 35. *vers. cæterum* concludat, dictum *Hostiensis* habere locum in obtinentibus Beneficia, quibus Animarum Cura non incumbit; Parochos verò non excusari à residentia, ob causam prædictam, & ita sæpiùs fuisse declaratum per Sacram Congregationem.

An verò Parochi tempore pestis teneantur residere apud propriam Paro-
17 chiam, videre est. Et licèt nonnulli ex Theologis uti *Tabienna*, & *Armilla*, ac nonnulli *Canonistæ in cap. fin. de Clericis non resident.* quibus adhæret *Barbosa consil.* 87. *num.* 2. dicant, Parochos excusari à residentia tempore pestis, sicuti excusantur ob inimicitias capitales.

Nihilominus aliter videtur statutum
18 per *Sacram Congreg. Concil.* Etenim, instante D. Carolo Borromæo Archiepiscopo Mediolanensi, ut Sacra Congregatio vellet declarare, an Parochi tempore pestis teneantur residere in suis Parochialibus, & Sacramenta per se ipsos ministrare Parochianis suis eo morbo infectis: quoad primam partem dicti dubii responsum fuit, teneri Parochũ tempore pestis residere apud suam Parochiam, ex Sententia *Ripæ in tract. de peste tit. de privileg. num.* 145. *&* 150. item ex Sententia *D. Thomæ* 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 5.

Teneri eodem tempore Parochianis suis peste laborantibus ministrare duo Sacramenta ad salutem necessaria, vide-
19 licet Baptismum, & Pœnitentiam; & quoad secundam partem dubii, respondit, illa posse ministrare sivè per se, sivè per idoneum Coadjutorem. Et ita ex quampluribus resolutionibus, signanter 10. *Septembris* 11. *Octobris* 26. *Octobris* 6. *Decembris* 23. *Decembris* 1576. ut de omnibus apud *Fagnan. in cap. Clericos à num.* 37. *& sequentibus de Clericis non resident.*

Neque obstat quidquid dicunt Doctores pro prima sententia; etenim
20 onus boni Pastoris est vitam Corporalem pro vita spirituali sui gregis exponere, juxta illud *Jo.* 11. *&* 12. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis, mercenarius autem videt lupum venientem, & fugit*. Nemo enim debet alterius pane vesci, nisi priùs illo elaborato juxtà illud *Apostoli ad Thessalonicenses* 1. *cap.* 3. ibi = *Neque gratis panem accipimus ab aliquo, sed in labore, & fatigatione, die, ac nocte laborantes, ut nosmetipsos formam daremus vobis, ad imitandum nos*.

Facit ad casum videre, quatenus duæ ad-

adſint Parochiales, quarum una ſit alteri perpetuò, & acceſſoriè unita, altera verò habitu tantùm Curata, an requirant perſonalem reſidentiam:& quoad Parochialem unitam res videtur carere omni difficultate; etenim, ubicum-
21 que unum Beneficium fuerit acceſſoriè unitum alteri Beneficio, ſuppreſſo ejus titulo, quodammodo videtur per hujuſmodi unionem effectum fuiſſe veluti prædium Beneficii, & Eccleſiæ, cui unitum fuit; cum talis ſit natura unionis acceſſoriè, & perpetuò factæ, ut perpetuò, & acceſſoriè annexum, amittat ſuam primævam naturam; quemadmodum habetur ex *Textu in cap. recolentes de ſtatu Monachorum*, *Rota coram Seraphino deciſ.*1078., ac proindè non
22 requirit reſidentiam, facit *Textus in d. cap. extirpandæ §. qui verò de præbendis* ibi = *Niſi fortè Dignitati, vel Præbendæ Parochialis Eccleſiæ ſit annexa*, & ibi *Fagnan. num.*37.

Quo verò ad ſecundam, quæ habitu tantùm dicitur Parochialis, & in qua à longiſſimo tempore Rector non reſe-
23 dit; dicendum videtur hujuſmodi Parochiam reſidentiam requirere, non obſtante quod ab immemorabili Rector non reſederit; etenim conſuetudo non reſidendi in Curatis, tamquam corruptela fuit ſublata à *Tridentin. ſeſſ.* 23. *cap.*1. *in fin. Sacra Congreg. Concil. in una Larien.* 7. *Septembris* 1630. Et quidem Eccleſiam habitu tantum curatam requirere reſidentiam, ac proindè eſſe incompatibilem cum altero Beneficio reſidentiali, tenuerunt multi ex antiquis, videlicet *Innocen. in cap.de multa de præbendis*, & ibi *Abbas antiquus*, *Joannes Andreas*, *& alii*.

Contrariam verò Sententiam, pro
24 qua adeſſe videtur *Textus* expreſſus *in cap. Paſtoralis* 7. *qu.*1. ſecuti ſunt *Gloſſa in cap. licèt Canon de Elect. in* 6. *Butrius ibidem num.*13. *Abbas in d. cap. de multa*, *Felin. in d. cap. poſtulaſti*, *Garz. de Benefic. part.*5. *cap.*3. *num.*15. *Moſcard. concluſ.*189. *num.*5.

Sed tu concilia, primam Sententiam habere locum, ubicumque adeſt ſpes
25 proxima, ut Parochialis habitu reducatur ad actum, per reverſionem Parochianorum; ſecundam verò procedere, ubi nulla adeſt ſpes reverſionis Parochianorum. Etenim, licèt Rector de facto non exerceat Curam, attamen dicitur habere jus Curæ; itaut quacumque hora Parochiani reverterentur, poſſet eam Curam exercere, & quaſi jure poſtliminii ſtatum ſuum recuperare, *cop. diligentia de Elect. in* 6.

Et ideò, ſi Parochiani reverterentur ad Eccleſiam Curatam, non eſſet
26 opus auctoritate Superioris, ut efficeretur Parochialis, ſed potentia reducta ad actum, reponit rem in priſtino ſtatu, ad *Text. in l. ſi unus §. pactus ne peteret* ibi = *In priſtinam naturam rediit* = *ff. de pactis*, *Bald. in l. cunctos populos num.*18. *C. de Sum. Trin.*

Regulæ prædictæ à nobis aſſignatæ locum habent etiam quoad Vicarios, & Coadjutores Rectorum Parochialium;
27 ipſi enim quoque ad reſidendum apud Curam tenentur, ut Rectores ipſi Principales, ita *Gonzalez ad Regulam* 8. *Cancellariæ Gloſſa* 5. §.9. *num.*17. *Campanil. diverſ. Juris Canon. rub.*7. *cap.*6. *num.*104. *Riccius reſol.*393. *Sanctarellus var. quæſt.*4. *Barboſa de Epiſcop. alleg.*53. *num.*78. ubi *Doctores*.

Sed quid quoad Parochos Regulares: & nulli dubium eſt, Regulares, habentes Animarum Curam, teneri pe-
28 nes Eccleſiam Parochialem reſidere, non autem in Monaſterio ſui Ordinis, quoties illud abeſſet ab Eccleſia Parochiali, *Sacra Congreg. Concil. in una Charien.* 5. *Aprilis* 1631.

Canonici Collegiatarum, quibus Animarum Cura commiſſa eſt, adſtricti ſunt
29 reſidere per ſeipſos apud eorum Curam, non obſtante quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, in contrarium, inſerviendi per Vicarium, *Fagnan. in cap. cum omnes num.*33. *de Conſtitutionibus*.

Quoties verò Canonicus haberet Præbendam unitam cum Parochiali
30 æquè principaliter, tenetur reſidere penes Parochialem uti digniorem, ut habetur ex *Conſtitutione S. Pii V.* quæ incipit *Cupientes*. Nec videtur obſtare *Textus in cap. extirpandæ §. qui verò de præbendis* ibi = *Niſi fortè Dignitati, vel Præbendæ Parochialis Eccleſiæ ſit annexa, in quo caſu concedimus, ut qui*

talem

talem habet præbendam, vel dignitatem, tunc oporteat, eum in majori Ecclesia deservire, in ipsa Parochiali Ecclesia idoneum, & perpetuum habeat Vicarium Canonicè institutum.

Nam ibi *Textus* loquitur, in casu
quo Parochialis annexa est dignitati ac-
31 cessoriè, & perpetuò, cujus unionis natura est, ut Beneficium ita unitum amittat suum nomen, & induat naturam Beneficii, cui est unitum, ut aliàs diximus suprà, & ita *Fagnan. in cap. extirpandæ §. qui verò num.29.*

Secùs tamen esset, ubi præbenda fuerit unita æquè principaliter Ecclesiæ
32 Parochiali, nam tunc istam obtinens residere tenetur in Parochiali. Ratio est, quia personalis residentia in Parochialibus innititur juri Divino, ut in decreto *Tridentin. sess.23. cap.1.* in aliis verò Beneficiis inducta est ex consuetudine Ecclesiæ; ac propterea valet consuetudo in eis non residendi.

Præpositus, vel alio quocunque titulo vocatus, cui tantùm incumbit cu-
33 ra Jurisdictionalis, cum actualis geratur per Vicarios amovibiles præsentatos à Capitulo, adhuc tenetur ad personalem residentiam, ac si cura ipsa per eumdem actualiter geratur, ad formam *Tridentin. sess.23. cap.1.* ut decisum habetur ex *Sac. Congreg. Concil. in una Cavallicen. distributionum, & residentiæ 27. Septembris 1687. ad dub.1.*

Sed quid dicendum videtur de Abbatibus Commendatariis Monasterii Regularis, cui annexa sit Cura Ani-
34 marum. Et licèt Abbas non teneatur residere per seipsum, nihilominus, ne cura patiatur detrimentum in spiritualibus, debet apponere Vicarium ab Episcopo Ordinario loci approbandum; ad *Text. in cap in Ecclesiis de statu Monachorum* ibi: *In Ecclesiis, ubi Monachi habitant, Populus per Monachum non regatur, sed Capellanus, qui populum regat, ab Episcopo per consilium Monachorum instituatur; itaut ex solius Episcopi arbitrio tàm ordinatio ejus, quàm depositio, & totius vitæ pendeat conversatio.* Undè ex hoc patet, quod sicuti Monachus non habet onus Curæ, ita pariter neque residentiæ.

Hinc colligitur, Abbatem Commendatarium esse exemptum ab hoc onere residendi, sed tantùm spectare ad suum Vicarium habentem Curam Animarum
35 residere, cum penes ipsum Abbatem non videatur residere Cura Parochiæ; undè neque onus residentiæ, *Sacra Congreg. Concilii in una Nucerina Prioratus 14. Januarii 1634. Amalphitana 3. Maji 1642. Tudertina Prioratus 17. Augusti 1647.* ibi: *Sacra &c. censuit Sacerdotem Benedictum de Oddis, Priorem nuncupatum Ecclesiæ Parochialis S. Nicolai Civitatis Tudertinæ non teneri per se ipsum Curam Animarum exercere, neque residere. Pignatel. to.1. consult.86. Fagn. in c. in Ecclesiis de statu Monachor.*

Ratio supradictorum, quare Commendatarii Monasteriorum non teneantur per se ipsos exercere Curam Animarum Monasterio imminentem, & consequenter nec personaliter residere, ea
36 est; quia in Monasteriis ubi Monachi vivunt in Congregatione, Cura Populi non incumbit Abbati, vel Monachis, sed ipsi Ecclesiæ, vel Monasterio, ut patet ex citato *Textu in Ecclesiis*; nam si Cura incumberet Abbati, & Monachis, non adstringerentur ad eam exercendam per Presbyterum secularem, ut deciditur in *Textu, de quo suprà*, sed deberent, aut saltem possent ipsi per se illam exercere. Igitur cum ipsi Abbates Commenda-
37 tarii suffecti sint in locum Abbatis titularis; quemadmodum Abbas non obstringitur ad hujusmodi curam exercendam perse ipsum, ita nec Commenda-
38 tarius; nam subrogatum sapit naturam ejus, in locum cujus sobrogatum est, *Barbosa axioma 213.* & *Doctores passim.*

Neque valet dicere; si non residet penes Abbatem cura actualis, saltem
39 residet cura habitualis; & proindè tenetur ad residentiam, ut in Parochiali habitu diximus: nos enim respondendo dicimus, hanc assertionem, quòd cura habitualis sit penes Abbatem, nec jure, nec ratione ulla probari posse; quia cùm Abbates, & Monachi Claustrales nunquam habuerint curam actualem, neque illam habere possint, ob illorum incapacitatem, juxta *Textum citato Capitulo in Ecclesiis*, frustra esset
40 potentia, quæ numquam videtur reducibilis ad actum, ut docet *Bald. consil.377.*

fil.377.lib.3. Hostiensis in Summa de pænit. & remiss. §. cui. Nec refert quod reduci possit ad actum ex dispensatione Apostolica; eo quia quodcumque obtinetur per dispensationem, dicitur fieri non posse, *Innocent. in cap. Pastoralis de caus. possessione*.

Cum igitur certum sit, antequam Monasterium fuisset Commendatum, &
41 quo tempore erat congregatio Monachorum, Curam non fuisse penes Abbatem, & Monachos, sed penes Monasterium, ut expresse adnotavit *Abbas in cap. in Ecclesiis suprà num.5.* Hinc necessariò sequitur, ut idem sit dicendum posteaquam Monasterium fuit Commendatum; quia Commenda statum Beneficii non mutat, *Surnen. in Regula de Infirmis quæst.13. Puteus decis.25. lib.1. Fagnan. sup. à num.12. & sequentibus d. cap. de Ecclesiis.*

Prædictis accedit communis observantia; etenim, sæpè Monasteria ipsa
42 commendantur Cardinalibus, & Prælatis, qui non resident, nec Curam exercent per se ipsos: quod denotat, Curam eis non incumbere, *Glossa in Clemen. dudum de Sepulturis §. statuimus. V. impendunt*, & ibi *Card. in §. ac indè n.9. Vitalinus in §. verum num.3. Abbas in cap. dudum de Elect. num.9.* & *in cap. de multa de præbendis num.24.*

Etenim illi, quibus hujusmodi Cura incumbit, tenentur deservire per se ip-
43 sos, cùm sit electa industria personæ, *cap. cum sit de ætate, & qualitate, Abbas in cap. non liceat de Cleric. non residentibus*. Undè concludendum est, Abbates commendatarios Monasteriorum S. Basilii, & S. Benedicti &c. ubi illa data fuerint in Commendam, quamvis habeant Curam Animarum personarum secularium, non teneri ad personalem residentiam, ac Curam per se ipsos exercere, sed per Vicarios Presbyteros seculares exercendam.

ARGUMENTUM.

Parochorum onus residendi apud ipsorum Curam, an sit strictè, vel largè sumendum?

SUMMARIUM.

1 *Residentiæ onus non est adeo amarè intelligendum respectu Parochi, ut nequeat is per modicum temporis alibi morari*, & num.16.
Hoc autem modicum tempus quomodo sit intelligendum, num.2.
3 *Parochus an, etiam cum brevi tempore absfuturus est, opus habeat Ordinarii licentiâ.*
4 *Causæ justæ, ut Parochus possit abesse à residentia, recensentur*, & num.5. cum seqq.
8 *Causa justa simul cum Ordinarii licentia requiritur, ut Beneficiatus possit abesse à residentia*, & n.9. cum seq.
Quid si Episcopus differt, num.14. cum seq.
Et an satis sit, quòd licentia petita fuerit, etiamsi non obtineatur, num.12. cum seq.
13 *Licentia Superioris ubi requiritur, concedenda ea est, adhibitâ causæ cognitione.*
15 *Casus repentinus est instar necessitatis dijudicandus.*
16 *Necessitas lege non ligatur.*
17 *Parochus ex improvisò abesse coactus à residentia, tenetur certiorem reddere Ordinarium, qui opportunam facultatem ipsi impertiatur.*
18 *Parochus, ubi legitimè discedit, tenetur suum gregem de idoneo substituto interim providere, ab Episcopo approbandum.*
Declara, ut num.19.

DISCEPTATIO X.

Quæ diximus suprà de residentia Parochorum Curam Animarum habentium, non sunt adeò strictè accipienda, ut manere debeant Parochi
1 ipsi, ac cœteri Rectores Curam Animarum habentes, quasi in compedibus, itaut à residentia pro nihilo abesse possint;

sint; etenim ad breve tempus alibi moram trahere valent, ut docet *Possevinus de offic. Curati cap.1. num.6. Gonzalez ad Regulam 8. Cancell. Glossa 43. num.5. Barbosa ad Trid. sess.23. cap.1. de Refor. & de Episcopo alleg.53. n.92.*

Hoc tempus ad octo tantùm dies ex-
2 tendit *Possevin. suprà num.19.* Ad spatium trium hebdomadarum extendit *Reginaldus in praxi fori pœnit. lib.1. cap.6. sect. ultima num.51.* Per hebdomadam *Fagnan. in cap. relatum n.32. & 49. de Cleric. non resident.* obtentâ priùs licentiâ ab ipso loci Ordinario, ut
5 ex *d. Fagnan.*, & ubi repentinus casus acciderit abessendi pro paucis diebus, sufficit licentia Vicarii foranei, ut ex *d. Fagnan. suprà num.42. in d. cap. relatum.*

Ut quisque Parochus licitè abesse possit à sua Cura, requiritur causa ju-
3 sta, nam aliter non erit immunis à pœnis per Sacros Canones contra non residentes latis. Dicitur *primò* causa justa, ubi se
4 absentat à Cura, causâ recuperandæ salutis, ad *Text. in cap. ad audientiam de Clericis non resident. Fagnan. in cap. relatum n.10. & in cap. Clericos n.8. & seqq. eodem tit.*

Secundò, ubi absque discrimine suæ
6 vitæ ob graves inimicitias residere non valet, *Fagnan. in cap. Clericos suprà num.22. & 26. Sacra Congreg. Concil. in una Pisana 14. Decembris 1630.* & in altera *Mileten. 15. Octobris 1644.*

Tertiò, quotiescumque de crimine ac-
7 cusatus, coram Judice Superiore se præsentat, ut à crimine, de quo fuit inculpatus, se defendat, *cap. ex parte de Cleric. non resident. Fagnan. in d. cap. Clericos n.34. Panimolla decis.80. n.45.* & *Nos* latiùs *infrà Discept.12.*

In quocumque verò ex his tribus casibus, vel similibus, ut Rectores Pa-
8 rochialium abesse possint, opus est ut priùs obtineant licentiam ab Ordinario Loci, *Barbosa de Parochis cap.8. n.55. Fagnan. in d. cap. relatum num.29. & sequent.*

Undè fit, ad hoc ut Clericus Beneficiatus licitè abesse possit à Beneficio,
9 duo copulativè esse necessaria, videlicet honestam causam, & sui Prælati licentiam; ac proindè sola causa, ut cumque honesta, & rationabilis, sine Prælati licentia, & dispensatione, non sufficit, ad *Text. in d. cap. Relatum* ibi = *Nisi fortè de licentia suorum Prælatorum, vel studio litterarum, vel pro aliis honestis causis contigerit eos abesse*, ubi *Fagnan. num.10.*

Sicuti è converso non sufficit licentia Prælati sine honesta, & rationabili
10 causa: & ratio est, quia Prælati, etiam in casibus à Jure permissis, sine justa cau-
11 sa non dispensant contra jus, *cap. dilectus de tempor. ordinar.* Facit *Trident. sess.25. cap.18.*

Ex supradicta conclusione prima oritur quæstio, an, ut Beneficiatus licitè
12 abesse possit sufficiat, quod petita fuerit Prælati licentia, quamvis non obtenta: & negativè respondendum videtur, ad *Text. in cap. non oportet il primo*, & ibi *Glossa de consecrat. dist.5.*, & *in cap. cum ex eo de elect. in 6. Abbas in d. cap. relatum num.5.* ibique *Fagnan. n.12. Garz. de Benefic. part.3. cap.2. num.27.* & ibi Resolutio *Sac. Congreg.* per hæc verba: *Nec Parochus habens justam causam abeundi extra Parochiam per duos menses, aut tres, satisfaciet suæ conscientiæ, si petat licentiam, jurans se habere gravantem causam, quam non expe-*
13 *diat manifestare, ut sic petita licentia abesse possit, licèt Episcopus non concedat.* Etenim ubi lex requirit licentiam Superioris, duo intelligitur requirere, idest, ut petatur, & obtineatur, *l. 2. C. de in jus vocando.* Ratio est, quia ubi requiritur licentia ipsa, reservata videtur superiori cognitio, utrum casus absentiæ sit licitus, vel ne, & ita in casu alienationis docet *Abbas in cap. ut super num.17. de rebus Eccles. non alienandis.*

Secunda quæstio est, an propter solam distantiam loci ab Episcopo, cum æqua discedendi causa, Parochus possit
14 abesse à sua Ecclesia sine licentia in scriptis obtenta? & negativè respondendum videtur, ea ratione quia, attenta dispositione juris non potest Parochus à residentia abscedere, etiam datâ justâ causâ, sine licentia Ordinarii loci, ut habetur ex *Textu in d. cap. relatum*.

Sed hoc limita, nisi causa gravis, & necessaria immineret, quæ tantam ceri-

leritatem requireret, ut non posset Pa-
15 rochus consulere Superiorem,& ab eodem licentiam petere; casus enim repentini æquiparantur necessitati, & sicuti necessitas non subest legi, *Dec. in l. quapropter ff. de Regulis juris*: meritò, ubi necessitas gravis ita expostulat, non tenetur cum gravi incommodo expectare licentiam Superioris. Nam
16 ea, quæ statuta sunt de Residentia, non ita amarè intelligenda sunt, *Card. in Clem. 1. quæst. 2. num. 21. de foro competenti*.

Undè in casu prædicto Rector Parochialis satisfacere videtur muneri suo,
17 certiorem reddendo Ordinarium de sua absentia, & causa absentiæ, ad hoc ut discessum approbet, & licentiam permanendi concedat, *Barbosa suprà de Parochis cap. 8. num. 66. Pax Jordan. lib. 10. tit. 40. num. 63. Fagnan. in cap. relatum suprà num. 45. Garz. de Benefic. part. 3. cap. 2. num. 34. ibique Resolutio Sacræ Congreg.* per hæc verba: *Sacra Congreg. &c. censuit solam distantiam loci, etiam cum necessitate eò discedendi, non excusare Parochum, ut possit abesse à sua Ecclesia, sine licentia in scriptis obtenta, nisi talis necessitas repentè se offerat, quæ non patiatur dilationem hujusmodi licentiam petendi: quo casu quàm primum de discessu, & necessitate Ordinarium certiorem faciendum esse, ut de causa cognoscere possit*.

Obtentâ licentiâ discedendi, ante suum discessum debet Parochus suo Gre-
18 gi consulere de bono, & optimo Vicario, ut Curam illius habere possit, qui erit approbandus ab Ordinario loci, ut habetur ex *Tridentino sess. 23. cap. 1. vers. eadem* ibi: *Ita tamen ut quandocumque eos, causa priùs per Episcopum cognitâ, & probatâ, abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant. Sac. Congreg. Concil. in una Novarien. 6. Maji 1647., Barbosa de Episcop. alleg. 53. num. 106.*

Nisi absentia fuerit pro paucis diebus, puta sex, vel ad summam octo, quo casu illum deputare potest, absque
19 eo quod ipse deputatus in Vicarium fuerit specialiter ad hunc effectum approbatus ab Ordinario loci, dummodo tamen sit idoneus, *Barbosa suprà* ita docet de generali consuetudine.

ARGUMENTUM.

Parochus, ubi non residet penes suam Ecclesiam, & Parochialem Curam, quibus pœnis erit de Jure afficiendus?

SUMMARIUM.

1 *Parochus, qui non residet in sua Ecclesia, quas pœnas incurrat.*

2 *Negligenti munus suum implere, congruum est, ut præmium subtrahatur.*

3 *Datum ob causam, causâ cessante, non amplius debetur.*

4 *Fructus subtrahendi à Parocho propter ejus absentiam ab Ecclesia, quomodo sint applicandi.*

5 *Parochus absens iis fructibus privandus est, qui præstantur ratione residentiæ.*

6 *Parochus, quatenus justa de causa absit, atque obtentâ Ordinarii licentia, non amittit fructus.*

7 *Parochus tempore suæ absentiæ tenetur idoneum ministrum substituere.*

8 *Qui per alium facit, per seipsum facere videtur.*

9 *Parochus ob non residentiam potest, servatis servandis, etiam Beneficio privari*, & num. 9. cum seq.

12 *Parochus privatus Beneficio, debito juris ordine non servato, tanquam spoliatus debet manuteneri*, & n. 15.

13 *Praxis traditur procedendi ad Parochi privationem propter non residentiam, tam de jure communi, quàm secundùm Tridentinum Concilium*, & n. 14. cum seq. num 23. & seqq.

14 *Contra latitantem sufficit citatio per Edictum.*

18 *Citatio trina quoties à jure præscripta est ad aliquem actum, unica non sufficit.*

Declara, ut num. 21. cum seq.

19 *Contumaciam excusat executio citationis expleta à persona non legitima.*

23 *Juris communis dispositio circa privationem Parochorum propter non residen-*

sidentiam, quomodo fuerit per Concilium Tridentinum immutata.

34 *Privatio Beneficii gravis pœna reputatur, ideo cautè ad eam procedi debet.*

DISCEPTATIO XI.

Sequitur, ut aliquid dicamus de pœnis, quibus puniendi erunt Parochi non residentes, & ubi eorum absentia non fuerit approbata ab Ordinario: Et

1 dicimus, eosdem, servatâ dispositione sacrorum Canonum (ubi citra legitimam causam non resederint) non solùm peccare mortaliter, sed pariter non facere fructus suos pro tempore absentiæ, imò posse privari Beneficio, servatis tamen servandis. Quod peccent læthaliter, ubi in contemptum non resederint, docent omnes tàm Canonistæ, quàm Morales Professores. Quòd non faciant fructus suos, docet *Trident. sup. sess. 23. cap. 1. vers. eadem*. Quòd possint privari Beneficio, pariter habetur ex *eodem Trid. d. cap. 1. vers. eadem*, latè *Fagnan. ad Text. in cap. ex tuæ n. 29. de Cleric. non resident. Barbosa de Episcop. alleg. 53. num. 93. & seq. Gonzalez ad Text. in cap. relatum de Cleric. non resident. num. 2.*

Parochus igitur, qui dolo non residet, dum residere tenetur, præter cul-

2 pam læthalem, uti diximus, nisi materiæ parvitas excuset, privatur fructibus, pro rata temporis absentiæ, ut habetur ex *Tridentin. suprà d. cap. 1.* Si quis ibi = *Ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere. Nec tuta conscientia alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse*. Tum etiam quia ita Jus naturale dictat: etenim par non est, ut fructus ministrorum Ecclesiæ recipiat ille, qui ministerium non exercet.

Undè, sicuti stipendium datum ob causam, recipi, vel retineri non potest,

3 causâ non subsecutâ; ita fructus Beneficii, qui Parocho causâ residentiæ, & servitii, munerisque Parochialis conferuntur, non possunt à Parocho non residente, & munera Parochialia non obeunte capi, sed capti obnoxii sunt restitutioni, pro rata temporis absentiæ, & Pastoralis muneris non præstiti, ut patet ex *Tridentin. suprà d. cap. 1.* in quo non solùm loquitur de Episcopis, sed etiam de omnibus Curam Animarum habentibus.

Restitutio ipsa fructuum cui facienda erit videre est: & circa præsens du-

4 bium, attentis verbis *Tridentini suprà d. cap. 1.* illa facienda erit pauperibus, aut erit expendenda pecunia retracta ex fructibus, de quibus suprà, in bonum Ecclesiæ; nec pariter Parochus ipse obtinere valet compositionem, & ita docet *Navarrus cap. 25. num. 121. Henriquez lib. 7. cap. 36. num. 3. Garz. de Benefic. part. 3. cap. 2. num. 30.*

An teneatur ad integram omnium fructuum restitutionem, correspondentium pro rata temporis absentiæ: & nonnulli putant, teneri pro rata, non pro integra restitutione, sed pro rata illorum, qui ratione residentiæ, & oneris residentiæ percipiuntur. Ratio est, quia Episcopus, vel Parochus non solùm recipit fructus Beneficii pro residentia, & oneribus residentiæ adnexis, verùm etiam pro recitatione divini Officii; ergo par est, ut in restitutione non solùm habeatur ratio residentiæ, verùm etiam oneris ad Canonicas preces persolvendas, latè *Possevinus de Officio Parochi cap. 1. n. 35. Barbosa de Episc. alleg. 53. num. 101.*

Dixi: *ubi dolo non residet*: etenim, ubicumque justam causam abessendi ha-

6 bet, ac licentiam sui Ordinarii; tunc quia citra dolum abesse dicitur, non solùm ubi non residet per bimestre tempus, sed etiam ultra dictum tempus, facit fructus suos; ac proindè non tenetur restituere illos, dummodo substituat idoneum ministrum, qui vices suas gerat, & onera Parochialia sustineat.

7 Obligatio enim restituendi consurgit ex violatione justitiæ cum damno alterius, quæ justitiæ violatio non verificatur, ubicumque Parochus abest, & in sua Ecclesia non residet, existente legi-

8 timâ causâ, licentiâ Superioris, & substitutione alterius, qui munera Parochialia sustineat, exhibendo per alium, quantum per se ipsum exhibuisset, residendo, *Layman lib. 4. tract. 2. cap. 6.*

num.4., *Rota coram Ubaldo decis.202. in una Calaguritana Fructuum 26. Maji 1614.*

Parochus non residens, ubi dolo malo desierit residere, servatis servandis, privari potest suo Beneficio. Dixi: *ser-*
9 *vatis servandis*: etenim jura clamant pro Reo, ut non debeat spoliari suo Beneficio, nisi priùs illo monito ad re-
10 deundum, & residendum; & quatenus noluerit residere, in pœnam erit privandus suo Beneficio, ad *Textum in cap. ex tuæ de Cleric. non residentibus*, ibi: *In Ecclesiis eorum, qui se fraudulenter absentant, nec ad ipsos valeat citatio pervenire, & trinæ citationes, Edictum facias publicari, & si nec curaverint obedire, & ultra sex menses suas deseruerint Ecclesias, eis debent meritò spoliari*. Concordat *Textus in cap. Clericos eodem titulo* ibi: *Si moniti non redierint, dictis Beneficiis, nisi excusationem rationabilem ostenderint, spoliare*, utrobique *Fagnan.* facit etiam *Tridentin. d.cap.1. suprà* ibi: *quod si per Edictum citati etiam non personaliter contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis &c. etiam usque ad privationem*
11 *compellere*. Ex quibus juribus nota, ordinem judiciarium requiri ad effectum validæ privationis.

Judex, ut validè possit devenire ad privationem ipsam, servare debet ea,
12 quæ à Juribus commendata videntur; aliàs ejus judicium erit nullum, & Rector privatus suo Beneficio, habendus erit ut spoliatus; ac proindè intentare valet judicium manutentionis, & manutenendus erit. Etenim ubi injustè aliquem privat suo Beneficio, non dicitur Judex legitimè privare illum, *Rota recent. part.15. decis.312. n.1. & per totam*.

Hinc, ut validè procedere possit ad privationem ipsam, ante omnia (datâ
13 absentiâ dolo secuta) citare debet Parochum ipsum, de persona, ubi personaliter citari potest, ad redeundum, & residendum; aliàs Sententia privationis erit nulla, ad *Text. in cap. ex parte, & cap. qualiter de Clericis non residentibus, Rota recent. part.15. dec.117. num.1. Card. de Luca de Benefic. discurs.77.*

Quoties verò de persona citari nequeat, ex quo fraudulenter latitat, ne
14 possit citari, tunc venit citandus per publicum Edictum ad valvas Parochialis Ecclesiæ affigendum, vel alibi, secundùm morem regionis. Edicta verò debent esse tria, cum assignatione termini competentis ad comparendum, aliàs videndum privari suo Beneficio: & post ultimum Edictum, & contumaciam expectandus erit per menses sex, ad *Text. in cap. ex tuæ de Cleric. non resident.*, ubi *Fagnan. num.6. Antonell. de tempore legali lib.3. cap.19. num.1. Barbosa de Episcop. alleg. 53. num.105. Rota in recent. part.15. decis.312. num.3.*

Etsi aliter ad Beneficii privationem deventum fuerit, nulla redditur pri-
15 vatio ipsa, atque invalida, *Lel. Zecch. de Republ. Ecclesiast. tit. de Benefic. num.6. Piasec. in praxi Episcop. part.2. cap.3. num.9., Barbosa suprà num.149.* Ac proindè Sententia privationis non valet impedire manutentionem, seu mandatum de manutenendo in possessione Beneficii, dum Beneficiatus ità privatus non habuit se pro spoliato; eoque magis, ubi recursum habuit ad Superiores, ut de omnibus *Sacra Rota recent. part.4. decis.163. num.12.*

Undè non sufficit unica citatio cum peremptorio termino pro omnibus, sed
16 tres citationes requiruntur, ut ex citato *Textu in d. cap. ex tuæ* ibi: *trinæ citationes*: ac proindè citandus est tribus Edictis, ut redeat ad residentiam.
17 Ratio est, quia hujusmodi citationes per Edictum difficilè transeunt in notitiam citati, & faciliùs est ut innotescant, si ter publicè fiant, quam si semel, licèt peremptoriè: fortè enim consanguineus, vel amicus citati intererit in secunda, vel tertia, qui non interfuit in prima, & poterit citato denunciare, ita *Joannes Andr. & Fagn. ad dictum Textum in cap. ex tuæ, num.6.*

Ubicumque enim ad pœnam incurrendam lex requirit trinam citationem,
18 non videtur sufficere unica, licèt peremptoria, ut sentit *Glossa in Clem.1. de vita, & honest. Clericorum*. Edicta autem citationis, de quibus suprà, affigi debent per publicum tabellionem; nam si affixa fuerint per simplicem Clericum, nisi

nisi constet de speciali mandato, talis
19 affixio nullum operatur effectum, ad effectum constituendi Parochum absentem in contumaciam, ut habemus decisum per *Sac. Rotam recent. part.* 15. *decis.*312. *num.*8. *&* 9.

Supradicta procedunt in Clericis latitantibus, de quibus ignoratur ubi sint, vel ad quos non valet citatio perveni-
20 re; hi enim, uti dixi, citari debent tribus Edictalibus citationibus solemniter positis, & publicatis, ut ex *citato Textu in cap. ex tuæ* ibi = *facias publicari*. Etenim ubi constat de loco ubi moratur Parochus ipse, & commodè citari potest, tunc citandus erit de persona, aliàs judicium erit nullum; & quatenus fuerit privatus suo Beneficio, sententia privationis erit invalida, ut in casu, de quo *Sacra Rota d. part.* 15. *decis.*117. *num.*11. *&* *decis.*312. *num.*7.

In personaliter citato non requiritur trina monitio, sed sufficit una etiam ex-
21 trajudicialis, ut docet *Abbas ad citatum Textum in cap. ex tuæ n.*10. *&* 13.
22 Nec est opus expectare sex menses, postquam personaliter citatio facta fuerit, sed potest Ordinarius in contumaciam devenire ad privationem, *Rota coram Seraphin. decis.*1346. *n.*5., *Massobrius in praxi habendi concursum Requisit.*1. *dub.*3. *num.*24.

Supradicta procedunt de Jure communi, per ea, quæ tradit *Fagnan.* ad *Text. in citato cap. ex tuæ*: dicit enim *idem Fagnan.* quòd dispositio juris communis adversùs Parochos non residentes immutata fuit in pluribus. Et pri-
23 mò fuit immutata in eo, quod Parochus non residens, de jure communi, non perdit fructus ipso jure, sed procedi potest contra eum, per fructuum sequestrationem, seu privationem. At verò per Concilium non solùm non facit fructus suos pro rata temporis absentiæ, ut in *d. cap.*1. *sess.* 23. *vers. Si quis autem*, quod ampliatur ad Curatos inferiores in *vers. eadem*; sed etiam si absfuerit ultra sex menses, incidit ipso jure in
24 pœnam privationis quartæ partis fructuum unius anni impositam Episcopis in *cap.*1. *sess.*6. Et quamvis integrum sit Episcopo procedere ad privationem Beneficii: attamen si elegerit procedere per subtractionem fructuum, tenetur ob-
25 servare illa temporum intervalla, nec potest illicò ad privationem Beneficii procedere, aliàs privatio erit nulla. Hæc dicit *Fagnan. sup. n.*29. *&* 30.

Secundò, forma procedendi contra Parochos non residentes à Jure præscripta, fuit à Concilio immutata in eo quòd de jure communi Parochus, si notum sit, ubi moretur, citari non potest
26 per Edictum, sed citari debet personaliter, ut in casu Decisionum *Sac. Rotæ part.*15. *recent. sup.* at per Concilium citari potest per Edictum, etiam non personaliter: & si contumax fuerit, privari valet Parochiali, ut in *dicto cap.*1. *sess.*23. ibi = *Quod si per Edictum citati etiam non personaliter contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem compellere* = *Fagn. sup. n.*31.

Tertiò, fuit immutata in eo, quod de jure communi Beneficiatus latitans ci-
27 tandus erit tribus Edictis, ut patet ex *citato Text. in cap. ex tuæ*; at post Concilium sufficit indistinctè unicum Edictum peremptorium, cum termino com-
28 petenti ad comparendum, & redeundum, cum idem Concilium non requirat trinum Edictum, sed unicum ibi = *per Edictum citati*. *Fagnan. suprà num.*32.

Quartò, fuit immutata in eo, quòd Edicta hujusmodi de jure communi de-
29 bent per præconem solemniter publicari, secundùm ea, quæ docet *Hostiensis ad citatum Textum in cap. Ex tuæ n.*6. quem sequuntur alii; at post Concilium,
30 sufficit indistinctè, ut Edictum affigatur valvis Ecclesiæ, ut docet *Card. Abbas ad citatum Textum in cap. ex tuæ*, *Fagnan. suprà num.*33.

Quintò, immutata fuit in eo, quòd de jure communi Parochus, si ignoretur,
31 ubi sit, post trinæ citationis Edictum, non potest illicò privari Beneficio, sed expectandus erit per sex menses, ad *citatum Textum in cap. ex tuæ*: at post Concilium citatus, sive sciatur ubi sit, sive non sciatur, elapso termino eidem præfixo, statim privari poterit, *Fagnan. suprà num.*34.

Judex igitur Ecclesiasticus, quatenus vo-

voluerit procedere contra Parochos non residentes, servanda erit præcisè forma tradita ab eodem *Tridentin. suprà cap. 1. sess. 23. de Reform.* ut scilicet
32 procedatur contra eosdem, incipiendo à Censuris, deindè deveniendo ad sequestrationem fructuum, & eorumdem subtractionem; & demum devenire potest ad privationem, ita *Antonell. de tempore legali lib. 3. cap. 19. num. 5.*

Ad effectum verò deveniendi ad privationem congruum est, ut servetur dispositio *Textus in d. cap. ex tuæ*. Etenim licèt de hujusmodi formalitate nihil loquatur *Tridentin.* Nihilominus desumi potest ex iisdem verbis *Trident. suprà* ibi = *aliaque juris remedia*, quasi
33 dixisset servatis juris remediis, ita *Antonell. de tempore legali suprà n. 5. Rota recent. part. 4. decis. 131. & 163.*

Opinio enim æquior, & mitior servanda erit in materia privationis, ut docet *Sacra Rota d. dec. 117. n. 12. part. 15. recent.* Undè concludendum est, servandam esse dispositionem *Tridentini* circa genus pœnarum, circa verò formam procedendi, dispositionem *d. cap. ex tuæ*, cùm privatio Beneficii habea-
34 tur pro magna pœna in Clerico, ac proindè non ita facilè ad hoc deveniendum erit à Judice.

ARGUMENTUM.

Parochus non residendo pènes suam Curam Parochialem, an & quatenus veniat excusandus à pœnis de Jure latis contra Parochos non residentes?

SUMMARIUM.

1 *Parochus à residentia abesse potest causà infirmitatis, inimicitiæ, litis super Beneficio, aut propriæ defensionis, aeris intemperiei, & pestis: eædemque causæ explicantur*, num. 2. & seqq.

3 *Parochus justa de causa absens privari non debet.*

4 *Senectus num excuset à residentia.*

7 *Parochis indulgetur, ut propter inimicitias abesse valeant per sex menses, qui ad alterum semestre consuevit prorogari.*

8 *Indulta perpetua non residendi fuerunt sublata per Concilium Tridentinum.*

9 *Parochus propter graves inimicitias, ubi reconciliationis spes non superfit, cogi potest ad resignationem, vel permutationem.*

10 *Inimicitiæ autem graves quænam dicantur, remissivè.*

15 *Parocho tempore pestis non adeo relaxatur residentiæ rigor, ut non habeat opus ministrandi saltem Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ.*

DISCEPTATIO XII.

Ultimo sequitur, ut videamus an, & in quibus casibus Rector Parochialium venit excusandus à pœnis, non residendo juxta munus suum. Et licèt de causis nonnullis, quibus existentibus, Parochus venit excusandus à residentia, aliquid per transennam suprà peregerimus; in sequentibus verò pro majori claritate, majora adnotabimus, quæ ad causas quinque à nobis reducuntur.
1 V. G. ubi adsit causa Infirmitatis, Inimicitiæ, Litis, aut propriæ judicialis defensionis, Aeris intemperies, & Pestis. His positis.

Infirmitas, uti causa prima à nobis adducta, an, & quænam excuset Rectorem Animarum à sua residentia? Pro
2 intelligentia hujus quæsiti duo sunt distinguendi casus.

Primum est, ubicumque Parochus absens extra locum suæ residentiæ in
3 morbum incidit; & hoc primo casu nulli dubium est, eum non teneri ad suam residentiam redire: & si procederetur contra eum ad pœnas, de quibus suprà, non fieret illi præjudicium, cum licitè non residere videatur, ad literam *Text. in cap. præsentium 7. quæst. 1. Rota recent. part. 15. decis. 117. n. 15. & decis. 312. n. 16. Fagnan.* ad *Text. in cap. Clericos n. 9. de Clericis non resident.*

At quia senectus æquiparatur infirmitati, nam senectus ipsa est morbus,
4 ubi senex non valet redire ad suam residentiam, absque periculo suæ vitæ, venit excusandus ab onere redeundi, ut ex

Sa-

Sacra Rota suprà d. decis. 117. num. 15. & 312. num. 17. ubi Doctores.

Secundus casus est, ubi Parochus infirmatur in loco residentiæ: & tunc Sacra Congregatio declaravit, Parochum non excusari ab onere residendi.
5 Posito verò quòd in loco infirmitas non sit curabilis, sed indigeat meliori aere, vel quia ibi non adest copia Medicorum; tunc venit excusandus à residentia, & accedere valet ad meliorem locum, habitâ priùs licentiâ Ordinarii, & consulto priùs bono Curæ, dato idoneo Ministro, cum debita fructuum congrua, juxta Tridentin. sess. 6. cap. 1. & sess. 23. cap. 1. utrobique de Reform.

Inimicitia gravis. Gravis inimicitia dicitur causa justa, ut licitè Parochus
6 abesse possit è loco suæ residentiæ, dummodo inimicitia fuerit capitalis, itaut ad suam Ecclesiam redire non audeat, ad Text. in cap. bonæ memoriæ de Elect. ubi Glossa, Hostiensis, & alii, & meliùs probatur in cap. Pastoralis 7. quæst. 1. Clem. ne in agro §. cæterum de statu Monach. Fagnan. in cap. Clericos num. 22. de Clericis non resident. Sacra Congreg. Concil. in una Pisana 14. Decembris 1630. & in Mileten. 15. Octobris 1644.

Sacra enim Congregatio in hujusmodi casibus solet dare literas ad Epi-
7 scopum, ut si inimicitiæ graves sint, & absque Parochi culpa, & antequam Ecclesiam obtinuit exortæ, super quibus Episcopi conscientia oneratur, dilationem ei det, ut in alio tutiori, ac viciniori loco manere possit, durantibus tamen inimicitiis, dum tamen non ultra sex menses durent, constituto interea aliquo idoneo Vicario, ne oves detrimentum patiantur in spiritualibus.

At si infra sex menses sedatæ non fuerint inimicitiæ, solet rescribi à Sacra Congregatione, ut Episcopus det Parocho prorogationem aliorum sex mensium, & sine spe ulterioris prorogatio-
8 nis; nam cum Indulta perpetua de non residendo, etiam ex justis, & rationabilibus causis, jam sublata fuerint à Trident. sess. 6. cap. 2., meritò ubi inimicitiæ sint duraturæ, ut consulatur Curæ
9 Animarum, inducendus est Parochus ad resignandum, vel permutandum, Argum. cap. ad supplicationem de renunciat. & ita Parochus punitur sine culpa, sed non sine causa, ut notat Glossa in cap. tua nos, de Clerico ægrotante. V. administrationis. Quæ autem sint
10 graves inimicitiæ, notat Bald. in l. 3. ff. de adimendis legatis, & quæ sint inimicitiæ capitales, vide Textum in l. cum autem §. excipitur ff. de ædilit. Edicto, l. Edicto ff. de V. S. l. 2. ff. de public. judic. l. capitalium ff. de pœnis cap. per tuas de Simonia.

Lis super Beneficio, aut propria judicialis defensio, est tertia causa, ob
11 quam Parocho licitum est abesse à sua residentia, ut habetur ex Textu in cap. ex parte il 2. de Clericis non residentibus ibi: Si te non absentando in fraudem, Præpositura tuæ jura fideliter prosequeris, cum per hoc censeri debeas residens, & ibi Canonistæ communiter, Fagnan. in cap. Clericos eodem tit. n. 31. Rota recent. part. 15. decis. 117. n. 19.

Sicuti venit excusandus, ubicumque
12 abest à residentia, causâ defendendi se à crimine sibi impicto, facit Text. in d. cap. ex parte, Fagnan. suprà num. 34., Panimolla decis. 80. num. 45.

Intemperies aeris assignatur uti quarta causa à Doctoribus, qua videntur
13 excusari Rectores Animarum à residentia, & à munere residendi in propria Parochia, ut docet Hostiensis ad citatum Textum in cap. Clericos num. 5.; & idem notat Glossa in cap. ad supplicationem vers. securè morari, de renunc. quod quidem tenere videtur Innocentius ad d. Textum, & cum eo transeunt uti dixi Hostiensis, necnon Joan. Andr. Abbas,
14 Card. & alii. Licèt Fagnan. sup. n. 36. vers. cæterum dicat, intemperiem aeris non excusare Parochos ab onere residendi.

Pestis in loco an dicatur causa justa, ut Parochus veniat excusandus à Resi-
15 dentia? Et licèt circa præsens dubium nonnulli dicant, Parochum attentâ peste excusari à munere residendi, ut docet Tabienna, Armilla, Barbat. consil. 87. num. 2., adhuc, licèt veniat excusandus Parochus à totali onere residendi, scilicèt à stricta obligatione ministrandi Sacramenta, tenetur, sive per se ipsum, sive per alium idoneum ministrum saltem ministrare Sacramenta Baptismi, & Pœ-

Pœnitentiæ, ut docet *Fagnan. suprà num.37.* & *Nos suprà*.

ARGUMENTUM.

Parochorum onus, & cura, circa propriæ Ecclesiæ reparationem, ubi indigeat illa. Quid dicendum de domo Parochiali?

SUMMARIUM.

1 *Parochus debet Parochialem Ecclesiam, veluti suam Sponsam, custoditam retinere.*

2 *Parochialem Ecclesiam cujus sumptibus reparare oporteat*, & num.3.
Quid autem ubi Cura habitualis penes unum, actualis verò penes alterum resideat, num.4.
Et quid de domu Parochiali, n.17.

5 *Parochialis Ecclesia, quatenus ipsius redditus non sufficiant, restauranda est sumptibus Parochianorum, horum exemptione non obstante, & quacunque appellatione postpositâ*, & n.6, & 7.

8 *Parochus renunciando Beneficio, & respectivè Parochiani descendendo à Parochia, sese eximere nequeunt ab onere reparandi collabentem Ecclesiam Parochialem.*

9 *Parochialis Ecclesia ubi præ suorum redditunm insufficientia, ac Parochianorum paupertate nequeat reparari, quid faciendum sit.*

10 *Ecclesiæ translatæ omnia jura competentia, ad eam transeunt Ecclesiam, ad quam fuit facta translatio.*

11 *Ecclesia jurispatronatus refici debet patronorum expensis.*

12 *Ecclesia unita cujus impensa reparanda erit.*

13 *Ecclesia unita Capitulo, ubi propter Capituli negligentiam restaurata fuerit à Confraternitate inibi erecta jura Capituli transeunt in Confraternitatem.*

14 *Parochialis Ecclesia reædificata quatenus fuerit, Parochus, qui interim alibi Sacramenta ministrabat, ad Curæ exercitium redintegratur in Ecclesia denuo constructa jure veluti postliminii.*

15 *Parochialis Ecclesia post ruinam restituta ad omnia primæva jura, ac privilegia reintegratur, etiamsi alienis sumptibus reædificata fuerit. Declara*, ut num.16.

DISCEPTATIO XIII.

QUia Parochialis Ecclesia dicitur sponsa Parochi, meritò omni cura eamdem debet retinere custoditam, juxtà illud *Sacri Textus: Sicut Sponsam ornatam viro suo*. Hinc, ubi-
1 cumque illa fuerit in aliqua parte deformata, vel ob antiquitatem, vel ob similem causam, & indigeat reaptatione, reaptanda erit; nam aliter non potest dici ornata viro suo.

Posito igitur quòd Parochialis Ecclesia indigeat reparatione videndũ est,
2 cujus sumptibus restauranda erit: & in hoc dicimus quòd, ubi habet dotem, præcisè ad hunc effectum destinatam, ex dote illa restauranda erit, sin minus ex cœteris fructibus ipsius Parochialis; quatenus supersint, videlicet detractis necessariis, ad ipsius Parochi honestam sustentationem, ad *Text. in cap. his de Ecclesiis ædific. Alexander III.* ita inquit: *De his qui Parochiales Ecclesias habent, diximus respondendum, quòd ad reparationem, & institutionem Ecclesiarum, cogi debent, cum opus fuerit, de bonis, quæ sunt ipsius Ecclesiæ, si eis supersint conferre, ut eorum exemplo cęteri invitentur*; concordat *Tridentin. sess.21. de Reform. cap.7. Sacra Congreg. Concil. in una Civitatis plebis 15.Martii 1628. Cathacen. 16. Decembris 1634. Rota recent. part.15. decis. 309. num.8. Card. de Luca in Misc. Eccles. disc.29. num.2.*

Dixi: *Detractis necessariis pro Parochi sustentatione*: hinc nota, quòd,
3 ubicumque fructus Parochiæ non ascendunt ad scuta centum annua, pro congrua Parochi tunc Episcopus in sancta visitatione collectare potest Parochianos proportionabiliter, pro reparandis necessitatibus Ecclesiæ eorum matris, *Sacra Congreg. Concil. in una Cæsenaten. reparationis 29. Novembris 1681.*

Ubi

Ubi verò fuerint duo Rectores unius
Parochialis Ecclesiæ, videlicèt Habitua-
4 lis, & Actualis, Habitualis, ex quo Ani-
marum Cura annexa est Capitulo, Col-
legio, Monasterio, & simili; Actualis
verò penes quem Curæ exercitium resi-
deat: hoc casu, ubi Ecclesia indigeat
aliquâ reparatione, reparanda erit ab
eo, qui habet Curam habitualem, ex
quo Parocho actuali, tantùm assigna-
tur certa congrua pro sua sustentatione,
ut de quampluribus Ecclesiis Parochia-
libus almæ Urbis Romæ: undè iste a-
ctualis Rector non tenetur ad hoc onus
reparationis, *Card. de Luca in Misc.
Eccles. disc.29. num.5.*

Verùm ubi Ecclesia Parochialis non
habeat tot redditus, qui sufficiant pro
5 congrua Parochi, & manutentione Ec-
clesiæ, hoc casu tenentur Parochiani ad
expensas pro reaptatione illius, ad *Tri-
dentin. sess.21. cap.7. de Reform.* ibi =
Aut in illorum defectum Parochianos,
ubi *Barbosa num.13. Sperell. decis.67.
num.8. & 9. Panimolla decis.6. annot.8.
num.10. & decis.15. annot.1. num.20.
& 21.*

Quod locum habet, licèt Parochiani
hujusmodi sint exempti, cum hoc sit o-
6 pus publicum, & concernens commu-
nem utilitatem omnium, ut docet *Ric-
cius decis.15. num.4. part.4. Cened. ad
Decret. coll.153. n.3. Gabed. decis.91.
Barbosa de Episcop. alleg.64. n.7. Spe-
rell. decis.67. num.54.*

Imò Parochiani, qui suprà, cogendi
sunt, quacumque appellatione non ob-
7 stante, ac remotâ quacumque exemptio-
ne, (nisi in privilegio exemptionis de
hoc facta fuerit expressa mentio) ad
*Trident. sess.21. cap.7. de Reform. Gon-
zalez ad Regulam octavam Cancell. Glos-
sa 9. num.218.*

In tantum, ut illi non possint sece-
dere à Parochia, nec ipse Parochus re-
8 nunciare Beneficio, ut evitent onera,
& eorum præstationem, *Lambertin. de
Jure patronat. art.2. quæst.7. num.7.
Bellett. disq. Cleric. part.1. §.14. n.7.
Sperell. suprà num.51., & 52.* Nos la-
tè de Ecclesiis, ac locis piis *lib.8. disc.3.*

Quoties verò Parochiani sunt paupe-
res, nec possunt reficere Ecclesiam Pa-
9 rochialem, ut suprà, ex quo illa indi-
geat magna reparatione, eo magis ubi
fuerit collapsa: hoc casu Episcopus,
etiam tamquam Sedis Apostolicæ dele-
gatus, illam, etiam si fuerit juris patro-
natus, ad Matrices, seu viciniores
transferre debet, cum facultate con-
vertendi illam sic dirutam in usum pro-
phanum, non tamen sordidum, erectâ
ibi Cruce in signum sanctitatis loci, ad
*Tridentin. sess.21. cap.7. de Reformat.
Valasc. cons.179. n.23. Riccius part.4.
resol.348. Barbosa de Episcop. alleg.64.
à num.13. cum sequentibus, Panimolla
decis.6. annotat.8. num.23. & decis.15.
annot.1. num.41. Sacra Congreg. Concil.
in una Telesina 13. Septembris 1631. &
in Neapolitana 13. Januarii 1645.*

Quo casu omnia jura competentia
Ecclesiæ dirutæ, dicuntur translata in
10 Ecclesiam, ad quam transfertur, *Sa-
cra Congreg. Concil. in una Narnien.
24. Maji 1657. Imolen. 13. Martii 1683.*

Ecclesia Parochialis, ubi collapsa
fuerit, erit reficienda à Patronis, si fue-
11 rit de jure patronatus: si verò fuerit uni-
ta Capitulo, erit reficienda à Capitu-
lo; & si in dicta Ecclesia fuerit erecta
aliqua Confraternitas, & Capitulum
12 recusat reficere dictam Ecclesiam, qua-
tenus hæc refecta fuerit à Confratribus;
13 hoc casu jus, quod habebat Capitulum,
transfunditur in Confratres, *Sacra Con-
greg. Concil. in una Ragusina 6. Augu-
sti 1686.*

Si verò Ecclesia Parochialis collapsa
fuerit; ac proindè Parochus consueve-
14 rit munera Parochialia exercere in al-
tera Ecclesia; ubi restaurata iterum fue-
rit sumptibus fidelium, tunc licitum est
Parocho exercere Curam Animarum,
ac cæteras functiones Parochiales pera-
gere in dicta Ecclesia Parochiali restau-
rata; nam sicuti illa videtur assumpsis-
se primæva jura, ita & Parochus, cujus
Rector erat: & hoc ad instar juris post-
liminii, *Sacra Congreg. Concil. in una
Spoletana Parochialitatis 22. Jul. 1686.
ad dub.2. Asculanen. Parochialis S. Lu-
ciæ die 25. Augusti 1689.*

Ecclesia igitur reædificata in locum
antiquæ, jure postliminii, reassumit
15 jura prius illi competentia, & anti-
qua privilegia, quibus fruebatur, *Gra-
tian. discept. forens. cap.291. num.68.*

Fagnan. in cap. cum ex injuncto de novis operis nunciat. Rota recent. part.15. decis.177. num.3. & part.19.decis.404. num.19. Reædificari tamen debet in lo-
16 co, ubi priùs erat constructa, *Sacra Congreg. Concil. in una Alexanen. 20. Decembris 1681. ad dub.1.* Undè ex hoc Parochus videtur reassumere antiqua sua jura, licèt fuerit reædificata sumptibus alienis, ut *in dicta Spoletana*, & *Asculana suprà*.

Quidquid diximus de Parochiali Ecclesia locum habet quoad domos Paro-
17 chiales; etenim, uti aliàs diximus, Ecclesia Parochialis debet habere domum sibi convicinam, quæ deservire debet pro habitatione Rectoris: hinc, quatenus illa patiatur ruinam, vel jam collapsa fuerit, erit reficienda à Parocho, ubicùmque Parochialis Ecclesia habeat sufficientes redditus, sin minus, à Parochianis, ut ex *Sacra Congreg. Concilii* de qua *Barbosa de Parochis part.1. c.13. num.12.*

ARGUMENTUM.

Parochi onus quale sit, ut suæ Ecclesiæ præstetur debita reverentia, & honor, ubi quæ nequeunt in illa fieri, ostenditur.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesiæ quisnam sit exhibendus honor, ac reverentia; & quid in Parochiali Ecclesia fieri vetare debet Parochus,* usque ad num.21.

22 *Parochus num teneatur Sacra Indumenta alienis Capellanis ministrare.*

DISCEPTATIO XIV.

Quanta debeat esse Cura Parochi, ut suæ Ecclesiæ Parochiali præstetur debita reverentia, hic videre est; etenim nonnulla veniunt prohibita fieri
1 in Ecclesia, quæ aliis locis permissa videntur, cum sit illa domus Dei, domus orationis, juxtà illud *Sacri Textus*; ideoque non est facienda spelunca latronum, facit illud *Tridentin. sess.22. in Decreto de observandis, & evitandis in celebr. Missarum* ibi: *Ab Ecclesiis musicas eas, ubi sive organo, sive cantu lascivum, vel impurum aliquid miscetur, item Seculares omnes actiones, vana, atque adeo prophana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant, ut domus Dei verè domus orationis esse videtur, & dici possit.*

Ac proindè primò, non debet permittere Parochus, ut secularia negotia,
2 ac placita, vel contractus, aliave hujusmodi fiant in sua Parochiali Ecclesia, ad *Text. in cap.1. & cap. cum Ecclesia de Immunit.Ecclesiæ, Cornea in cap. inter alia de Immunit. Ecclesiæ part.2. n.26. Sperell. decis.51. de Marinis resol. quotid. cap.44. num.3.*

Neque permittere debet, ut in ea examinentur testes, seu Rei in causa cri-
3 minali, aut testes in causa civili, etiamsi juramentum extra illā receptum fuerit, *Barbosa de Immunit.Eccles. lib.2. cap.3. n.7. Sac. Congr.Immunit. 2.Maji 1629. relata ab eodem Barbosa d.loco, & in altera 2. Decembris 1632. ab eodem in Summ.Apostolic.decis.verb.Ecclesia n.9.* facit *Constit. S. Pii V.* quæ incipit *Cum primum*.

Non videtur tamen incongruum, ut
4 possint tractari in ea negotia ad ipsam Ecclesiam spectantia, *Sacra Rota recent. part.18. decis.770. num.12.* facit *d. Constitut. S. Pii V. Cum primum*.

Secundò, non debet permittere Parochus, ut in sua Ecclesia fiant concla-
5 mationes, seditiones, aut impetus, & publica, ut vocant parlamenta, seu universitatum consilia, aut Congregationes, & his similia, ad *Text. in cap. decet de Immunit. Eccles. in 6. Novarius in Summa Bull.* ubi de Ecclesiarum veneratione *num.4.* facit *d. Constitutio S. Pii V. Cum primum*.

Nisi pro actu pietatis, aut pro spiritualibus exercitiis, vel piis operibus
6 congregatio etiam per Laicos fieret, secundùm *Joannem Andream*, quem refert, & sequitur *Panormitanus in cap. cum Ecclesia de Immunit. Eccles. Franc. in d. cap. decet.*

Puta pro faciendo aliquo festo, vel instituendo aliquam Confraternitatem,
7 vel eligendo Judicem in ea, aut Curatore.n

torem dando, *Bald. in l. nemo C. de Sacrosanct. Eccles.*

Vel nisi in dicta Ecclesia tractarentur Ecclesiastica alia, & spiritualia negotia,
8 ut est Synodum facere, tractare de libertate Ecclesiæ, de statu Cleri, de reformatione morum in populo, dummodo non fiat tumultuosè, *Domin. in dicto cap. decet num.16. & 17.* ubi *Archid. num.9.*

Tertiò, non debet permittere, ut in sua Ecclesia cum irreverentia loci sacri
9 fiant convivia, nisi aliquid frugale, vel parculum in angulo Ecclesiæ, sine tumultu, & perturbatione adstantium sumatur, ex causa rationabili, videlicèt, quia non est aliis locus sufficienter accommodatus, ad *Text. in cap. nulli 42. dist. Suarez de Religione lib.3. de Reverentia loco Sacro cap.6. num.7. D. August. lib.6. Confess. cap.7. Fr. Raph. de la Torre in 2.2. D.Thomæ tom.2.qu.99. art.3. dub.7. Rod. à Cunha*, ad *Text. in cap. nulli num.1. dist.42.*

Et ubi fiant à Confratribus in die festo Sancti eorum Ecclesiæ, non debent
10 fieri intus, vel propè Ecclesiam, sed ad summum eis videtur permissum, ut possint fieri in Sacristia, *Sac. Congreg. Episcop. & Regul. in una Anagnina 12. Septembris 1614.*

Et si fiant ante Ecclesiam de consue-
11 tudine, tempore convictus claudendæ erunt januæ illius, *Sacra Congreg. Episcop. in una Verulana 10. Januar. 1606. Pignatell. consult. Canonic. to.3. consf.17.*

Quartò, non debet permittere, imò prohibere tenetur, ne ludi theatrales,
12 & monstra larvarum, aut lubricæ festivitates, & chori secularium, vel cantica puellarum, & prophana hujusmodi fiant in sua Ecclesia, ad *Text. in cap. cantantes 92. dist. cap. cum decorum de vita, & honest. Cleric. Fuscus de visit. lib.1. cap.26.* Undè *Glossa V. theatralis in cap.1. 92.dist.* ait, non esse canendum in Ecclesia theatrico more, idest corporis gestus exercendo, quos magis ostentationis causâ faciunt, quam devotionis, veluti Histriones, & Comici, facit illud *D. Chrysostomi Homil.18. in cap.6. Matthæi* ibi: *Cum autem oratis, non gestibus corporis, neque clamoribus vocis, sed intentione optimæ voluntatis orationum vota reddamus*, facit *d. Constitut. S. Pii V. Cum primum.*

Quintò, non debet permittere Parochus, imò prohibere tenetur, ne in sua
13 Ecclesia strepitus, & clamores fiant, aut colloquia habeantur, ut ex *D. August. Serm.215. de tempore*, ubi ita inquit: *qui in Ecclesia verbosare voluerit, pro se, & pro aliis redditurus est rationem, dum verbum Dei nec ipse audit, nec audire permittit*: & *B. Cæsar Arelatens. Serm.12.* ita inquit: *Rogo vos fratres, & admoneo, ut venientes ad Ecclesiam hoc solum, quod in Ecclesia competit agatis, idest aut orate, aut psallite, aut orando psallite.* Et *D.Chrysost. Homil. 38. ad populum Antiochen.* ita inquit: *Nihil Ecclesiæ tàm congruū, quàm silentium, & tranquillitas*; facit *Constitutio S. Pii V.*, quæ incipit: *Cum primum.*

Sextò, non debet permittere Parochus, imò prohibere tenetur, ne per-
14 noctationes, & vigiliæ fiant, quæ olim in Ecclesiis pro solemnitatibus ad Martyrum corpora fieri solebant, undè nomen habuerunt *Stationes*, de quibus *Pined. in Monarch. Eccles. lib.12. cap.12. §.3. Frat. Hieron. Romanus de Republ. Christ. lib.15. cap.13.*, & alii passim, jam hodiè sublatæ multis ex causis propter refrigescentiam charitatis multorum, vel quia vigilantes Templis sacris abutebantur. Quod certè scelus deplorandum sit, videre interdum religionis prætextu templa frequentari, & Martyrum sancta Loca visitari eâ vesanâ mente, ut viri, & mulieres sese aspi-
15 ciant; atque ut opportunitatem alloquendi nanciscantur, Templa sacra peti: adversus quas personas scribit *Tiraquell. l.15. connub. & num.108.* facit *Constitutio suprà citata S. Pii V.* quæ incipit *Cum primum*, quæ adaptari potest omnibus casibus, de quibus suprà, cujus verba sunt ad opportunitatem per nos hic posita.

Cum primum &c. sequitur. *Ut igitur Deo Optimo Maximo, gloriosæ Virgini, & Sanctis omnibus debitus honos deferatur, Gregorii X. prædecessoris nostri Constitutionem innovantes, ac statuta Concilii Tridentini observare volentes, statuimus, & ordinamus, ut ad Eccle-*

siam sit humilis, & devotus ingressus, quieta conversatio, devotis orationibus insistant, & omnes genibus flexis Sanctissimum Sacramentum adorent, ad nomen J. C. D. N. cum exhibitione reverentiæ caput inclinent. Nullus in dictis Ecclesiis seditiones faciat, tumultum excitet, clamores moveat, impetumque committat, cessent vana, fœda, & profana colloquia, risus immoderati, & strepitus omnes judiciorum, & alia quæcumque, quæ Divinum Officium perturbare possunt. Nullus intra Ecclesias deambulare audeat, sive præsumat, dum celebrantur sacra Missarum mysteria, & alia Divina Officia.

Qui verò prædicta petulanti animo contempserint, præter Divinæ ultionis
16 *acrimoniam, nostri quoque arbitrii pœnas incurrent, quæ omnia quoque locorum Ordinarii in suis Ecclesiis faciant observari. Quicumque verò in Ecclesiis, dum ibi Sacrificium Missæ, & Divina celebrantur Officia, ac verbum Dei prædicatur, deambulare, vociferari, aut verso tergo ad Sanctissimum Sacramentum irreverenter sedere, aut aliquid quod scandalum generet, aut Divina perturbat Officia, facere præsumpserit, pœnam vigintiquinque ducatorum incurret, præter alias arbitrio nostro imponendas, & moderandas pœnas, & qui non habuerit in ære, luet in corpore, aut exilio multabitur.*

Qui verò in Ecclesiis cum mulieribus impudicis, sive etiam honestis colloquium
17 *scurrile habuerit, aut alios inhonestos actus fecerit, vigintiquinque ducatorum pœnam incurrat, & carceris per mensem. Qui in Ecclesiis, ut suprà, obscenis, aut inhonestis verbis, aut signis usus fuerit, aut alia fœda colloquia cum personis quibuscumque habuerit, decem aureorum pœna mulctetur, aut aliàs corporaliter puniatur.*

Septimò, non debet permittere, imò prohibere potest, ne pauperes dum sa-
18 crificia fiunt, aut verbum Dei prædicatur, aut cętera Divina Officia celebrantur, illi perambulent per Ecclesiam, eleęmosynam quæstuantes, sub pęnis, de quibus *in dicta Piana Constitutione* ibi = *Pauperes quoque mendicantes, seu eleemosynas petentes per Ecclesias tempore Missarum, Prædicationum, aliorumque Divinorum Officiorum non sinant, sed eos ad valvas Ecclesiarum stare faciant, sub pœna duorum aureorum Capitulis infligenda pro qualibet vice, nisi eos ejici curaverint, & Parochis dimidii aurei. Religiosis etiam claustralibus, sive Regularibus præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, ut in Ecclesiis suis deputent aliquem, qui tales ejiciat, & si negligentes fuerint, gravissimè ab Ordinario corripiantur: quod si illi parere recusaverint, gravissimas pœnas incurrent, & pro qualitate personarum etiam corporaliter punientur arbitrio nostro, sive Superiorum.*

Octavò, non debet permittere Parochus imò prohibere tenetur, ne capsæ,
19 seu deposita mortuorum sint supra terram, sed subtus, ut ex *d. Piana Constitutione* ibi = *Et ut in Ecclesiis nihil indecens relinquatur, iidem provideant, ut capsæ omnes, & deposita, seu alia Cadaverum conditoria super terram existentia omninò amoveantur, prout alias statutum fuit, & Defunctorum corpora in tumulis infra terram collocentur.*

Nonò, non debet permittere Parochus, imò prohibere potest, ne suppel-
20 lectilia, seu utensilia non sacra, sed laicorum, sive Clericorum reponantur in Ecclesia, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, vel similem necessitatem id fieret, ad *Text. in cap. relinqui de Custodia Eucharistiæ, Fagundez in quinque Ecclesiæ præcepta, præcepto 2. lib. 4. cap. 4. num. 10.*
21 Eoque magis prohiberi potest accubitus in ea, *cap. non oportet 42. dist.*

Demum scias, Parochum pro bona custodia suæ Ecclesiæ non teneri mini-
22 strare paramenta sacra Capellanis, seù aliis Presbyteris, in sua Ecclesia celebrare volentibus, *Sacra Congreg. Episcop. & Regul. in una Montis Alti 15. Maji 1699. Sacra Congreg. Rituum in una Sarnen. 31. Maji 1698.*

AR-

ARGUMENTUM.

Parochorum onus circa fidei professionem emittendam, ubi de termino, intra quem illam præstare debeant, & quibus sub pœnis.

SUMMARIUM.

1 *Parochus, & quicunque alius provisus de Cura Animarum tenetur fidei professionem emittere intra duos menses à die adeptæ possessionis sub pœna amissionis fructuum*, & num. 14. cum seqq.

Pœnam tamen hujusmodi non incurrit ante judicis declarationem, num. 18. & seqq.

Eandem pœnam Ordinarius nequit remittere, num. 22.

2 *Obligationi de emittenda fidei professione satisfacit etiam qui eam emittit coram Vicario Episcopi.*

3 *Fidei professionem num emittere valeat Provisus de Beneficio Curato per Procuratorem*, & num. 4. cum seq.

4 *Qui per alium facit, per seipsum facere videtur, quotiès non fuerit electa industria personæ.*

7 *Provisus, qui legitimo detinetur impedimento, ne valeat ad locum Beneficii sese conferre, quomodo implere possit onus fidei professionem emittendi.*

8 *Parochus, cum novam Parochialem assequitur, actum professionis fidei reiterare tenetur.*

Amplia etiam cum regreditur ad Parochiam, quam dimiserat, n. 9.

10 *Provisus de Beneficio, cui inhæret tantùm Cura habitualis, nequaquam adstringitur ad fidei professionem emittendum, quamvis habitus redigatur ad actum*, ut num. 11.

12 *Cura habituali, & respectivè actuali apud diversas personas existente, fidei professio à quanam sit emittenda*, & num. 13.

15 *Fidei professionem emittendi tempus currit à die possessionis pacificæ*, & num. 16.

17 *Negligens emittere professionem fidei fructus amittit decursos post duos menses à tempore adeptæ possessionis, non verò maturatos intrà hujusmodi bimestre.*

20 *Fructus, quos amittit negligens fidei professionem facere, quomodo sint applicandi.*

21 *Fidei professio non retrotrabitur, ad effectum evitandi pœnam amissionis fructuum medio tempore decursorum.*

DISCEPTATIO XV.

Quicumque Parochus, seu alius Animarum Rector tenetur infra duos menses post adeptam possessionem
1 fidei professionem emittere, ad *Tridentin. sess. 24. cap. 12. de Reform.* his verbis: *Provisi etiam de Beneficiis quibuscumque Curam habentibus Animarum, teneantur à die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram Generali ejus Vicario, seu Officiali orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permensuros spondeant, ac jurent*; & ex *Constitutione S. Pii IV.* quæ incipit *Injunctum*.

Satisfacit huic Conciliari dispositioni Parochus, etiam ubi illam facit coram
2 Vicario generali, quamvis non impedito Episcopo, ut optimè firmant *Garz. de Benefic. part. 3. cap. 3. num. 33. Filiuc. quæst. moral. tom. 3. tract. 41. cap. 6. num. 8. Barbosa de Episcop. allegat. 61. num. 16.* dicentes, verba illa Tridentini, *vel Episcopo impedito* non esse strictè accipienda, cum inducant potiùs quamdam admonitionem, & ad denotandum, convenientius esse eam facere coram Episcopo, cessante impedimento.

Ipse Parochus an possit emittere illam per procuratorem habentem speciale
3 le mandatum, videre est: & in hoc variæ sunt Doctorum sententiæ: etenim nonnulli putant, posse Parochum emittere illam per Procuratorem, uti *Zerola in praxi Episc. part. 1. V. Fidei professio, Campanil. divers. Juris Canon. rubr. 8. cap. 3. num. 19. Riccius de Jure person. lib. 1. cap. 13. num. 21. & seq. Vivian. de Jurepatronat. lib. 15. cap. 3. n. 27.* Ratio pro hac sententia est, quia ne-

neque *Tridentin.* neque *Constitutio Pia-*
na suprà utuntur verbis significantibus
4 personalitatem; undè sequitur, ut ha-
beat locum juris regula: *qui per alium*
facit, per se ipsum facere videtur: cap.
qui per alium de Regul. juris in 6.

Contrariam verò Sententiam susti-
5 nent alii, videlicèt, eam esse emitten-
dam per ipsum Parochum, ita *Ugolin.*
de Offic. Episc. cap.50. §.16. n.1. Garz.
de Benefic. part.3. cap.3. num.75. Gra-
tian. discept. forens. cap.166. num.22.
Sigismundus à Bononia de Elect. dub.50.
n.5. Barbosa de Episcop. alleg.61. n.20.
Sperellus decis.106. num.37.

Sed quidquid sit de hujusmodi con-
trariis Doctorum opinionibus inter se
6 pugnantibus, hodie servatur, professio-
nem fidei esse emittendam per ipsum-
met Provisum de Parochiali Beneficio,
& non per suum procuratorem, *Sacra*
Congreg. Concil. in una Calaguritan.
22. *Septembris* 1696. ibi: *Non admit-*
tat Provisos ad professionem Fidei, nisi
per se ipsos emittant.

Quoties Provisus de Parochiali est
præsens in Curia, & non potest statim
7 impeditus aliqua legitima causa accede-
re ad locum Beneficii, ibique emittere
professionem fidei, juxtà *Tridentin.* &
Pianam Constitutionem suprà, ad effu-
giendas pœnas, potest recurrere ad Sa-
cram Congregationem Concilii, ut di-
gnetur ipsa impertiri licentiam emit-
tendi illam, vel coram Domino Data-
rio, vel coram Eminentissimo Præfecto
ejusdem Congregationis, vel coram
Eminentissimo Domino Urbis Vicario,
quam gratiam petitam potest obtinere,
quemadmodum aliàs consuevit rescribe-
re eadem *Sacra Congreg. Concil. in una*
Bergomen. 23.*Novembris* 1630. & in al-
tera *Siracusana* 11. *Januarii* 1698.

Non est abs re, ut videamus, an Pa-
rochus qui emisit professionem fidei in
8 assecutione Parochialis, teneatur ite-
rum emittere illam, ubicumque Provi-
sus fuerit de nova Parochiali Ecclesia.
Et in hoc dicimus, iterum teneri emit-
tere illam, *Garz. d. cap.3. n.17. Ugo-*
linus d. §.16. num.1., *Barb. de Paroch.*
part.1. cap.4. num.7.

Quod locum habet, etiamsi denuò
9 adipiscatur Parochialem, quam antea
habebat, & dimisit, *Campanil. divers.*
Juris Canonici rubr. 8. *cap.3. num.20.*
Ricciull. d. cap.13. num.19. Sigismun-
dus à Bononia d. dub.50. num.4. Barbo-
sa de Episcop. alleg.61. num.8.

Ad hujusmodi fidei professionem
emittendam non tenetur Rector Bene-
ficii Parochialis, quæ habitu talis est,
quia nimirum non habet Parochianos,
ut antea; nam tunc deest esse Parochia-
10 lis, ac proindè venit regulanda ut sim-
plex Beneficium, & uti tale consertur,
Glossa in cap. licet Canon de Elect. in 6.
V. Parochialis, Federic. de Senis cons.
183. *Ricciull. in terminis de personis*
lib.1. cap.14. à num.2. Barbosa de Offic.
Parochi part.1. cap.4. num.9.

Quod adeo verum est, ut si contin-
gat, hujusmodi Parochialem habitu ad
11 priorem statum revocari, neque Paro-
chum teneri professionem fidei emitte-
re, *Ricciull. sup. d. lib.1. cap.15. per*
totum.

Parochialis Ecclesiæ Cura ubi resi-
det penes Parochum habitualem, &
12 actualem, videlicet quia unita sit Ca-
pitulo, Collegio, vel simili, & cura
ipsa exercetur per Vicarium: tunc per
Curatum habitualem facienda est pro-
fessio fidei, *Ricciull. sup. d. cap.14.*

Quod intellige, ubi Vicarius, de-
putatus pro gubernio actuali Parochiæ,
13 non fuerit perpetuus; nam tunc illa
emittenda erit, tàm à Parocho habituali,
quàm actuali, ut ex *d. Ricciul. sup. d. c.* 14.

Demum scias, quod ubi Parochus non
emiserit professionem fidei infra duos
14 menses à die adeptæ possessionis, in pœ-
nam non facit fructus suos, ut habetur
ex *Trid. sup.* & *Piana Constitutione, Sa-*
cra Congreg. Concil. in una Bisinianen.
17. *Augusti* 1630. Ut verò locum ha-
15 beat pœna prædicta, opus est quod pos-
sessio fuerit pacificè capta; nam posses-
sio litigiosa non officit, *Ricciull. dicto*
cap.14. num. 62. Barbosa d. alleg. 61.
num.25.

Non facientes fidei professionem, ut
suprà, non ex hoc censentur privati ti-
16 tulo Beneficii, sed solùm eis non suffra-
gatur possessio, secundùm subjectam ma-
teriam, in ordine ad fructus percipien-
dos, *Garz. sup. num.33. Paris. de Re-*
sign. lib.10. quæst.9. num.15. Campanil.
di-

diverſ. Juris Canonici rubric. 8. *cap.*3.
*num.*17. *Ricciull. ſuprà lib.*1. *cap.*16.
*num.*10.

Rectores Parochialium, ut ſuprà,
privantur fructibus decurſis poſt lapſum
17 bimeſtre, non autem fructibus decurſis
infra dd. duos menſes, datos à Jure ad
effectum emittendi fidei profeſſionem;
quia, cùm *Tridentinum* concedat di-
ctum tempus ad actum explendum, li-
citè percipiuntur fructus decurſi infra
dictum bimeſtre tempus, *Garz. ſuprà
num.*31. *Barboſa d. alleg.* 61. *num.*23.
*Baldell. lib.*1. *diſp.*19. *num.*8.

Quibus quidem fructibus non cenſe-
tur privatus Rector Parochialis Eccle-
18 ſiæ, ante Judicis Sententiam declara-
toriam, itaut licitè ante dictam Sen-
tentiam poſſit retinere in conſcientia
fructus à ſe perceptos poſt bimeſtre à
die captæ poſſeſſionis, nec tenetur re-
ſtituere illos ante Sententiam, *Barbo-
ſa d. alleg.* 61. *num.*28., ubi *Doctores.*
19 Licèt contrarium dicant *Garz. ſuprà
num.*35. *Baldell. d. lib.*1. *diſp.*19. *n.*7.
*Ricciull. ſuprà cap.*13. *num.*43.

Sed cui aſſignandi, & applicandi ſint
fructus amiſſi ob non factam fidei pro-
feſſionem, ut ſuprà, videre eſt. *Triden-
tinum loco citato ſeſſ.*24. *cap.*12. *de Re-
form.* hoc non determinat, ſolet pro-
20 indè ab aliquibus in dubium revocari;
attamen communis ferè omnium Sen-
tentia eſt, eos eſſe impendendos vel in
uſum pauperum, vel in fabricam Eccle-
ſiæ Parochialis, ſicut fructus eorum,
qui non reſident, per *Tridentin. in
cap.*1. *verſ. ſi quis, ſeſſ.* 23. *de Reform.
Fuſcus de Viſitat. lib.*2. *cap.*13. *num.*4.
*Garz. d. cap.*3. *num.*36. *Pariſ. de Reſi-
gnat. lib.*8. *quæſt.*9. *num.*123. *Barboſa
ad Tridentin. d. cap.*12. *num.*35.

Profeſſio fidei, de qua ſuprà, non
facta infra duos menſes, ſed poſtea, il-
21 la non proficit ad recuperandos fructus
amiſſos poſt dictos duos menſes, ſed tan-
tùm ad quærendum futuros, ut ex *Garz.
ſuprà d. cap.*3. *num.*30. *Ricciull. ſuprà
cap.*13. *num.*39., *Barboſa allegat.* 61.
*num.*23.

Quæ quidem pœna procedit uſque
adeo, ut nec Ordinarius loci poſſit con-
22 donare hujuſmodi fructus amiſſos ob
non factam fidei profeſſionem, ea ra-
tione quia Ordinarius non poteſt remit-
tere pœnam inflictam à Concilio, niſi in
caſibus ibi expreſsè permiſſis, *Navarr.
conſ.*3. *de Clericis non reſident. Fuſc. de
Viſitat. lib.*2. *cap.*3. *num.*14., *Garz. d.
cap.*3. *num.*53. *Barboſa alleg.*61. *n.*32.

ARGUMENTUM.

Parochorum facultas circa Decimas exigendas ratione Curæ: Ubi quinam teneantur ſolvere illas Parocho? Ex quibus bonis eas percipere valeat Parochus? Quinam dicatur Judex competens in cauſa Decimarum.

SUMMARIUM.

1 *Nemo propriis ſumptibus cogitur militare.*

2 *Parochi, ubi Animarum Cura diviſa eſt, habent juris aſſiſtentiam pro decimarum perceptione privativè*, & num.5.

3 *Epiſcopus fundatam habet intentionem ſuper decimarum perceptione, quatenus Parochiæ non fuerint diſtinctæ.*
Præſumptio tamen ſtat pro partitione Curæ, num.4.

6 *Parocho ſuffragatur juris aſſiſtentia pro decimarum perceptione in petitorio judicio.*

7 *Manutentio competit exiſtenti in quaſi poſſeſſione non ſolvendi decimam, adverſus Parochum.*

8 *Manutenendus eſt qui reperitur in quaſi poſſeſſione decimandi intra fines alterius Parochiæ, ubi jus eidem non reſiſtit.*

9 *Onus, atque honor correlativa ſunt.*
10 *Eccleſia noviter erecta cum decimarum aſſignatione, prævia alterius legitima diſmembratione, intentionem dicitur habere fundatam ſuper earumdem decimarum perceptione.*
Secùs verò erit, ubi de dicta aſſignatione non conſtet, num.11.

13 *Papa, ſive locorum Ordinarii tollere non præſumuntur jus tertii, niſi id fuerit expreſſum.*

14 *Interpretatio ea in diſpoſitionibus ſumen-*

menda est, qua jus tertii salvum remaneat.

15 *Decimam exigendi jus habet Parochus ab omnibus intra suæ Parochiæ limites consistentibus.*

16 *Regulares acquirentes bona decimis antea subjecta, subsunt eidem oneri decimarum, neque ipsis suffragantur privilegia exemptionis, nisi specialem contineant derogationem* cap. nuper de decimis, & num.17.

18 *Parochus fundatam habet intentionem pro decimis ex quibuscunque bonis sitis intra limites Parochiæ*, & n.19.

21 *Decima quod ex certa fructuum specie non solvatur, consuetudine legitimè præscripta induci potest.*

22 *Judex quinam dicatur competens in causa decimarum.*

23 *Parocho an liceat aliquid aliud præter decimam à suis Parochianis exigere.*

DISCEPTATIO XVI.

Quia Parochi portant pondus diei, & æstus, Curamque omnium Parochianorum, meritò eisdem debentur Decimæ, ne propriis stipendiis mili-
1 tare cogantur, contra dispositionem tàm juris divini, quàm humani. Quisque igitur Parochus respectivè in sua Parochia habet jus exigendi decimas,
2 eique competit assistentia juris, super facultate exigendi illas privativè quo ad alios, ad *Text. in cap. ultimo de Parochis cap. cum contingat de decimis, D. Thomas 2. 2. quæst.87. art.3. Rota recent. part.14. decis.5. num.23. & decis.297. num.3. & decis. 493. num.1. & p rt.15. recent. decis.126. & 321. & part.18. decis.2. num.25. decis.661. num.6. & 7. decis.663. num.3. & 666. num.1.*

Dixi: *privativè quoad alios*; etenim ubi Parochiæ non sunt distinctæ, sed tota Animarum Cura residet penes Epi-
3 scopum, tunc Episcopus jus habet exigendi illas in sua Diœcesi, certa verò quota debetur Vicariis, seu Vicecuratis, qui Curam ipsam actualem exercent, *Moneta de decimis cap.1. num.10. Rota recent. part.14. decis.5. num.23. & decis.297. n.3. & part.15. decis.321. num.1. & part.18. decis.2. num.22. & 661. num.7. ad Text. in cap. dudum, cap. non est, cap. nuncius, cap. ex parte de decimis, Fagnan. in cap. cum contingat num.30. eodem titulo, & Doctores passim.*

In casu verò, de quo egimus in præcedenti, cùm præsumptio stet pro divisione Parochiarum, ex præsumpta divi-
4 sione generali facta per Dionysium Papam; ideò ubi Episcopus prætendit illas non fuisse divisas, ei incumbit onus probandi hoc, pro ut ex *S. Rota recent. part.10. decis.100. n.24., & part.18. dec.2. n.23., & 27.*

Meritò propter hujusmodi prædictam juris assistentiam competit ipsis
5 Parochis jus exigendi decimas à suis filianis, ut ex præcitata *decis.2. n.25. part.18. recent. Panimolla decis.34. numer.10.*

Assistentia Juris de qua supra, competit Parochis in petitorio judicio, ut non teneantur aliter probare, decimas sibi competere, sed contrarium asserenti incumbit onus probandi, cùm habeat
6 contra se juris assistentiam: *Rebuff. de congrua portione n.19. Marescott. var. resol. lib.1. cap.12. n.14. Barbosa de Jure Eccles. lib.3. cap.26. §.2. n.9.*

Quoties verò Parochus non est in possessione exigendi decimas, ob assistentiam juris de qua supra, ei non est
7 concedenda manutentio, sed filianis suis habentibus quasi possessionem non solvendi illas, *Rota d. dec. 2. n.1. 2. & 5. part.18. recent., & dec.575. per totam eadem part.18. recent.*

Sicuti non est concedenda manutentio ex eademmet supra assistentia juris ubicumque opponeret, jus decimandi competere aliis, puta alicui Monasterio, ex concessione antiqua ei facta, ut possit percipere decimas de certis prædiis existentibus in confinio, & territorio alicujus Parochiæ, ut de casu
8 concessionis decimarum Monasterio Andreovien, *Sacra Rota* docet *recent. part.18. dec.514. per totam*, ubi *dec.575.* habetur de manutentione eidem Monasterio concedenda.

Decimæ quæ supra, non solum debentur Parochiæ antiquæ, sed etiam Ecclesiæ Parochiali, noviter erectæ cum dismembratione alterius; etenim secu-

9 sicuti prima exoneratur onere, ita venit privanda honore; cum non debeat secunda pati incommodum absque commodo, proinde, facta dismembratione, justis concurrentibus causis, ac legitimi superioris auctoritate, novæ Ecclesiæ in Parochialem erectæ, veniunt assignandæ competentes decimæ pro congrua Rectoris, & legitima manutentione Ecclesiæ, *Abbas in cap. cum contingat n.8. de decimis, Gratian. discept. forens. cap.458. n.14. Fagn. in d. cap. cum contingat n.52.*

Neque obstat *Text. in cap. Ecclesia, cap. quicumque 16.quæst.1.*, ex quibus
10 juribus habetur, novas Ecclesias non esse constituendas cum præjudicio antiquarum, saltem quoad decimas; nam ea habent locum, quoties nullâ urgente causâ, ac legitimâ superioris auctoritate nova fieret Parochialis cum dismembratione alterius; secùs verò concurrente legitimâ causâ, & superioris auctoritate, *Fagnan. in d. cap. cum contingat*. Undè Parochialis noviter ere-
11 cta habet intentionem fundatã super jure exigendi decimas, contra aliam Parochiam dismembratam, cui priùs decimæ solvebantur, *Gratian. discept. forens. cap.458. num.14. Barbos. de jur. Eccles. lib.3. cap.26. §.2. num.19.*

Etenim competunt novæ Ecclesiæ Parochiali decimæ, ubicumque dismem-
12 bratio antiquæ facta fuit à Papa, vel Ordinario loci, cum assignatione decimarum: secus verò esset, ubi in dismembratione non constaret de assignatione decimarum, ut benè *Sacra Rota recent. part.17. decis.213. num.1. & per tot.*

Nam Papa, vel Ordinarius loci in hujusmodi dismembrationibus faciendis
13 non præsumitur voluisse tollere jus alteri quæsitum, nec tertio præjudicare in eo, quod non expressit, *Rota coram Dunozetto Jun. decis.131. & 482. n.2. & 3. & recent. part.17. decis.351. n.5.* ad *Text. in l.2. ff. ne quid in loco publico.*

Et in omnibus iis, quæ tertio præ-
14 judicant facienda est stricta interpetratio, ad *Text. in cap. super eo de Offic. delegati, Zabarella cons.142. n.2. Rota d. decis.351. n.15.* & *nos* latiùs *lib.21.* ubi *de decimis, primitiis, & Oblat. disc.2.*

Sequitur, ut videamus, à quibus exigere possit decimas Parochus. Et generaliter dicimus, posse exigere il-
15 las ab omnibus iis, qui sunt de sua Parochia, eâ ratione, quia sicuti spiritualia serit, temporalia is mittere debet; ipsius enim Cura est invigilare super grege sibi commisso; undè congruum est, ut decimas ei solvant, quæ loco alimentorum veniunt, ad *Text. in cap. ex transmissa, cap. à nobis, & toto titulo decretalium de decimis*, ubi *Doctores communiter*.

Undè ad hoc onus tenentur etiam Principes, Clerici, & quicumque sub Cura Parochi degunt, *Doctores communiter*. Necnon Regulares de bonis
16 acquisitis, eo modo quo solvebantur antea decimæ ipsæ, nam decima est onus annexum prædiis, *Fagnan. in cap. nuper num.14. de decimis*.

Sed hoc habet locum in casu, quo Regulares non fuerint muniti Aposto-
17 lico privilegio, quo Papa eximat illos ab onere solvendi decimas cum speciali derogatione, *Capituli nuper de decimis, Sacra Congreg. Concil. in una Civitatis Ducalis 19. Martii 1639.* Usquequo autem Regulares non doceant de illorum exemptione, Parochus manutenendus est in possessione percipiendi decimas adversus Regulares, *Rota rec. part.18. decis.271. Nos latè suprà d. lib.21.* ubi *de decimis Discept.3.* ibi vide.

Ex quibus bonis has decimas percipere valeat Parochus per transennam
18 hic videamus. Et dicimus, servatâ dispositione juris communis canonici, posse Parochum percipere illas super omnibus fructibus prædialibus, ad *Text. in cap. non est, cap. nuncios, cap. ex parte de decimis, Moneta eodem tract. cap.4. num.1.*, & *Doctores* passim.

Etenim Parochus, vel is, cui debentur decimę ratione administrationis Sa-
19 cramentorum, habet intentionem fundatam in jure universali exigendi illas ex omnibus bonis suæ Parochiæ, *Rota recent. part.18. decis.663. num.2.* ubi *Doctores*, & consequenter ex omnibus
20 fructibus ab eisdem bonis productis, *Rota d. decis.663.*

Consuetudine verò legitimè præscripta, ubicumque introductum fuerit ut
21 decimæ ipsæ non solvantur ex omnibus

fructibus, sed ex certa qualitate fructuum tantùm, tunc illa servanda erit, *Rota d. decis.663. Nos latè lib.21. de decimis Discept.4.*

Demum obiter videre juvat, quinam dicatur Judex competens in causa De-
22 cimarum; & breviter dicimus, quòd ubi agitur de competentia, vel incompetentia illarum, tunc causa tractanda erit coram Judice Ecclesiastico, ad *Text. in Clem. ultima de decimis, Rota recent. part.14. decis.297.* Quoties verò quæstio est nudi facti, videlicet, an Titius solverit, vel non solverit Decimas, tunc etiam Judex laicus dici potest Judex competens, ut *Nos latè de omnibus d. lib.21.*, ubi *de decimis Discept.5.* ibi vide.

Parochus, ultra Decimas, potest exigere à suis Parochianis mensurã quam-
23 dam frumenti solitam solvi quolibet anno, non obstante Bulla Innocentiana, *Sacra Congreg. Concil. in una Eugubina 19. Augusti* 1684. *lib. Decret.* 34. *fol.*274.

ARGUMENTUM.

Parochorum facultas circa Oblationes; ubi quæ veniant nomine Oblationum, quæ requirantur, ut Deo acceptæ sint, & quinam nequeunt eas offerre; item quando illæ debeantur Parocho, necne, demonstrabimus.

SUMMARIUM.

1 *Oblationum Ecclesiasticarum nomine quæ veniant; ac quibus eas facere interdictum sit*, & num.2. cum seq.
4 *Oblationes ad quem spectant*, & n.5. cum seqq. & num.11. & seq.
9 *Parochus, quas ad se pertinent oblationes, quibusnam usibus applicare tenetur.*
10 *Oblationes factæ Ecclesiæ tanquam bona Ecclesiastica alienari nequeunt absque Apostolica beneplacito.*

DISCEPTATIO XVII.

Quanta sit Parochorum facultas circa Oblationes suæ Ecclesiæ factas, vel alteri Capellæ, aut Sac. Imagini existenti intra districtum suæ Paro-
1 chiæ, hic sequitur, ut videamus: & primò videre est, quæ contineantur nomine Oblationum. Et dicimus, hoc nomine comprehendi quidquid Fidelis offert Deo, & Ecclesiæ, ad *Text. in cap. cum inter de V.S. Oldrad. cons.* 293. *Bonacina de legibus quæst. ult. punct. ultimo num.3.*

Quod locum habet, sive res Oblatæ sint mobiles, sive immobiles: nec re-
2 fert si testamento legentur, vel aliter donentur, *cap. qui Oblationes cap. Clerici 13. quæst.2. Marian. Soccin. lib.1. in tract. de Oblationibus.*

Oblatio ut dicatur verè Oblatio, & Deo accepta, tria requiruntur. Pri-
3 mò, quod offerens sit Fidelis; nam ab Infidelibus Ecclesia non recipit munera. Secundò, quod offeratur Ecclesiæ. Tertiò, quod res, quæ offertur, sit licitè acquisita, alioquin pro Oblatione non recipitur, *cap. causa de V.S.* Quamplures sunt, juxtà *Gloss. in cap.2. dist.90.* quibus interdictum est Oblationes offerre, nempe dissidentes fratres pauperes opprimentes, sacrilegi, raptores, pœnitentes, meretrices publicæ, extrahentes servos ab Ecclesia. Ut *Nos latè lib.21. de decimis, Oblationibus, & Primitiis.*

Sequitur, ut videamus ad quem spectent Oblationes ipsæ, & in quem usum
4 sint expendendæ. Et certum est, Oblationes, quæ in usum ministrorum Ecclesiæ reponuntur, eas spectare ad Parochum, cum Oblationes dicantur esse de jure Parochiali, ad *Text. in cap. quia Sacerdotes, cap. Sanctorum* 10. *quæst.1. Rota recent. part.19. decis.234.* Eæ verò debentur illis propter Sacramentorum administrationem, ita *Hostiensis in Summa tit. de Parochis num.* 3. *Romanus cons.356. Rot. in una Hispalen. Primitiarum 13. Maji 1622. coram R.P.D. Navarro.*

Ubicumque igitur Ecclesiæ Parochiali, vel alteri, intra limites suæ Parochiæ

5 rochiæ existenti, oblationes factæ fue-
rint, ad Parochum spectant, *Barbosa de
Parochis cap.24.num.24. Panimolla de-
cis.10. n.45. Guttierez Canon. quæst.
lib.2. cap.21. num.162., Rota recent.
part.18. decis.400.num.19. & sequent.
& part.19. decis.234. n.1. & sequenti-
bus*, ad *Text. in cap. quoniam, cap. ad
Apostolicæ, cap. cum contingat de de-
cimis*.

Limita primò supradictam conclusio-
nem, quando constat explicitè de con-
6 traria offerentium voluntate; nam tunc
non debentur Parocho, sed pia volun-
tas eorum, qui Oblationes fecerunt ser-
vanda est, *Riccius decis.170.num.1. Ro-
ta in una Bracharen. Oblationum 17. De-
cembris 1612. coram Pamphilio, Lunen.
Sarzanen. 8. Februar. 1627. coram Mer-
lino, & recent. part.5. decis.37. num.8.
Fagnan. in cap. Pastoralis num.29. de his
quæ fiunt à Prælatis*.

Limita secundò, ubi agitur de Obla-
tionibus factis alicui Sanctæ Imagini
7 miraculosæ, in magna quantitate, quia
tunc Episcopus potest disponere de re-
bus oblatis, ut sibi videbitur, *Sac. Con-
greg. Concil. in una Civitatis Ducalis
Oblationum 22. Martii 1698.*, & priùs
*in una Lucana 9. Julii 1644. Perusina
5. Maji 1646. Card. de Luca in Miscell.
Eccles. disc.35. num.7. Tondut. quæst.
Canon.63. lib.1. Pax Jordan. volum.2.
lib.10. tit.13.*

Limitatur tertiò, ubi Oblationes
fiunt Oratorio, seu Ecclesiæ Confra-
8 trum laicorum; nam tunc Parochus non
potest se ingerere in administratione il-
larum, sed administratio spectat ad Of-
ficiales dicti Oratorii, *Sacra Congreg.
Concil. in una Lunen. Sarzanen. 19. Au-
gusti 1690. ad dub.6. Fagn. sup. n.24.*,
ubi alii Concordantes.

Parochus hujusmodi licèt jus habeat
ad Oblationes factas in sua Parochiali,
9 & in casibus sibi permissis à Jure, eas
verò non potest applicare sibi ipsi, & ad
usum proprium, quoties in certam cau-
sam sunt erogandæ, sed applicare eas
debet in usus destinatos ab offerentibus,
*Abbas in cap. Pastoralis de his, quæ fiunt
à Prælatis num.2. Rota recent. part.5.
decis.37. num.10. Fagnan. ad citatum
Textum in cap. Pastoralis num.30.*

Oblationes istæ, cum enumerentur
10 inter bona Ecclesiastica, alienari non
possunt, inconsulta S. Sede, *Sacra Con-
greg. Episcop. & Regul. in una Sulmo-
nen. 16. Martii 1645.*

Sed quid de Oblationibus factis ali-
cui Sanctæ Imagini depictæ, vel affixæ
in pariete, seu muro alicujus Privati,
an debeantur Ecclesiæ Parochiali, intra
cujus limites est Imago, an Domino do-
mus? Et quòd debeantur Parocho, pa-
tet x eo, nam Parochus habet intentio-
11 nem fundatam de Jure communi in per-
ceptione omnium proventuum spiritua-
lium, qui obveniunt infra limites suæ
Parochiæ, quales sunt Decimę Primitię,
& Oblationes, ac similia, ad *Text. in cap.
cum inter de verb. signif. Rota d. de-
cis.234. num.1. & sequent. part.19. re-
cent. Fagnan. in d. cap. Pastoralis n.17.*

Locum habet supradicta conclusio,
etiamsi consuetudo habeat, ut hujusmo-
di Oblationes debeantur laico domino
12 muri, in quo depicta est illa imago; nam
talis consuetudo, cum possit dici potiùs
corruptela, damnatur per *Text. in cap.
hanc consuetudinem 10. quæst. 1. De-
cius cons.148. num.3. Decianus cons.16.
num.15. lib.2. Ferrett. cons.278. Fagn.
suprà num.19. & sequentibus*.

De hac materia Oblationum latè *nos*
13 *lib.21.* ubi de Decimis, Oblationibus, &
Primitiis, ibi vide.

ARGUMENTUM.

Parochorum facultas quoad Primitias, ubi quænam veniant sub hoc nomine Primitiarum, & an illæ debeantur Parocho prædiali, vel Sacramentali.

SUMMARIUM.

1 *Primitiæ dicuntur primi terræ fructus, quas Deo offerri, veteri jure inductum fuit.*

2 *Primitias offerendi mos invaluit etiam penes Gentiles.*

3 *Primitiæ debentur Parocho ex omnibus prædiis, intra fines ipsius Parochiæ existentibus, quamvis eorum-*

dem bonorum domini in aliena permaneant Parochia , & num. 4. & 8.

5 *Parochus habere dicitur juris assistentiam pro consecutione Primitiarum* , & num. 6. & 9.

7 *Primitias solvendi modus pendet à particularibus locorum moribus* .

10 *Primitiæ instar decimarum sunt* , *& regulantur sicuti decimæ* .

11 *Primitias veriùs est hodie adjudicari Parochis jure consuetudinario potiùs quàm positivo* , & num. 12.

13 *Primitiarum exactio ab initio voluntaria* , *tractu temporis necessaria efficitur* .

DISCEPTATIO XVIII.

PRimitię quasi primi fructus terrę dicuntur, eo anno collecti, & dicuntur
1 Primitię, quasi primitiva frugũ, & dantur Deo tamquam Creatori, & Datori illorum in recognitionem Divini Beneficii, cum ab illo jucundissimos terrę fructus suscipimus; undè homo videtur dare Deo, quod ab eo accipit, & ministro Dei in terris. De his Primitiis loquitur textus sacer, *Exodi cap.* 20. ibi: *Decimas*, *& Primitias non retardabis reddere*, & *cap.* 23. *Primitias frugum terræ deferes in Domum Domini Dei tui*, ac *Deuteronomii cap.* 26. ibi: *Tolles de cunctis frugibus tuis Primitias*, & alibi passim.

Gentiles quoque dabant Primitias eorum Diis; nam, ut refert *Alex. ab Alex. dierum genialium lib.* 5. *cap.* 18., *Plinius lib.* 18. *cap.* 2. Romani non gusta-
2 bant vina, aut novas fruges, priusquam Sacerdotes Primitias libassent: & Athenienses dabant Apollini Primitias crinium, cùm ab ephebis excessissent, ad exemplum Thesei, qui post suam pueritiam primas comas, quas primò totondit, Phœbo, & Esculapio, aut Libero in Primitias obtulit.

Primitię cui debentur, sequitur, ut videamus: & dicimus, illas deberi Pa-
3 rocho, propter onus, quod habet super grege sibi commisso, *Doctores in cap.* 1. *de decimis*, *Moneta eodem tract. cap.* 2. *num.* 10. *D. Thomas* 2. 2. *quæst.* 28. *art.* 4. *Barbos. de Parochis cap.* 27. *Rota recent. part.* 15. *decis.* 180. *num.* 4. *& part.* 16. *decis.* 382. *num.* 3. *& part.* 17. *decis.* 208. *num.* 2. *& part.* 19. *decis.* 234. *num.* 1. *& pluribus sequentibus*.

Parocho enim assistit jus percipiendi Primitias ex prędiis existentibus intra intra limites suę Parochię, ut ex *d. decis.* 382. *num.* 3. ubi alii Concordantes, non obstante, quod domini prędiorum
4 existant in aliena Parochia; etenim Primitię debentur ex prędiis non ex persona; undè merito debentur Parochię, ubi existunt prędia, nisi aliter sese haberet contraria consuetudo, ut benè ex *d. decis.* 382. *num.* 1. *& duobus sequentibus*, & alibi passim.

Dixi: *quod debeantur Parocho*: ete-
5 nim Parochus habet sibi juris assistentiam, quoad jus exigendi Primitias, *Rota recent. part.* 15. *decis.* 62. *num.* 30.

Nam Parochus habet juris assistentiam quoad omnia jura Parochialia; &
6 sic etiam exigendi Primitias, Decimas, & Oblationes, *Rota recent. part.* 19. *decis.* 234. *n.* 1. 2. *&* 3. ad *Text. in cap. quoniam*, *cap. Apostolicæ*, *cap. cum contingat*, *de decimis*.

At quia in materia hac Primitiarum non adest certa, & determinata norma,
7 tam respectu qualitatis, & quantitatis fructuum, qui solvendi erunt loco Primitiarum, meritò attendi debet consuetudo, cui Parocho illę solvendę sint, nempe Parocho prędiali, aut personali ut benè *Suarez de Relig. lib.* 1. *cap.* 8., *Guttierez Canonic. quæst. lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 11. *Rota recent. part.* 16. *decis.* 88. *num.* 3. *&* 382. *num.* 3.; Nunc seclusâ
8 consuetudine, spectant ad Parochum, ubi bona existunt, *Rota d. decis.* 382. *num.* 3. *& part.* 17. *decis.* 208. *num.* 4.

Ac proindè Parochus prędialis non habet necessitatem probandi consuetu-
9 dinem exigendi illas propter ius pręsumptum, quod ei competit de Jure, ad *Text. in cap. fin. de Parochis*, ubi *Doctores*. Ecclesia verò Sacramentalis, scilicet, in qua adsunt personę, quatenus pretendat habere consuetudinem exigendi illas, consuetudinem ipsam probare tenetur concludenter, *Rota recent. part.* 5. *decis.* 258. *num.* 7. *& part.* 10. *decis.* 270. *num.* 1. *& part.* 16. *decis.* 382. *num.* 16.

Nam

Nam Primitię ęquiparantur Decimis
10 prędialibus, *cap. fin. de Parochis*, *cap. cum contingat de decimis*, *Rota recent. part.17. decis.208. num.3.*, *& part.18. decis.440. num.23.* Undè de Primitiis eadem habenda est ratio, ac de Decimis.

Diximus suprà, Parocho competere juris assistentiam super jus percipiendi Primitias à suis Parochianis, sed meliùs dic, assistentiam juris ei competere, in quantum ita est de consuetudine intro-
11 ductum; etenim illę licèt de Jure veteris testamenti debebantur Summo Sacerdoti; attamen, quia pręcepta ceremonialia, & judicialia legis antiquę fuerunt abrogata per legem Evangelicam, quę de illis solvendis nihil statuit, me-
12 ritò non potest dici, manutentionem competere Parocho super jure exigendi illas ex jure Divino, sed tantum consuetudinario, *Guttier. Canon. quæst. lib.2. cap.21. num.12.* *Antonell. de Regimin. Ecclesiæ lib.5. cap.15. num.2.* *Rota recent. part.19. decis.520. num.3. & 4.*

Undè tantùm pretendi possunt illę ex consuetudine, à qua totaliter pendet
13 Primitiarum materia post legem Evangelicam reddita voluntaria, inalterabilis tamen ex parte exigentium, *Rota d. decis.520. num.6.* Hinc, ubicumque solutio ab initio fuit voluntaria, per actum solvendi illas, tractu temporis effecta est necessaria, & de pręcepto, *Rota d. decis.520. num.20.*

Sufficit verò in casu, de quo agimus, solutio subsecuta per cursum annorum viginti, vel ad summum quadraginta, *Rota d. decis.520. num.22.*, ubi latè de materia hac.

ARGUMENTUM.

Parochorum facultas circa Præcedentiam in eorum Parochiali Ecclesia: & quid, ubi concurrit Capitulum Cathedralis, vel Collegiatæ Ecclesiæ: quid, ubi alter concurrit Parochus?

SUMMARIUM.

1 *Parochi jura exponuntur quoad præeminentias.*

2 *Parochus in sua Ecclesia loco Prælati est, eique proinde suprà cęteros Clericos competit præcedentia in concernentibus munus Parochiale*, & n.3. & seq.

Atque etiam in Processionibus, num.22.

Amplia, licèt amovibilis fuerit, num.23.

Rursus amplia, ut num.24.

Et nedum suprà Clericos, verùm etiam suprà Gubernatorem, & Magistratum Laicalem, ut num.25.

4 *Episcopus habet juris assistentiam pro exercitio jurisdictionis in universa Diœcesi.*

7 *Præcedentia debetur Capitulo Cathedralis, sive Collegiatæ Ecclesiæ in concursu cum Parocho, quidquid in contrarium alii tueri conentur*, & num.8. & num.11. cum seqq.

Declara ubi Canonici Collegialiter intervenerint, ut num.13.

9 *Præcedentia ei debetur, cui major competit administratio.*

10 *Cura Animarum non omnibus committenda est, sed iis dumtaxat, qui ad id muneris idonei dijudicentur.*

12 *Sacrista, itemque Curatus Capituli, quamvis amovibilis fuerit, intervenientes cum eodem Capitulo, tamquam unum corpus efformantes, præcedunt Parocho.*

16 *Canonici Collegiatæ Ecclesiæ, etiamsi ex post erecta illa fuerit, præcedunt Parocho.*

Quamvis erectio contineat clausulam = Sine pręgiudicio alterius, ut num.17.

Atque etiamsi Collegiata antea fuisset filialis, ibid.

18 *Parochis inter seipsos præcedentia qualiter attribuatur*, & num.19. cum seq.

DISCEPTATIO XIX.

In pręcedentibus per nos actum fuit de his, quę respiciunt onus, & onera Parochorum; nunc sequitur, ut videamus
1 tâm in hac, quàm in pluribus sequentibus, quę respiciunt illorum facultates, jura, & privilegia: & primò de facultate pręcedendi, & quibus pręcedere va-

valeant in eorum Parochia,& Parochiali Ecclesia videre est, atque in quibus actibus,& functionibus aliis precedunt.

Parochus igitur quisque in sua Paro-
2 chiali Ecclesia, cum in ea dicatur Prelatus, ad *Text. in cap. In apibus 7. qu. 1.*
3 Nulli dubium est in omnibus actionibus, quæ respiciunt munera Parochialia, eos precedere alios: etenim Parochus in iis, que respiciunt Animarum Curam, gerit vices Episcopi, qui dicitur primus Rector totius Diecesis: & sicuti Episcopus habet juris assistentiam privativè quoad alios exercendi suam jurisdictionem ordinariam in quacumque parte suæ Diœcesis, quoad omnes intra ejus fines existentes, *cap. conquerente de Offic. Ordin. cap. cum Episcopus eod. tit. in 6.*
4 Ita etiam Parochus, tamquam subrogatus, seu gerens vices Episcopi, in actu Cure Animarum, *cap. bonæ 12. qu. 2. cap. ad Apostolicam de donat. Barbosa de Parochis part. 1. cap. 9. num. 1.* latè ad materiam predictam, *Card. de Luca de Præeminentiis, disc. 43. Pignatell. consult. Canon. tom. 7. cons. 46. num. 9.* idem *Pignatell. tom. 9. cons. 172. n. 17. Rota in una Tranen. Præeminent. 19. Novemb. 1717. cor. Ansaldo, vers. haud.*

In propria igitur Parochiali Ecclesia, privativè quoad omnes, ad ipsum
5 spectat, ratione precedentie, & majoritatis, quam habet in illa, functiones Parochiales peragere, ac Missas solemnes canere, cùm Parochus post Episcopum dicatur verus Rector in illa, *Gonzalez ad Regul. 8. Cancell. Glossa 6. n. 6. & 7. Gratian. discept. forens. 298. n. 3. Barbosa de Offic. Episcop. alleg. 78. n. 38. Rota coram Seraphino decis. 964.* & latè *nos infra Discept. seq.*

Etenim tanta est potestas Parochi in
6 sua Parochia, quanta Episcopi in sua Diœcesi, *Abbas in cap. 1. de dolo, & contum. num. 28.* Hinc in funeribus precedit omnes de Clero, *Card. de Luca de Præemin. disc. 43. num. 3.*

Sed quid de Parocho, ubi convenit cum Capitulo Cathedralis Ecclesie, quem locum obtinere debeat Capitulum tàm in ipsa Parochiali Ecclesia, quàm in processionibus funerum, de-
7 monstrabimus. Et licèt, ex suprà firmatis, Parochus dicatur Prelatus in sua Ecclesia, undè supra cœteros, etiam in dignitate Ecclesiastica constitutos videtur esse; nihilominus per ea, que resoluta habemus à *Sac. Congreg. Rituum in una Turritana 14. Februarii 1632.* locus dignior debetur Canonicis Cathedralis etiam in Ecclesia Parochiali, qui immediatè post Episcopum sedere debent, & deindè Rector Parochialis, *Barbosa Summ. Apost. decis., verbo Parochia, & Parochialis Ecclesia, ubi de hac resolutione.*

Precedentiam deberi Parocho in sua
8 Ecclesia supra Canonicos docet *Molina de Canonicis lib. 2. cap. 14.* Est enim Cura dignior Canonicatu. Item habet Curatus administrationem majorem, que precedentiam inducit, *cap. cum illis de Præbendis.*

Cura namque, & exercitium continet in se magnum periculum, cùm sit
9 ars artium, & est tantò prætiosior, quantò periculosior; nec omnis Sacerdos est idoneus ad curam animarum, *cap. penult. de ætate, & qualit.*

Cura etiam superat Canonicatum, ratione scientiæ, cùm in Curato major quã in Canonico requiratur scientia, quia tenetur audire confessiones, & distinguere peccata, Evangeliumque declarare: & demum superat ratione Ordinis, cum in Canonico sufficiat ordo Subdiacona-
10 tus, Parochus autem debet esse Sacerdos, cum debeat administrare Sacramenta, ac Missas celebrare, ut muneri suo satisfaciat: hæc *Molina supra:* Sed ne recedas à prima sententia, & veriore.

Non solùm in Ecclesia Parochiali primus locus, ac præcedentia debetur Canonicis Cathedralis, supra proprium Parochum, juxta resolutionem *Sacræ Congreg. Rituum in d. Turritana*, sed,
11 etiam in Processionibus funerum, ubi Canonici Capitulariter conveniunt ad funus, ut ex *Sacra Congreg. Rituum in una Viterbien. 25. Junii 1611.* ex qua habetur, digniorem locum competere Capitulo, & Clero Ecclesie Cathedralis, Parochum verò precedentiam tantùm obtinere suprà ceteros Presbyteros, non autem Ecclesiæ Cathedralis, de qua resolutione, *Barbosa de Parochis part. 1. cap. 9. num. 7.*

Quod

Quod locum habet, etiam ubi cum Capitulo Cathedralis intervenit Sacrista, & Curatus ipsius Cathedralis, qui
12 licet de se sint amovibiles; attamen quia dicuntur de numero Capituli, & faciunt unum Corpus cum eodem Capitulo, præcedunt proprio Parocho Parochialis Ecclesiæ, *Sell. in select. Canonicit cap.*71. *num.*25. *Panimolla decis.*1. *annot.*9.*num.*24. *Sac. Congreg. Rituum in una Pisauren.* 22. *Martii* 1631. *Callien.* 9. *Aprilis* 1633. & alibi.

Canonicis Cathedralis verò debetur præcedentia supra Parochos, ubicum-
13 que illi Capitulariter incedunt sub propria Cruce; quod secùs videtur, quando Canonici sine Cruce uti singuli funeribus interveniunt, quia cum tunc non repræsentent Corpus Capituli, non gaudent prærogativa præcedentiæ supra proprium Parochum, *Barbosa de Paroch. part.*1. *cap.*9. *n.*6. *Panimolla sup. n.*26. *Sacra Congreg. Rituum in d. Viterbien. suprà*, & priùs *in altera* 20. *Novembris* 1603. de qua *Barbosa de Canonic. & dignitat. cap.*18. *n.*63.

Quidquid dicimus de Capitulo Cathedralis Ecclesiæ quoad præcedentiam supra Parochos, an locum habeat quoad Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ, vi-
14 dere est. Et dicimus in hac varias reperiri Decisiones; nam pro Parocho, quod scilicet in funeralibus præcedat Canonicis Collegiatæ, apparet fuisse resolutum à *Sac. Congr. Rituum in una S. Angeli Terrę Saxiferrati* 24. *Octobris* 1609. *& in Eugubina* 15. *Julii* 1614. *Prænestina Cavarum* 13. *Julii* 1619. & alibi passim. Facit Rituale Romanum *tit. de exequiis pag.*150. ubi statuit, quod Parochus in omnibus funeribus præcedat, incedendo ante feretrum, & hanc partem conatur defendere *Stephanus Gratian.*, vel potiùs *Theodosius Rubeus ad dictum Gratianum Discept. forens.* 298. *num.*83. *&* 492. *Barbosa de Paroch. suprà num.*8. ; *Panimolla suprà num.*12. *&* 13.

Pro Canonicis verò, scilicèt favore
15 Canonicorum Collegiatæ extant aliæ declarationes pariter *Sacræ Congreg. Rituum*, ut *in una Sutrina* 30. *Augusti* 1602. *&* 2. *Augusti* 1603. *Militen.* 18. *Novembris* 1606., *Ostien. Terræ Cori* 9. *Maji* 1617. *Prænestina Cavarum* 14. *Augusti* 1618., ubi in causa præcedentiæ inter Archipresbyterum, & Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ, & Parochum S. Stephani declaratum fuit præcedentiam semper, & ubique competere Archipresbytero, & Canonicis supra Parochum prædictum, etiam in associandis funeribus Defunctorum propriæ ipsius Parochiæ; jus tamen faciendi officium circa corpus Defuncti ad Parochum in sua Parochiali Ecclesia spectare. Et quod Canonici prædicti præcedere debeant omnibus Rectoribus Curatis, Plebanis, ac Presbyteris Ecclesiarum Parochialium in publicis Processionibus, ac functionibus etiam Synodalibus, censuit eadem *Sacra Congreg. Rituum in una Verulana* 11. *Decembris* 1613. *Senogallien.* 23. *Martii* 1619. *&* 4. *Aprilis in eadem* 1620. de quibus *Barbosa de Canonic. & dignitat. cap.*18. *sub n.*67. *& de Parochis part.*1. *cap.*9. *num.*9. latè *Rota in una Tranen. Præeminentiarum* 19. *Novembris* 1717. *coram Ansaldo per totam*.

Canonici igitur sive Cathedralis, sive Collegiatæ Ecclesiæ semper, & ubi-
16 que præcedunt Parochos, cęterosque Clericos, etiamsi Cathedralis, vel Colleggiata fuerit ex postea erecta, ac pariter etiamsi sit in possessione præcedendi ante erectionem, cum debeat attendi tempus præsens, & non præteritum, *Rota coram Seraphin. decis.*1445., ubi habetur, hoc procedere, etiamsi in erectione Cathedralis, vel Collegiatæ adsit Clausula *sine præjudicio alicujus*.
17 Undè fit quod si Ecclesia filialis, quæ priùs precedebatur à Matrice, erigatur in Collegiatam, debet præcedere ipsam Matricem, nam mutato statu, mutatur antiquum jus, *Rota d. decis.*1445. *Nos* latè *de Canonic. & Dignit. lib.*6.

Quoad secundum: Parochi quomodo debeant præcedere inter se ipsos, sequitur ut videamus. Et dicimus, quòd
18 sive illi sint omnes Seculares, sive partim Seculares, & partim Regulares, prout hic in Urbe, est observandum, ut præcedentia debeatur secundum prærogativam suarum Ecclesiarum, & non secundum prærogativam Regulæ, *S. Congreg. Rit. in una Asten.* 21. *Martii* 1609.

Nec

Nec secundum antianitatem, & prærogativam Religionis cui Cura Eccle-
19 siæ Parochialis commissa est, *Sell. in Selectis Canonic. cap.71. n.16. Barbosa Summ. Apostol. decis. Collect.236.n.5. Panimolla decis.1. annot.9. n.31.*

Quoties verò contingat, quod duo Parochi conveniant in uno funere, puta Parochus defuncti, & Parochus Ecclesiæ Parochialis, ad quam defertur defunctus, quomodo inter se incedere debeant, & cui debeatur præcedentia?
20 Et dicimus, eosdem incedere debere pares, locus verò Parochi defuncti erit à sinistris Parochi, ad cujus Ecclesiam defertur: undè Parochus Ecclesię ad quā defertur mortuus, habet præcedentiam: & ita vidi servatum Romæ, sicuti uterque valet deferre Stolam, ut *Nos infrà*. Etsi Parochus fuerit Regularis, ille incedere debet suo loco de quo supra, puta loco pari cum Parocho Seculari, reliqui verò Regulares suis locis, ut habetur ex *actis Ecclesiæ Mediolanen. part.2. tit. de funere dummodo vers. cum ex Parochia*, ubi sic legitur = *Cum ex Parochia, cui Secularis Sacerdos præsit, mortuus affertur*, *ut in Parochiali Ecclesia sepeliatur*, *seu Regularis sit præfectus*, *vel econtra*, *tunc utrique Parochi superpelliceo, & Stolâ induti*, *pares progrediantur*; *reliqui verò Regulares eum locum teneant*, *quem in generalibus Processionibus tenere consueverunt*, *non obstante quavis consuetudine*, *vel pactione*, *quam inter se fecerunt* = *Panimolla sup. à num.32. & sequentibus.*

Hoc unum est in materia, de qua agimus, ut Parochus à quo, & Parochus
21 ad quem, possint ambo incedere Stolâ, & Cottâ induti, & alter ingredi Ecclesiam alterius, *Sacra Congreg. Rituum in una Asculana 29. Januar. 1629.* relata à *Barbosa de Parochis cap.26.n.76.&77.*

Parochus, de quo supra, ubicumque incedit in Processionibus Cottâ indu-
22 tus, ipse præcedit omnibus Rectoribus, ac Presbyteris, *Sacra Congreg. Rituum in una Firmana 31. Martii 1618.* de qua *Barbosa in Summ. Apostolic. decis. Coll.557. num.2.*

Quod locum habet, etiamsi fuerit
23 Curatus amovibilis; nam adhuc præcedit Sacerdotibus antiquioribus, *Sacra Congreg. Rituum in una Nucerina 16. Aprilis 1644.* imò faciendo officium
24 cum Cotta, & Stola præcedit etiam Rectori ipsius Ecclesiæ Parochialis, cui inseruit, non obstante consuetudine in contrarium, *Sacra Congreg. Rituum in una Nucerina Paganorum 11. Jul. 1637.* & in *Maceraten. 10. Julii 1656.*

Parocho cuilibet in sua Parochiali Ecclesia debetur præcedentia, uti diximus, non solùm supra cœteros de Cle-
25 ro, sed etiam ubicumque ibi adest Gubernator, seu Magistratus loci; quia Parochus dicitur Caput Ecclesiæ, meritò proindè suprà cœteros venit honorandus, undè priùs ille thurificandus erit, *Sacra Congreg. Rituum in una Turritana 14. Februarii 1632. Panimolla suprà decis.1. annot.11. num.12. Barbosa Summ. Apostolic. decis. Coll.238. num.12. & Coll.557. num.8.*

ARGUMENTUM.

Parochorum facultas circa functiones Parochiales peragendas in eorum Parochiali Ecclesia, ubi an illas facere possint in Ecclesiis, seu Oratoriis Confraternitatum Laicorum privativè quoad eorum Capellanos: & adducuntur nonnulla decreta generalia noviter edita super juribus Parochorum.

SUMMARIUM.

1 *Functiones Parochiales recensentur*, & num.4. & seqq.
2 *Functiones Parochiales peragendi facultas Parocho competit privativè in sua Ecclesia, atque etiam in aliis Ecclesiis sitis intra limites Parochiæ*, ut num.3.
12 *Regularibus non licet die Sabbathi majoris hebdomadæ domibus benedicere.*
14 *Parochus impedire nequit, quin Capellani existentes intra limites Parochiæ, die festo S. Antonii Abbatis benedicant animalia.*
15 *Referuntur decreta generalia Sac. Congre-*

gregationis Rituum, edita circa competentiam jurium Parochialium, aliarumque functionum inter Parochos, & Capellanos Confraternitatum laicorum.

DISCEPTATIO XX.

Diximus supra quasi per transennam, esse solius Parochi functiones Parochiales peragere in sua Ecclesia, priva-
1 tivè quoad omnes, etiam interveniente Capitulo Cathedralis, vel Collegiatæ Ecclesiæ. Hìc autem nobis latiùs sunt de materia hac quamplura demonstranda: & priùs, quæ sint functiones Parochiales. Functiones Parochiales sunt benedictio fontis Baptismalis, celebratio Missæ feriæ quintæ in Cœna Domini, Candelarum benedictio in die Purificationis B. M. V., benedictio Cinerum, ac Palmarum, aspersio Domorum in die Sabbathi Sancti, benedictio Mulierum post partum, benedictio Sponsi, & Sponsæ, benedictio Cadaveris antequam levetur de domo.

Parochus igitur ratione jurisdictionis, quam habet in sua Parochia; cum
2 in ea habeatur, ut Prælatus, privativè, quoad omnes peragere valet hujusmodi Parochiales functiones, de quibus suprà, ad *Text. in cap. dilectus de Capellis Monach. cap. fraternitatem de Sepult.*, *Marescottus var. resol. lib.2. cap.95. num.12.*, *Barbosa de Parochis cap.12. num.1. & cap.26. num.66. Rota recent. part.12. decis. 214. num. 6.*, *& part.19. decis.225. num.1.*

Quas quidem Parochiales functiones peragere potest non solùm in sua Paro-
3 chiali Ecclesia, sed etiam in omnibus Ecclesiis sitis intra limites suæ Parochiæ, ut habetur ex *Sacra Congreg. Concil. in una Caven. jurium Parochialium 21. Augusti 1706. ad dub.2.*

Benedictio igitur fontis Baptismalis cum inter functiones Parochiales con-
4 numeretur, proindè ad solum Rectorem Parochiæ spectat benedictio ipsa peragenda, *Quaranta in Summ. Bull. V. Missa*, *Riccius part.4. resol.308.*, *Barbosa de Parochis cap.12. n.2.* Quod locum habet, non obstante contrariâ consuetudine, *Sacra Congreg. Concil. in una Florentina 26. Januarii 1697.*, & meliùs *Sacra Congreg. Rituum in Decretis generalibus Urbis, & Orbis 10. Septembris 1703. ad dub.6.* de quibus *Nos infrà* in hac Disceptatione.

Celebratio quoque Missæ solemnis feriæ quintæ in Cœna Domini, licet ve-
5 rè non sit de juribus mere Parochialibus, attamen spectât ad proprium Parochum, *Riccius d. part.4. resol.309. Quaranta suprà*, *Barbosa suprà num.3. Sacra Congreg. Rituum in Decretis generalibus, de quibus suprà ad dub.8.*

Candelarum benedictio in die Purificationis B. M. V., ac Palmarum, ea-
6 rumque dispensatio inter Parochiales functiones connumerantur; ac proindè ad proprios Parochos spectant, *Riccius suprà resol.305. Sacra Congreg. Rituum in una Alatrina 5. Martii 1633.*

Licet ex dicta *Sac. Congreg. Rituum ad dubia generalia ad dub. 5.* proposi-
7 tum, videlicèt, an benedictiones, & distributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum sint de juribus merè Parochialibus, *Sacra Congreg.* respondit *negativè*, ut *Nos infrà* in hac Disceptatione.

Cinerum benedictio solita fieri die prima Quadragesimæ connumeratur in-
8 ter functiones Parochiales, atque ideò à Parocho est facienda, *Riccius suprà d. part.4. resol.306. Sacra Congreg. Rituum in d. Alatrina 5. Martii 1633.* licèt contrarium ex dictis Decretis generalibus *ad dub. quintum suprà*, ut in præcedenti conclusione.

Benedictio Palmarum, quæ in toto Christiano orbe in die dominico proxi-
9 mo Paschati Resurrectionis fieri solet, inter functiones Parochiales connumeratur; proindè spectat ad Parochos benedictionem ipsam peragere, *Riccius suprà resol.307. Sac. Congreg. in d. Alatrina.* Licèt contrarium in dictis Decretis generalibus *ad dub. quintum*, de quo *Nos suprà*, & de omnibus dubiis, *infrà*.

Benedictio Mulierum post partum cum sit de juribus Parochorum, meri-
10 tò ad istos spectat benedicere illas, *Sacra Congreg. Concil. in una Antuerpien. 19. Novembris 1662.*, *Sacra Congreg. Visitationis Apostolicæ 15. Decem-*

bris 1695. Sacra Congreg. Rituum in dictis Decretis generalibus suprà ad dub. sextum ibi : *Benedictiones Mulierum post partum fieri debent à Parocho*, ut *Nos infrà* do omnibus dubiis.

Domorum aspersio in die Sabbathi Sancti, vel alio tempore secundùm
11 morem Regionis, cum inter functiones Parochiales connumeretur, meritò Parochus privativè, quoad alios peragere debet functionem hujusmodi, *Riccius d. part.* 4. *resol.* 310.

Undè *Sac. Congreg. Concil.* 23. *Novembris* 1619., censuit, Regulares in
12 Sabbatho Sancto non posse benedicere domos, quæ resolutio confirmatur *in una Bononien.* 4. *Julii* 1620. *Barbosa de Parochis suprà num.* 11.

Benedictio Sponsi, & Sponsæ, privativè spectat ad proprium Parochum,
13 vel alium ab eo deputatum, cùm hoc inter functiones Parochiales connumeretur. Sicuti benedictio Cadaveris Defuncti, antequam levetur de domo ipsius Defuncti, *Sacra Congreg. Concil. in una Bononien.* 14. *Februarii* 1694.

Demum scias, Parochum non posse prohibere benedictiones Animalium,
14 quæ fiunt à Capellanis Ecclesiæ sitæ intra ejus Parochiam, & hoc in die V.G. S. Antonii Abbatis, *Sac. Congreg. Concil. in una Ravennaten.* 12. *Novembris* 1695.

Decreta generalia *Sac. Congreg. Rituum* circa jura Parochialia, functiones, & præeminentias, inter Parochos, &
15 Confraternitates laicorum, eorum Capellanos, & Officiales edita in Congregatione sub *die* 10. *Septembris* 1703. à Sanctissimo confirmata *die* 12. *Januarii* 1704. ut infrà.

Ad debitum imponendum finem controversiis, quæ inter Parochos, & Confraternitates Seculares, earumque Capellanos, & Officiales super Juribus Parochialibus, & functionibus Ecclesiæ, nonnullisque præeminentiis, & prærogativis, quæ frequenter oriri solent in Sacrorum Rituum Congregatione, ab Emo, & Rmo D. Cardinali Colloredo, propositis infrascriptis dubiis. Sacra eadem Congregatione, re maturè discussa respondendum esse censuit.

Dubium primum: *An Confraternitates Laicorum legitimè erectæ in Ecclesiis Parochialibus habeant dependentiam à Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis non Parochialibus*, Sac. Congregatio respondit *affirmativè*.

Dubium secundum: *An dictæ Confraternitatates erectæ in Capellis, vel Oratoriis tàm publicis, quàm privatis adnexis Parochialibus Ecclesiis, & ab eis dependentibus habeant dictam dependentiam à Parocho, quoad dictas functiones*. Sacra Congregatio respondit *affirmativè*.

Dubium tertium: *An Confraternitates erectæ in aliis Ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam à Parocho, intrà cujus Parochiæ limites sitæ sunt Ecclesiæ*. Sacra Congregatio respondit *negativè*.

Dubium quartum: *An Confraternitates erectæ in Oratoriis tum publicis tum privatis, sejunctis ab Ecclesiis Parochialibus, quoad dictas functiones Ecclesiasticas habeant dictam dependentiam à Parocho*. Sacra Congregatio respondit *negativè*.

Dubium quintum: *An benedictionem, & distributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum sint de Juribus merè Parochialibus*. Sacra Congregatio respondit *negativè*.

Dubium sextum: *An benedictiones mulierum post partum, fontis Baptismalis, ignis, seminis, ovorum, & similium, sint de juribus merè Parochialibus*. Sacra Congregatio respondit *negativè, sed benedictiones mulierum, & fontis Baptismalis fieri debent à Parochis*.

Dubium septimum: *An functiones omnes hebdomadæ Sanctæ sint de juribus merè Parochialibus*. Sacra Congregatio respondit *negativè prout jacet*.

Dubium octavum: *An celebratio Missæ solemnis feria quinta in Cœna Domini, sit de juribus merè Parochialibus*. Sacra Congregatio respondit *negativè prout jacet, sed spectare ad Parochos*.

Dubium nonum: *An pulsatio prima Campanarum in Sabbatho Sancto sit de juribus Parochialibus*. Sacra Congregatio respondit *negativè prout jacet, sed*

sed spectare ad Ecclesiam digniorem, ad formam Constitutionis Leonis X. la 22.

Dubium decimum: *An celebratio Missarum solemnium per annum, sive pro Vivis, sive pro Defunctis, sit de juribus Parochialibus*. Sacra Congregatio respondit *negativè prout jacet, sed licere Confratribus dumtaxat in solemnitatibus solemnioribus ejusdem Ecclesiæ, vel Oratorii, ut in Brundusina 1. Junii* 1605.

Dubium undecimum: *An expositio quadraginta horarum, & benedictio, quæ fit super populo, sit de juribus merè Parochialibus*. Sacra Congregatio respondit *negativè*.

Dubium duodecimum: *An expositio, quæ fit cum Reliquiis, vel Sacris Imaginibus, & benedictio, quæ cum eis fit super populo sit de juribus Parochialibus*. Sacra Congregatio respondit *negativè, & quoad benedictiones cum Reliquiis, vel Imaginibus serventur decreta*.

Dubium decimumtertium: *An functiones in præcedentibus octo dubiis, videlicet à dubio quinto usque ad duodecimum expressè peragi possint in Oratoriis privatis, contradicente Parocho*. Sacra Congregatio respondit *satis provisum in superioribus*.

Dubium decimumquartum: *An in dictis Oratoriis privatis Confraternitatum per Confratres statutis horis recitari possint horæ Canonicæ cum cantu, vel sine, absque licentia Parochi*. Sacra Congregatio respondit *affirmativè, nisi Ordinarius aliter statuat ex rationabili causa*.

Dubium decimumquintum: *An in dictis Oratoriis privatis sit licita celebratio Missæ privatæ assentiente Ordinario loci, & contradicente Parocho*. Sacra Congregatio respondit *affirmativè*.

Dubium decimumsextum: *An Capellani Confraternitatum possint populo denunciare festivitates, & vigilias occurrentes in hebdomada, absque licentia Parochi*. Sacra Congregatio respondit *affirmativè*.

Dubium decimumseptimum: *An Parochus, invitis Confratribus, docere possit doctrinam Christianam in prædictis Ecclesiis, vel Oratoriis publicis, aut privatis, à Parochiali divisis, & separatis*. Sacra Congregatio respondit *negativè*.

Dubium decimumoctavum: *An in supradictis Ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicæ conciones etiam per totum cursum Quadragesimæ, vel Adventus, cum licentia Ordinarii, & absque licentia Parochi*. Sacra Congregatio respondit *affirmativè*.

Dubium decimumnonum: *An in eisdem Ecclesiis possit celebrari Missa, sive lecta, sive cantata ante Missam Parochialem, sive lectam, sive cantatam*. Sacra Congregatio respondit *negativè, nisi aliter Episcopus disponat*.

Dubium vigesimum: *An ad Parochum spectet facere officium funebre super Cadaveribus sepeliendis in supradictis Ecclesiis, vel Oratoriis Confraternitatum*. Sacra Congregatio respondit *affirmativè, quando tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia, vel Oratorium*.

Dubium vigesimumprimum: *An infra ambitum earumdem Ecclesiarum fieri possint processiones, juxta cujusvis Confraternitatis institutum, absque interventu, & licentia Parochi*. Sacra Congregatio respondit *affirmativè*.

Dubium vigesimumsecundum: *An eædem processiones fieri possint extra ambitum dictarum Ecclesiarum absque licentia Parochorum, per quorum territorium transeundum est*. Sacra Congregatio respondit *negativè, nisi adesset licentia Episcopi*.

Dubium vigesimumtertium: *An in dictis processionibus Capellani Confraternitatum possint deferre stolam*. Sacra Congregatio respondit *negativè extra propriam Ecclesiam*.

Dubium vigesimumquartum: *An Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Confraternitatum, quæ non sint Regularium, neque proprium Rectorem habeant beneficiatum, porrigendum sit aspersorium à Parocho, in cujus territorio sitæ sunt dictæ Ecclesiæ*. Sacra Congregatio respondit *negativè*.

Dubium vigesimumquintum: *An earumdem Ecclesiarum, & Confraternitatum Rectores, & Capellanos posiit Parochus, cessante alio speciali, ac legi-*

timo titulo, & ex solo jure Parochialitatis, compellere invitos ad assistendum functionibus Ecclesiæ Parochialis. Sacra Congregatio respondit *negativè*.

Dubium vigesimumsextum: *An in supradictis Ecclesiis Confraternitatum, neque Parochialibus, neque Regularibus, retineri possit Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, sine speciali indulto S. Sedis Apostolicæ*. Sacra Congregatio respondit *negativè*.

Dubium vigesimumseptimum: *Præsupposita facultate retinendi, an possit infra annum publicè exponi, sine licentia Ordinarii*. Sacra Congregatio respondit *negativè*.

Dubium vigesimumoctavum: *An possit Parochus se ingerere in administratione Oblationum, & eleæmosynarum, in sæpè dictis Ecclesiis collectarum, vel capsulæ pro illis recipiendis expositæ, claves retinere*. Sacra Congregatio respondit *negativè*.

Dubium vigesimumnonum: *An in Ecclesia Parochiali Confratres, vel eorum Capellani immiscere se valeant, invito Parocho, in ejusdem Ecclesiæ Functionibus sive Parochialibus, sive non Parochialibus* Sacra Congregatio respondit *negativè*.

Dubium trigesimum: *An Confraternitates, sive sint erectæ in Ecclesia Parochiali, sive extra illam, possint pro libito, & juxtà uniuscujusque peculiaria statuta, congregationes suas facere absque interventu, vel licentia Parochi*, Sacra Congregatio respondit *affirmativè, dummodo non impediant functiones, & divina Officia*.

Dubium trigesimumprimum: *An possint propria bona administrare, ac de illis disponere Confratres, absque ulla dependentia à Parocho*. Sacra Congregatio respondit *affirmativè*.

Dubium trigesimumsecundum, & trigesimumtertium: *Quando Parochus eisdem Congregationibus intersit de mandato Ordinarii, & tamquam ejus delegatus an possit suffragium decisivum ferre, & an etiam suffragium duplex*. Sac. Congregatio respondit *ad utrumque negativè*.

Et ita salvis conventionibus, & pactis in erectione Confraternitatum factis, concordiis inter partes initis, & à Sede Apostolica approbatis, Indultis, Constitutionibus Synodalibus, ac Provincialibus, & consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis, declaravit, & decrevit, die & anno, ut suprà, approbata à Sanctissimo, die, & anno, ut suprà.

ARGUMENTUM.

Parochorum facultas quæ sit circa Sepulturam Cadaveris sui Parochiani, vel alterius decedentis in sua Parochia, non electâ Sepulturâ? Ubi de Funere ducendo, & Quarta Funerali eisdem de Jure debita, & de quibus bonis, & à quibus.

SUMMARIUM.

1 *Parochus habet jus sepeliendi decedentes in sua Parochia, qui alibi Sepulturam non elegerint*.
Declara, ut num.4.

2 *Jus Sepulturæ dependentiam habet à perceptione Sacramentorum, ut nimirum quis ibi debeat sepeliri, ubi Sacramenta percepit*.

3 *Retinens duo domicilia Sepeliri debet in illa Parochiali Ecclesia, ubi decessit*.

5 *Funus celebrare spectat ad Parochum tanquam de juribus Parochialibus*.
Ideoque levantes cadaver, irrequisito Parocho, uti alienam jurisdictionem turbantes, puniri possunt.
Quid autem si Parochus renuat intervenire? num.7.

6 *Parochus habet juris assistentiam circa privativum exercitium omnium jurium Parochialium*.

8 *Clerici sive Seculares fuerint, sive Regulares, qui ad funus invitantur, convenire debent in Ecclesia Parochiali, ut inde Processionaliter cum Parocho accedant ad domum defuncti*.
Sin autem invitatum fuerit Capitulum Cathedralis, omnes convenire tenentur in Cathedrali, num.9.

10 *Funus ordinare ad quem spectet, & quâ*

quâ viâ illud ducendum sit; num. 11.

12 *Parochus, ubi Sepultura electa fuerit in Ecclesia Regularium, cadaver januam usque Ecclesiæ eorundem comitari potest.*

Eidem tamen Parocho, cæterisve de Clero nequaquam vetitum est Ecclesiam introire, sed dumtaxat circa officium à Regularibus persolvendum super Corpore Defuncti sese ingerere, num. 13. & 14.

15 *Parocho debita est Quarta funeris pro Sacramentorum administratione*, & num. 20.

Etiamsi quis alibi accidentaliter obierit, priori domicilio nequaquam mutato, num. 16.

Et quamvis constitutus in mortis articulo sese cum bonis ad domum Regularium contulerit, num. 17.

18 *Quarta funeris præscribi potest favore alterius Ecclesiæ adversus Parochum per quadragenariam possessionem.*

19 *Possessio diuturna inducit præsumptionem tituli.*

DISCEPTATIO XXI.

Quæ sit Parochi facultas circa Sepulturam Cadaveris sui Parochiani, vel alterius non habentis pro-
1 prium domicilium, in sua Parochia decedentis, non electâ Sepulturâ, nobis primo loco est demonstrandum. Parochus igitur jus habet quoad omnes degentes in sua Parochia, decedentes sive cum testamento, vel sine testamento, non electâ sepulturâ, ut sepeliantur in sua Ecclesia Parochiali, nisi fortè alibi habeant Sepulchrum, in quo Majores eorum sepeliri ab antiquo consueverint, ad *Text. in cap. is, qui de Sepult. in 6. Clement. dudum §. hujusmodi eodem tit. Samuel de Sepult. tract. 1. disp. 5. controv. 1. conclus. 11. Sperell. decis. 88. num. 3. Ugolin. de offic. Episc. cap. 17.*

Jus enim Sepulturæ, ut plurimum dependet à perceptione Sacramento-
2 rum, *Doctores in cap. 1. de Sepult. in 6. Sperell. decis. 87. num. 8. Rota in una Romana Funerum 4. Junii 1653. coram Zarat.* inter suas impressas est *decis. 45. num. 12. eadem Sac. Rota rec. part. 18. decis. 7. num. 3. & 4. Sac. Congreg. Concil. in una Romana Juris sepeliendi 17. Augusti 1697.*

Quoties verò quis habet duo domicilia, eo decedente, non electâ Sepultu-
3 râ, sepeliendus erit in illa Ecclesia Parochiali, intra cujus fines decessit, *Samuel suprà d. disc. 5. controv. 8. concl. 7. Sperell. suprà n. 10. decis. 87. Nos latè de Sepulturis lib. 22. disc. 7.*

Supradicta tamen principalis conclusio non habet semper, ac semper locum
4 favore Parochi, in cujus Parochia aliquis decedit, non electâ Sepulturâ; etenim, si agatur de Romano Pontifice, Cardinalibus, Legatis, Episcopis, Canonicis, Parochis, Clericis, Regularibus, Confratribus, habentibus Familiare Sepulchrum, & similibus, an debeant sepeliri in Ecclesia Parochiali, demonstrabimus *infrà, sub tit. de Sepulturis, & Funeribus discept. 7.*, ibi vide, *lib. 22.*

Quoad secundum: De Funere peragendo, & quanta sit Parochorum facul-
5 tas circa hoc, sequitur, ut aliquid dicamus: & nulli dubium, est ad proprium Parochum spectare funus peragere super Corpore Defuncti proprii, scilicet illius, qui de sua jurisdictione erat, cum inter jura Parochialia connumeretur: undè priùs sciendum est, non posse Cadaver Defuncti levari à sua domo, irrequisito proprio Parocho: & aliter facientes puniri possunt condignis pœnis, *Ugolin. de offic. Episcopi cap. 17. n. 3. Barbosa de Parochis cap. 26. n. 66.*, *Sacra Congreg. Rituum in una Camerinen. 21. Novembris 1637.*

Ratio est, quia Parochus in his, quæ concernunt exercitium jurium Paro-
6 chialium, habet assistentiam juris intra limites suæ Parochiæ, privativè quoad alios, ad *Textum in cap. 1. cap. fraternitatem de Sepult. Clem. dudum, eodem titulo, Rota coram Zarat. decis. 45.* ubi alii concordantes. Ipsique competit, privativè quoad alios, deferre Stolam, *Sacra Congreg. Concil. in una Ebrodunen. 25. Junii 1695. ad dubium undecimum.*

Diximus suprà: *irrequisito Parocho*: nota, quòd ubi Parochus fuerit requisitus, & recusaverit intervenire, vel alium

alium mittere in locum sui; cùm hu-
7 mana pietas non patiatur, ut Cadaver
diù remaneat insepultum, illo expecta-
to, & nolente venire, possunt cœteri
de Clero, vel Regulares, ubi Cadaver
erit sepeliendum in eorum Ecclesia, le-
vare illud, & asportare ad locum desti-
natum pro Sepultura, *Sacra Congreg.
Rituum in una de mense Augusti 1666.
ad dubium 8., & in altera Senogallien.
22. Junii 1675.*

Invitati ad funus, sive Clerici Se-
culares, sive Regulares fuerint, sive
8 Confratres, & similes, accedere de-
bent ad Ecclesiam Parochialem, ut ex
ea processionaliter euntes accedant do-
mumDefuncti ad levandum illius Cada-
ver, *Sacra Congreg. Episcop. & Regul.
in una Placentina 16. Decembris 1661.
Sacra Congreg. Rituum in una Æsina
31. Julii 1665. Nicien.9. Augusti 1670.
Aretina 22. Decembris 1696.*

Sed supradicta non procedunt, ubi
invitatum fuerit Capitulum Cathedra-
9 lis; nam hoc casu omnes convenire de-
bent ad Cathedralem, & ab ea proces-
sionaliter incedere, *Sacra Congrega-
tione Concil. in una Æsina 24. Janua-
rii 1671. Sutrina Præeminentiarum 28.
Aprilis 1703. ad dubium primum, &
secundum.*

Ordinare processionem funeris spe-
ctat ad Parochum ipsius Defuncti, licèt
10 Cadaver erit sepeliendum in aliena Ec-
clesia, *Barbosa de Parochis dicto cap.26.
num.74.*

Imò rectâ viâ ducendum erit ad Ec-
11 clesiam, in qua erit tumulandum, *Sa-
cra Congreg. Rituum in una Savonen.
19. Decembris 1671.*

Et ubi ductum fuerit ante januam
Ecclesiæ Regularium debet Parochus
12 illud aspergere aquâ benedictâ, & re-
citata aliqua brevi oratione super cor-
pus, dare illi ultimum vale, *Sac.Con-
greg. Rituum in una Savonen. juris Pa-
rochialis 27. Septembris 1685.*

Non videtur tamen denegatum Pa-
rocho, cęterisve de Clero, ut possint
13 ingredi Ecclesiam Regularium; dene-
gatum verò eisdem est officium perage-
re super corpus Defuncti, ac proindè
valent, & possunt ingredi, sicuti cęteri
de populo, *Sacra Congreg. Rituum in
una Mantuana Funerum 21. Novembris
1699. Sac. Congreg. Concil. in una Tro-
jana Funerum 17. Junii 1702.*

Dixi: *Dummodo non se intromittant
in officio peragendo*: nam officium per-
14 agere privativè spectat ad Regulares,
*Barbosa de Episcop. alleg.73., Rota co-
ram Zarat. decis.45. Sac. Congreg.Con-
cil. in una Pisana 3. Maji 1642. Mantua-
na 19. Junii 1649., Pignatell. tom. 5.
consult.47. Nos latè de Funeribus, &
Sepulturis lib.22. discept.10.*

Quoad tertium: Sequitur ut videa-
mus quale sit jus, & facultas Parocho-
rum circa quartam funeralem, seu Ca-
nonicam portionem, eisdem de jure de-
bitam, juribus, & auctoritatibus de
quibus suprà. Et nulli dubium est, cui-
15 cumque Parocho quartam ipsam com-
petere; cum sit de juribus Parochorum,
in recognitionem oneris, quod in Sa-
cramentorum administratione Parocho
incumbit, ad *Textum in cap.1. cap.re-
latum, cap. de iis de Sepulturis Clem.
dudum eodem titulo, cap. cum quis eo-
dem tit. in 6. Ugolin. de offic. Episcop.
cap.17. num.11. Sperellus decis.88. n.2.*

Quartâ, de qua suprà, debetur Paro-
cho à suo Parochiano defuncto, etiam si
ille suum clauserit diem extremũ extra
Parochiam, causâ pestis, aut mutatio-
16 nis aeris, & simili; cùm non videatur
mutasse domicilium animo ibi perma-
nendi, sed causa recuperandæ salutis,
*Abbas in cap. de his de Sepult., & in
cap. is, qui, eod. tit. in 6. Pavimolla de-
cis.5. annot.4. num.4.*

Idem procedit in eo, qui cum fuisset
constitutus in articulo mortis, se con-
17 fert apud Regulares, cum omnibus bo-
nis suis: hoc casu si illa infirmitate pe-
rierit, adhuc debetur quarta Parocho,
licèt obierit in domo Regularium, ita
*Barbosa de Jur. Eccles. lib.3. cap.24.
num.28. Ludovic. Miranda in Manuali
Prælat. tom.2. quæst.48. art.9.*

Diximus suprà: *Quartam funeralem,
seu Canonicam portionem spectare ad
18 Parochum*: hìc nota, posse jus istud es-
se præscriptibile favore alterius; undè
si Ecclesia Cathedralis, vel Ecclesia Ma-
trix, fuerit in quadragenaria possessio-
ne exigendi quartam privativè quoad
Parochum, eidem Cathedrali, vel Ec-
clesiæ

clesiæ Matrici debetur, non obstantibus juribus, de quibus suprà; continuata
19 enim possessio facit præsumere, quod Cathedralis, vel Matrix Ecclesia sibi reservaverit tale jus in signum superioritatis, quando Parochiæ fuerunt erectæ, *Rota recent. part.* 1. *decis.* 376. *n.*2. *&* 3. *Barbosa de Parochis cap.*25. *num.*22.

At quia de materia ipsa quartæ funeralis Parochis, vel alteri debitæ, ut suprà, & de quibus bonis illa debeatur;
20 & à quibus erit solvenda, & demum quinam veniant excusandi ab hoc onere solvendi illam, latè diximus, *lib.* 22. *disc.*12. 13. *&* 14. *sub titulo de Sepulturis*, *Funeribus*, *& Quarta funerali*; ideò quisque in facti contingentia recurrant ad dictum locum.

ARGUMENTUM.

Parocho, an, & quatenus dari possit Coadjutor; quibus causis concurrentibus? & à quo dari possit.

SUMMARIUM.

1 *Coadjutor deputandus est Parocho, ubicunque is fuerit impeditus Parochialia munia expedire.*

2 *Rectori, qui fuerit citra culpam effectus inutilis, nova afflictio addenda non est per privationem, quoties pro incumbentibus oneribus deputari ei potest Coadjutor.*

3 *Coadjutorem Parocho deputare spectat ad Ordinarium, ejus arbitrio.*

4 *Coadjutor cessat, cessante causa, propter quam fuit deputatus.*

6 *Causæ exponuntur, ex quibus Parocho assignari poterit Coadjutor, vel plures respectivè Coadjutores, juxta populi indigentiam*, & num.7. cum seqq.

13 *Facultas Coadjutoris regulatur à tenore literarum deputationis.*

14 *Coadjutori Parochi assignanda est congrua ex fructibus Beneficii.*

15 *Parochus, itemque ipsius Coadjutor, uterque ad personalem residentiam obligatur*, & num.16. cum seq.

DISCEPTATIO XXII.

Ubicumque Ecclesiæ Parochialis Rector fuerit impeditus, ne possit explere munus suum erga gregem sibi com-
1 missum, tunc ei dandus erit Coadjutor, seù, ut dicitur, Vicarius amovibilis, arbitrio Ordinarii loci, cujus est instituere, & destituere; assignata ei quadam competenti congrua super fructibus ipsius Parochialis Beneficii, *Gonzalez ad Regul.*8. *Cancell. hodiè nonam*, *Glossa* 5. §.9. *num.*19. *Garz. de Benefic. part.*4. *cap.*5. *num.*1.

Etenim justum non est, nec rationi congruum, quod Rector, ubi factus
2 fuerit inutilis, suo privetur Beneficio; nam afflictis non est addenda afflictio, ad *Text. in cap. Rectoribus*, *cap. ex parte*, *cap. fin. de Clerico ægrotante*, *cap.*1. *eodem tit: in* 6. *Fagnan. in cap. consultationibus num.*40. *de Clerico ægrotante.*

Coadjutor, de quo suprà, dandus erit Parocho ab Ordinario loci; nam
3 sicuti illius est instituere, & destituere, eòque magis Coadjutores dare, *Gambar. de potestate Legati lib.*5.*tit. de Coadjutor. n.*3. *Gonzalez d.* §.9. *n.*36.

Ipse verò Coadjutor dandus erit ab
4 illo ad tempus, & ad sui arbitrium, ac durante causa, propter quam datur
5 Coadjutor; nam cessante causa removendus erit, quia cessante causa, cessat effectus, ad *Textum in cap. cum cessante de Regul. Juris*, *& Doctores passim.*

In quibus autem casibus Coadjutor hujusmodi assignari possit, habetur ex *toto titulo de Clerico ægrotante*, tam in Decretalibus, quàm in sexto Decretalium, ubi *Doctores* communiter. Pri-
6 ma causa erit, ubicumque Parochus effectus fuerit leprosus, scilicet leprâ coinquinatus, itaut alteri non valeat servire, nec sine magno scandalo eorum, qui sani sunt, Ecclesias ingredi: hoc casu, ne afflictio injungatur afflictio, non est privandus suo Beneficio, sed tantùm ei dandus erit Coadjutor, ad *Textum in cap. de Rectoribus*, *& toto titulo de Clerico ægrotante*, *cap.*1. *eodem tit. in* 6. *Fagnan. in d. cap. consultationibus per totum*, *Gonzalez suprà d.* §.9. *per tot.*

Secun-

Secunda causa erit, inscitia, & imperitia Parochi; hinc, ubicumque Paro-
7 chus fuerit illiteratus, & imperitus, etiamsi aliàs fuerit honestæ vitæ, adhuc dandus erit ei Coadjutor cum congrua fructuum, quâcumque appellatione non obstante, juxta dispositа per *Tridentin. sess.21. cap.6. de Reform. Sbrozius de Offic. Vicarii lib.2. quæst.212.Garz.sup. num.7. Ugolin. de Offic. Episc. cap.54. num.2.Barbosa de Episcop.alleg.53. n.6. Riccius decis.574. Zerola in praxi Episcop. part.1. V. Parochia §.7. Campanil. diversf. juris rubr.5. cap.5.*

Imperiti ad hunc effectum dicuntur illi, qui inhabiles sunt ad exploranda
8 ea, quæ incumbunt muneri, ac oneri Beneficii, quod habent, ut benè *Riccius in praxi fori Eccles. part.4. resol.547.*

Tertia causa erit, quotiescumque populus ita auctus fuerit, ut non possit
9 Rector Parochialis per se ipsum satisfacere muneri suo; nam hoc casu dandus erit ab Episcopo alius Coadjutor, vel plures Coadjutores dare valet, si necessitas ita expostulet, *Gonzalez suprà d. §. 9. num.26. Riccius resol.494. n.8. Sacra Congreg. Concil. in una Ostunen. 12. Julii 1631. & Doctores passim.*

Quarta causa erit, quoties Parochus est suspectus de dilapidatione Bonorum
10 ipsius Ecclesiæ, quo casu, ad evitandum evitanda, dandus erit ei Coadjutor, *Gonzalez suprà d. §.9. num.7. Riccius in praxi part.4. resol.543. sub n.6.*

Quinta causa erit, ubi Rector Parochialis captus fuerit ab hostibus, tunc
11 ei dandus erit Coadjutor in spiritualibus, & temporalibus, argumento *Text. in cap. si Episcopus de supplenda neglig. Prælat. in 6. Gonzalez d. §.9. num.28.*

In quocumque ex his, & similibus casibus datur Coadjutor ab Episcopo
12 Rectori Parochialis Ecclesiæ, imò potest dare plures, si necessitas Ecclesiæ ita expostulet; neque obstat quod unus tantum debeat esse Parochus in Ecclesia; nam quando Parochus non potest implere munus suum per se ipsum, tunc possunt ei dari plures Coadjutores, cum omnes repræsentent eumdem Parochū, *Rota recent. part.15. decis.39. num.4.*

Potestas Coadjutoris dependet à for-
13 ma Literarum, quæ datæ fuerunt ab Episcopo, ut advertit *Pavinus de visitat. part.1. quæst.2. num.32.*, undè si datus fuerit Coadjutor quoad spiritualia, & temporalia, tunc omnia exercere potest.

Ipsi Coadjutori assignanda erit congrua super fructibus ipsius Beneficii,
14 cum non debeat suis propriis stipendiis militare, ad *Text. in cap. Rectoribus, cap. tua nos, de Clerico ægrotante, cap. unico, eodem tit. in 6.* concordat *Trid. sess. 21. cap.6. de Reform. Gonzalez d. §.9. num.33.*

Coadjutor ipse tenetur ad personalem residentiam propter Curam, quam
15 habet, cum vices Curati teneat, *Sacra Congreg. Episc. & Regul. in una Nicoteren. 7. Septembris 1619.*

Sicuti quoque tenetur residere Parochus Coadjutus, ne aliàs sit melioris
16 conditionis stultus,& illiteratus, quàm providus, & literatus, *Gonzalez suprà num.30. Ugolin. de offic. Episcop. cap.15. §.3. & cap.54. n.3. Barbosa de Episcop. alleg.63. n.8.*

Undè tàm Coadjutor, quàm Coadjutus residere tenentur, & Coadjutus non
17 valet excusari, ex quo residet Coadjutor, sicuti è contra non valet excusari Coadjutor, ex quo residet Coadjutus, *Campanil. diversf. Juris Canon. cap.6. rub.7. num.104. Barbosa de Episcop. alleg.53. num.58.*

Vide quæ nos latè, sub *titulo de Clerico ægrotante, vel debilitato diximus.*

ARGUMENTUM.

Parochialis Ecclesia quatenus, & quibus modis illa vacare dicatur, ubi habetur vacare primò per obitum Parochi, secundò assecutione alterius, tertiò remotione à Beneficio, quartò delicto gravi, & quando dicatur tale.

SUMMARIUM.

1 *Præcipui vacandi modi in Beneficiis sunt per obitum, per assecutionem incom-*

incompatibilis, ac per renunciationem, sive resignationem, & num.2. cum seqq.

3 *Beneficium unitum non dicitur vacare, sicuti nec Beneficium cum Cura, quæ habitu resideat penes Capitulum.*

6 *Beneficium per assecutionem alterius incompatibilis non vacat, nisi post adeptam pacificam possessionem secundi.*

9 *Resignatio non admittitur in Dataria brevi tempore post provisionem.*

10 *Pensio super Beneficio Curato reservari solet cum clausula*: Dummodo remaneant centum pro Rectore.
Onus autem cui inhæreat justificandi, quòd remaneant centum pro Rectore, num.12. & seq.

11 *Curatus sustinens pondus diei, & æstus congrua alimonia defraudari non debet.*

14 *Quasi possessio in incorporalibus per unicum etiam actum acquiritur.*

17 *Beneficium quomodo dicatur vacare per delictum*, & num.18.

19 *Pœna privationis Beneficii gravis est, atque æquiparatur morti civili; ideoque antequam infligatur, opus est trina monitione.*

20 *Privationis pœnam non incurrit Beneficiatus, qui verbis contumeliosis affecit Patronum Beneficii.*

DISCEPTATIO XXIII.

QUamplures enumerantur modi, quibus Parochialis Ecclesia, cæteraque Beneficia Ecclesiastica vel ipso jure, vel per sententiam vacare dicuntur
1 in jure; nihilominus tres principaliores, & usu frequentiores sunt, videlicèt *per obitum* ipsius Rectoris, per *assecutionem* alterius incompatibilis Beneficii, demum per *renunciationem* illius, ut de omnibus *Nos* latè *lib.*13., ubi *de Beneficiis, Discept.*14. ibi vide.

Quoad primum, vacat Beneficium primo modo per mortem naturalem ip-
2 sius Beneficiati, ad *Textum in cap. susceptum de Rescript. in 6. Gonzalez ad Regulam* 8. *Cancell. Glossa* 15. *à num.*3. *Barbosa de Episcop. alleg.*57. *num.*199. *Garz. de Benefic. part.*11. *cap.*2. *à n.*1. *Vivian. de Jurepatronat. part.*2. *lib.*5. *n.*25. *Lotter. de Benefic. lib.*3. *qu.*10. *in principio*.

Supradicta verò non habent locum, ubicumque Beneficium Curatum esset
3 alteri unitum; nam per unionem ante mortem Rectoris secutam, ejus obitu vacare non dicitur, *Gonzalez sup. n.*7. *Garz. suprà n.*2. *Lotter. suprà qu.*10.

Sicuti pariter, ubi Beneficium fuerit de mensa Capituli, Monasterii, vel Col-
4 legii, itaut Cura habitualis videatur residere penes Capitulum, Monasterium, vel Collegium; nam licèt moriatur ille, qui Vicarius amovibilis erat deputatus pro Cura actuali, non ex hoc Cura dicitur vacare, cum semper sit vivus ille, qui Curam habitualem habet, ita *Garz. suprà num.*3. *ad* 6. *Lotter. d. quæst.*10.

Secundò vacare dicitur ipso jure Parochialis per assecutionem alterius Beneficii incompatibilis, puta alterius Pa-
5 rochialis, vel Canonicatus, in tantum quòd si Parochus illam retinere contenderit, utroque Beneficio remanebit spoliatus, ad *Text. in cap. de multa de Præbendis, Garz. de Benefic. part.*11. *cap.*5. *Cochier ad Regulam* 8. *Cancell. Glossa* 7. *post num.*13. *Gonzalez suprà n.*9. *Lotter. de re Benefic. lib.*3. *qu.*23. *Vivian. d. lib.*5. *cap.*5. *num.*36. *Murga de Benefic. quæst.*9. *num.*5., concordat *Tridentin. sess.*7. *de Reform. cap.*4. *& sess.*24. *cap.*17. *pariter de Reform. Rosa de Execut. lit. Apost. part.*1. *cap.*4. *n.*52. *Rota recent. part.*14. *decis.* 298. *n.*6. *&* 8.

Ad inducendam vacationem Parochialis per assecutionem secundi Bene-
6 ficii incompatibilis, non sufficit sola collatio, & acceptatio illius, sed requiritur adeptio pacificæ possessionis secundi: vel quod per provisum stet quominus possessionem adipiscatur, ad *Text. in cap. de multa de Præbendis in* 6. juncto *cap. licèt eodem titulo & libro. Fagn. in d. cap. de multa num.*9. *Garz. de Benefic. part.*11. *cap.*5. *num.* 84. *& seq. Ferentil. ad Buratt. decis.*19. *num.*18. *Rota recent. part.*15. *decis.*357. *num.*1. *& sequent. Rosa de Execut. lit. Apost. cap.*4. *num.*61. ubi alii *Doctores*.

Dixi: *adepta pacifica possessione*: etenim tunc per assecutionem secundi

 vacat

vacat primum etiam incompatibile,
7 quoties possessio secundi fuerit pacifica non solùm de jure, sed etiam de facto, idest absque controversia juris & facti, sive judiciali, sive extrajudiciali, ne remaneat utroque spoliatus, *Garzias*, ubi *suprà n.105. Lotter. lib.2. qu.30. num.11. Hojeda de incompatibilitate part.1. cap.13. Pax Jordan. lucubr. Canonic. lib.10. tit.28. num.8. Rota coram Amato Dunozetto decis.811.num.11. & coram Cerro in una Avellina Canonicatus 27. Martii 1651.* inter ejus impressas est *decis.359. Rosa de incompatibilitate part.1. cap.4. n.62. Card. de Luca de Benefic. disc.54. num.5. & sequentibus. Nos* latè *lib.13.*, ubi *de Benefic. Discept.* 8.

Tertio modo vacat renunciatione Parochialis, ut habetur ex *toto titulo Decretalium de Renunciat.*, per quam
8 amittitur omne jus in ea competens, videlicet proprietas, titulus, & possessio, *Parisius de Resignat. Benefic. lib.2. quæst.1. num.104. Gonzalez ad Regulam 8. Cancell. Glossa 15. num. 8. Garz. de Benefic. part.11. cap.3. Vivian. de Jurepatronat. part. 2. cap.3. num.28. Lotter. de Benefic.lib.3.quæst.14. Murga de Benefic. quæst.9. num.38. Barbosa de Episcop. alleg.55. num.200.*

Hodie verò in Curia non admittitur absolutè resignatio Parochialis, præser-
9 tim cum pensione; nam quoties resignatur Parochialis cum pensione, Dataria vult, quod exprimatur tempus, quo illam possedit resignans, seu à quo tempore illam obtinet: & si tempus est breve, supplicatio data pro ipsa resignatione rejicitur, ut docet *Parisius de Resignat. Benefic. lib.3. quæst.2. num.21.*

In ipsis resignationibus Parochialium cum reservatione pensionis solet
10 apponi Clausula: *dummodo remaneant centum libera pro Rectore*: quæ quidem scuta centum pro ipso Rectore, intelligenda erunt juxta morem cujusque Regionis, ut censuit *Sacra Congreg.Concil. in una Collen.13.Jul.1630. Nos de Pensionibus Discept.3.*

Certum enim est, congruam ipsam de-
11 beri Curato, qui portat pondus diei, & æstus, ut habetur ex *Trid. sess. 24. cap.13. de Reform.*, atque ex *Textu in cap. extirpandæ, cap. de Monachis de Præbendis*, juncto *cap.1. eodem titulo in 6.*

Centum pro Rectore, juxta dispositа per *Tridentinum suprà*, debent remanere cum effectu pro ipso Rectore, aliàs Gratia reservationis est nulla; un-
12 dè Pensionarius debet concludenter probare, centum remanere libera pro Rectore, ut docet *Lotter. de re Benefic. lib.3. quæst.38. n.40. Rota coram Gregorio XV. decis.57. num.2. coram Peutingerio in una Parisina Pensionis 2.Martii 1651.* inter ejus impressas est *Decision.427. Nos* latè *de Beneficiis, & Pensionibus lib.3. Discept.3.*

Sed Sacra Rota in materia, de qua agimus eam amplectitur distinctionem;
13 aut Pensionarius agit possessorio judicio, & sic pro manutentione in jure exigendi Pensionem: aut agit petitorio judicio pro exigenda Pensione: in primo casu onus probandi, quod non remaneant centum libera pro Rectore incumbit ipsi Rectori, videlicet ipsi Parocho, nec retardatur Pensionario solutio sub prætextu, quod dictam Clausulam non justificaverit, ut benè *Lotter. de re Benefic. lib.1. quæst.38. num.71. Ridolph. in praxi part.2. cap.9. n.132. Tondut. de Pension. cap.14. n.4. & 5. Rota recent. part.1. decis.147. num.4., & part.3. decis.275., & part.13. decis.147. Card. de Luca de Pension. disc.1. num.2.*

Quod locum habet, etiamsi possessio exigendi acquisita fuerit per unicum
14 actum, puta per unicam exactionem, nam hoc casu dicitur validè acquisitum jus, prout in cęteris juribus incorporalibus, *Lotter. lib.1. quæst.38.num.106. Rota in una Alexandrina Pensionis 19. Junii 1648. coram Celso* inter ejus impressas *decis.47.*

Eoque magis, si per longissimum tempus Pensionem exegerit; nam Rector
15 videtur acceptasse Beneficium cum onere Pensionis, *Rota recent. part.15. decis.265. num.5., & part.17. decis.41. num.17. & 245. num.2.*

Quoties verò agitur in petitorio judicio, puta quia agitur de nullitate
16 Pensionis, quia reservatio sit nulla, ex quo non remaneat congrua conciliaris ipsi

ipsi Rectori: & tunc ipsi Pensionario incumbit onus probandi per ascensum, quod remaneant centum Parocho; neque hoc casu, quasi possessio relevat ipsum Pensionarium ab onere probandi; cum ipse Parochus habeat intentionem fundatam in jure, ut ipsi remaneat congrua debita, *Garz. de Be efic. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 456. *Lotter suprà num.* 72. *Tondut. de Pension. cap.* 14. *num.* 19. *&* *cap.* 55. *n.* 15. *Ridolph. in praxi part.* 2. *cap.* 9. *num.* 118. *Rota recent. part.* 17. *decis.* 41. *num.* 7., *& part.* 18. *decis.* 680. *num.* 3., *& part.* 19. *decis.* 372. *&* 375.

De hac materia, quia latè *infrà de Beneficiis, & Pensionibus disc.* 3. *lib.* 13. ne repetam hìc, quæ dixi ibi, meritò remitto Lectorem ad dictam Disceptationem, cum vanum sit scribere, & transcribere, atque inutiliter implere folia.

Quarto modo vacat Beneficium Pachiale, licèt non ipso jure, sed per sen-
17 tentiam, ubicumque Parochus committat delictum ita grave, ob quod de jure privandus sit Beneficio, & per sententiam Judicis declarandus ipso jure privatus. Inter delicta propter quæ Beneficiatus privari porest Beneficio, ut *Nos lib.* 13., ubi *de Beneficiis*, illud est, ubicumque Parochus fuerit convictus de crimine Adulterii, vel Stupri, aut similium; nam tunc privatur per Jus ipsum, & de jure per sententiam declarandus est privatus Beneficio, *Fagnan. in cap. pervenit de Adulterio n.* 9. *Idem in cap. cum sua ab homine de Judic. num.* 63., ubi quatenus convictus fuerit de crimine Assassinii, *Lambertin. de Jurepatronat. part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 9. *tit.* 19. *n.* 2. *Raynald. observat. crimin. cap.* 32. §. 4. *num.* 269.

Quòd videtur habere locum, ac procedere, ubi de hujusmodi delictis esset
18 jam publicè diffamatus, & scandalum esset populo, quatenus populus videret eumdem Parochum in Altari ministrare, *Fagnan. in cap. nisi cum pridem n.* 73. *de Renunc. Pignatell. consult. Canonic. tom.* 3. *consf.* 19. *num.* 11. *& consf.* 38. *n.* 5. *Raynald. observat. crimin. tom.* 3. *cap.* 32. §. 4. *&* 5. *num.* 421. *&* 430.

Supradicta tamen procedunt præmissa trina monitione, quia pœna privationis, cùm sit maxima pœna, quæ de jure æquiparatur morti civili: meritò
19 infligi non valet, nisi Beneficiatus fuerit obstinatus in sua perversitate, nolens se abstinere ab illicitis concubitis, *cap. sicut ad extirpandam*, *cap. si totum Clerici de cohabitat. Cleric. & mulier. Tridentin. sess.* 25. *cap.* 15. *de Reform. Gratian. Discept.* 991. *n.* 16. *Rota recent. par.* 14. *dec.* 147. *n.* 12. *& in una Leodien. Pastoratus* 16. *Januar.* 1703. *coram bon. me. Muto, Frisingen. Parochialis* 8. *Aprilis* 1715. *coram clar. mem. Scotto*.

Non est abs re videre, an Parochus privari possit suo Beneficio Parochiali
20 de Jurepatronatus laicorum, ex quo verba contumeliosa protulerit contra Patronum, aut aliquid contumeliosum gesserit contra illum: & negativam sententiam sustinet *Sacra Congreg. Concil. in una Ratisbonen.* 27. *Decembris* 1717.

ARGUMENTUM.

Ecclesia Parochialis, ubi vacaverit; quid servandum pro nova provisione, & priùs de Vicario eidem deputando.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesiam Parochialem suo Pastore viduatam tenetur Episcopus, sive Generalis, aut Capitularis Vicarius statim habitâ notitiâ, de idoneo Vicario providere*, & num. 2. & seq.

Amplia sive per mortem, sive alio modo Ecclesia vacaverit, ut num. 9.

An autem Vicarius hujusmodi examinari debeat, num. 11.

Et qualis congrua eidem assignanda sit, num. 12.

7 *Verbum* = debeat = *importat necessitatem*.

8 *Relatio congruè facienda est*.

10 *Verba generalia generaliter intelligenda sunt*.

13 *Vicarius deputatus Parochiali vacanti nequit ab Episcopo ad ejus libitum citra causam removeri, usquequo Ecclesia de novo Pastore provideatur*.

14 *Factum ex causa, eâdem causâ durante, perseverare debet.*

15 *Quod semel probatum fuit, absque nova causa nequit reprobari.*

16 *Nova emergentia novo indigent auxilio.*

DISCEPTATIO XXIV.

HUcusque de oneribus, & juribus Parochorum in præcedentibus demonstravimus, sequitur in sequentibus, ut aliquid dicamus de modo, & forma servanda in provisione facienda de novo Parocho, ubicumque Ecclesia Parochialis viduata fuerit suo Rectore: & priùs videre est de Vicario amovibili apponendo, usquequo non fuerit facta provisio; & deindè de cęteris ad materiam ipsam.

Viduata igitur ubi fuerit Parochialis Ecclesia, statim habitâ notitiâ vacatio-
1 nis, debet Ordinarius loci illi constituere Vicarium amovibilem cum aliqua competenti congrua assignanda super fructibus, & proventibus ipsius Parochialis Ecclesiæ, qui debet esse præditus scientiâ, prudentiâ, ac bonitate
2 vitæ, ne illâ debito obsequio defraudetur, & pauperes filii in spiritualibus detrimentum patiantur; nam aliàs verificaretur illud Prophetæ: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*: ita ex *Tridentino sess.* 24. *cap.*18. *de Reform.* ibi = *Debeat Episcopus, statim habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua ejus arbitrio fructuū portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur.*

Ex supradictis oritur dubium, primò quis veniat nomine Episcopi juxtà Tri-
3 dentinum suprà? & dicimus non solum venire Episcopum, de quo expressè loquitur Tridentinum, sed etiam illius Vicarium Generalem; etenim sub nomine Episcopi virtualiter comprehenditur Vicarius Generalis, & cum eo unum Tribunal censetur in jurisdictione ordi-
4 naria; ita quod quidquid facit Vicarius, censetur idem Episcopus facere in ordine ad hoc.

Quod quidem procedere videtur
5 etiam respectu Vicarii Capitularis, cum is quoque in hoc succedat Episcopo.

Ac demum idipsum dici debet de
6 quolibet alio Ordinario inferiore, qui habet Territorium separatum, cum jure convocandi Synodum, *Barbosa de Episcop. alleg.*60. *num.*3.

Secundò quæritur, an semper requiratur constitutio Vicarii Ecclesiæ
7 Parochiali vacanti? Et licèt ratio dubitandi videatur oriri ex illis verbis *Tridentini suprà*: *Si opus fuerit*: attamen dicimus, Vicarium semper esse constituendum; quòd desumi potest, ex illo verbo *debeat*; quod importat necessitatem, *Sanchez lib.*6. *cap.*4.*n.*36. *Rota recent. part.*1. *decis.*79. *num.*1. *& decis.*276. *num.*2.

Verba enim prædicta Tridentini *si opus fuerit*, quæ videntur de se impor-
8 tare arbitrium, referuntur ad nudum modum in hac parte providendi, idest vel per Vicarium, vel per unum ex Capellanis, qui antea Ecclesiæ inserviebant, ita ex *Barbosa dicta alleg.* 60. *n.*2. & ad *Tridentinum d. cap.*18. *n.*39.

Tertiò quæritur, an in quacumque vacatione Ecclesiæ Parochialis, sive
9 illa vacet de Jure, sive de facto, sive per simplicem resignationem, sive morte naturali, aut civili, & similibus modis vacationis, dandus sit Vicarius: & affirmativè respondendum videtur; ratio est, quia in omnibus vacationibus Fideles egent spirituali pabulo, *Barbosa ad Tridentin. d. cap.*18. *num.*38. *& de Parochis cap.*2. *num.*31. etenim *Tridentinum suprà*, loquitur generaliter, videlicèt de quacumque vacatione ibi = *Habita notitia vacationis*: quæ quidem verba cum sint generaliter pro-
10 lata, meritò generaliter sunt accipienda, videlicèt de quocumque vacationis modo.

Quartò quæritur, an constituendus in Vicarium, ut suprà, debeat perne-
11 cesse examinari, ad instar illorum, qui ad concursum erunt admittendi: & negativè respondendum videtur, si jam aliàs constat Episcopo, vel alteri Ordinario, eumdem esse idoneum, & aptum ad Officium hujusmodi exercendum, *Barbosa* ad *Tridentin. d. cap.*18. *n.*40. & *Doctores* communiter.

Quin-

Quintò quæritur, qualis esse debeat congrua portio assignanda Vicario, qui
12 Curam Animarum gerere debet? & in hoc communiter nostri Doctores dicunt, hoc esse in arbitrio Episcopi, qui consideratis redditibus Beneficii, ex quibus capienda est, arbitrabitur quid illi assignandum sit. Esse autem duorum aureorum pro quolibet mense, dicit *Galletus V. Vicarius num.8. in Margarita Casuum conscientiæ, Campanil. divers. Juris Canonici rub.7. cap.6. num.116. Barbosa ad Tridentin. suprà num.42. & de Parochis cap.2. num.35.*

Sestò quæritur, an Vicarius ut suprà, semel constitutus cum congrua,
13 possit ad libitum Ordinarii Loci removeri: & negativè respondendum videtur, ubicunque non adest causa removendi illum; etenim Episcopus non retractat quod semel fecit pro execu-
14 tione Concilii: & nemo removendus est, nisi subsit causa, ex *Regula 23. de Regulis juris in 6.* & quod semel pla-
15 cuit amplius displicere non debet, ex *Regula 21. de Regulis juris in 6.*

Dixi, ubi non adest causa removendi illum; etenim, nova superveniente
16 causa, potest amoveri; nam quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio, *l. oratione ff. de feriis. Massabr. Requisit.1. dub.26. Barbosa ad Tridentin. d. cap.18. num.44. & de Episcop. alleg.60. num.2.*

ARGUMENTUM.

De Edicto apponendo pro concursu ad Parochialem vacantem habendo, ubi de nonnullis ad materiam ipsam Edicti.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesia Parochialis, ubi vacaverit, opus habet Episcopus concursum indicere per publicum Edictum*, & num.2. & 10.

Et quatenus collatio spectet ad S. Sedem, tenetur Episcopus idoneos repertos in concursu renunciare Datariæ, num.4.

2 *Ordinarius tenetur conferre Beneficium vacans intra semestre, aliàs collatio devolvitur ad Superiorem*, & num.3.

5 *Edictum pro concursu ad Parochiam affigi facere potest etiam Prælatus inferior habens Territorium separatum cum facultate convocandi Synodum*, & num.6.

Facultas hujusmodi porrigitur etiam ad Abbatem Commendatarium, n.7.

Nequaquam verò extenditur ad Prælatos inferiores carentes jurisdictione quasi Episcopali, ac potestate convocandi Synodum, etiamsi habeant jus conferendi, num.8.

9 *Examen in concursu ad Parochiam faciendum est in loco Beneficii, licèt collatio pertineat ad Ordinarium alterius Diœcesis.*

10 *Edictum concursus continere debet terminum decem dierum, qui ad aliud solum decennium prorogari potest*, & num.13.

Neque admittitur ulterior prorogatio, esto quod unicus compareat Clericus, num.14.

In casu autem ulterioris prorogationis, num concursus nullus remaneat cum omnibus inde secutis, num.17. & seq. & num.21.

13 *Prorogatio dicitur, quæ fit intra terminum.*

15 *Terminus dierum decem præstituendus in concursu, ad Parochiam indicto, an possit abbreviari*, & n.16.

18 *Formâ vitiatâ, actus quoque vitiatur.*

19 *Decretum irritans inficit actum in contrarium gestum.*

20 *Effectus validus supponit suæ causæ validitatem.*

22 *Ad concursum num possit quis admitti, elapso termino in Edicto præfinito*, & num.23. cum seq.

23 *Tempus non currit legitimè impedito.*

24 *Nullum redditur quidquid fit extra terminum.*

25 *Novum Edictum quando liceat Episcopo apponi facere, ad effectum providendi Parochialem vacantem.*

26 *Edictum pro concursu ubinam affigi oporteat.*

DI-

DISCEPTATIO XXV.

POstquam consultum fuerit bono regimini Ecclesiæ Parochialis, & filianorum illius, per appositionem Vicarii; debet ipse Episcopus Loci Ordinarius consulere illi de bono, & optimo Rectore; undè attenta dispositione
1 Sacrorum Canonum, & Tridentini Decreti *sess.* 24. *cap.*18. *de Reform.* devenire debet ad concursum infra quatuor, vel sex menses, quem concursum precedere debet publicum Edictum, locis solitis affigendum, quo invitandi erunt omnes hi, qui accedere voluerint, & ne causam ignorantiæ allegare valeant, juxta *Tridentin. d. cap.*18. *ac per Constitutionem S. Pii V. In conferendis*: *Card. de Luca de Parochis disc.*37.

Dixi: *infra quatuor, vel sex menses*: etenim ubi collatio Beneficii spe-
2 ctat ad ipsum Episcopum, illud conferre tenetur infra sex menses, aliàs collatio devolvitur ad Papam, ut ex *d. Constitutione Piana* §. *insuper*, & plures *Sacra Rota*.

Quod procedit etiamsi Ordinarius detentus fuerit legitimo impedimen-
3 to, puta quia vocatus fuit ad Synodum Provincialem, nam ad illius collationem devenire potest per suum Vicarium Generalem: *Sacra Congreg. Concil. in una Gerunden.* 7. *Julii* 1685.

Ubi verò Parochiale Beneficium fuerit affectum, vel reservatum S. Sedi;
4 tunc Episcopus convocare debet concursum infra menses quatuor, & literas testimoniales favore prelecti transmittere ad Dominum Datarium Papæ, ut ex *dicta Piana Constitutione* §. *insuper*.

Ad quem spectet publicare, & facere Edictum de quo suprà, videre est: & nulli dubium est, competere hoc Episcopo Loci Ordinario, ut benè ex *Tridentin. dicto cap.*18. ibi = *Porrò Episcopus &c.*

Prelati quoque inferiores pariter hoc facere possunt, quoties illi habent ju-
5 risdictionem quasi Episcopalem cum Territorio separato, ac jus convocandi Synodum; nam in tantum id facere potest Episcopus, in quantum habet jurisdictionem super Clerum, & Populum sibi commissum.

Undè posito quod Prælatus inferior habeat jurisdictionem ordinariam in
6 Clerum, & Populum, cum Territorio separato, ac jus convocandi Synodum, sicuti providere potest de novo Rectore, ita ad eundem pertinet jus apponendi Edictum, & convocandi concursum, ac concursum ipsum exhibendi; nam Edictum, concursus, & provisio dicuntur correlativa inter se.

Ita dicendum videtur de Abbate Commendatario, qui potest apponere
7 Edictum, & facere concursum, quotiescunque ipse habet jus celebrandi Synodum, & eligendi in eo Examinatores Synodales, *Garz. de Benefic. parte* 9. *cap.*2. *num.*136. *Barbosa de Parochis cap.*2. *num.*37. *Riccius resol.*331. infra.

Ceteri autem inferiores non habentes jurisdictionem quasi Episcopalem,
8 ac jus convocandi Synodum, etiamsi habeant jus conferendi Beneficia, non valent Edictum apponere de quo suprà, neque concursum ad illud facere: ita *Riccius in praxi dec.*424. *alias resol.*361. Undè *Sacra Congreg. Concil. sub die* 2. *Decembris* 1638. censuit, Episcopum Forosempronien. uti viciniorem, manutenendum esse in sua quasi possessione concursus instituendi in vacationibus Ecclesiarum Parochialium *della Ravignana*, & juris præeligendi magis idoneum ex approbatis in eisdem concursibus, donec Abbas Classen. legitimè probaverit habere jus convocandi Synodum, aliàsque coegisse, & in ea Examinatores ad præscriptum *Sacri Concilii Tridentini sess.*24. *cap.*18. *de Reform.* deputasse.

Edictum, de quo suprà, apponi debet ab Ordinario Loci, ubi existit Be-
9 neficium, & ibidem examen est peragendum; etiamsi Beneficium ab Ordinario alterius Diœcesis sit conferendum, *Paris. de Resignat. Benefic. lib.*8. *cap.*9. *num.*102. *Gonzalez ad Regulam octavam Cancell. Glossa* 10. *n.*31. *Barbosa de Episcop. alleg.*60. *num.*44.
10 In quo Edicto apponenda est dies propositi concursus, *Rota coram Seraphin.*

*phino decis.*1148.*Massob. reg.*2.*dub.*10.

Edictum, de quo suprà, terminum dierum decem continere debet, qui
11 per alios decem dies prorogari potest, & non ultra, ut colligitur ex Piana Constitutione suprà, quæ incipit: *In conferendis sub* §.6. ibi = *Prohibentes etiam eisdem Ordinariis, ne tempus decem dierum, eisdem Ordinariis, ac Patronis, ab eodem Concilio Tridentino ad nominandum idoneos Clericos coram deputatis examinatoribus, ultra alios decem dies prorogare audeant, vel præsumant.*

Hoc autem statutum videtur ab ipso Summo Pontifice; nam *Tridentinum d.*
12 *cap.*18. præfixerat terminum dierum decem, vel aliud tempus indeterminatum. Clarè ergo patet, hodiè, attenta dicta Piana Constitutione, Edictum de quo suprà, non posse excedere terminum dierum viginti cum prorogatione; ita ut in totum sit dierum viginti, *Antonell. de Regim. Eccles. lib.*3. *cap.*5. *num.*8. *Garz. de Benefic. part.*9. *cap.*2. *n.*51. *Barbosa de Parochis cap.*2. *n.*40. *& de Episcop. alleg.*60. *num.*45. *Card. de Luca de Parochis disc.*37. *num.*6. *& Doctores passim.*

Ipsa quoque prorogatio facienda erit, antequam labatur terminus di-
13 ctus dierum decem, juxta dispoſita per *Tridentin. d. cap.*18. nam prorogatio dicitur concedi durante primo termino, ad *Text. in l. sed & si manente ff. de precario*, *Rota recent. part.*12. *decis.*357. *n.*1. ubi *Doctores.*

Quod Edictum ultra viginti dies non possit prorogari, etiamsi unicus solus
14 compareat Clericus ad examen, habetur ex *Barbosa ad Trident. d. cap.*18. *num.*68. *&* 76. *& de Episcop. alleg.*60. *num.*50. *Antonell. suprà num.*13. *Ugolin. de potest. Episc. cap.*50. §.10. *n.*4.

Terminus dierum decem, ut suprà datum à Tridentino, & Piana Consti-
15 tutione, an possit abbreviari ab Episcopo; & nonnulli sequuti sunt partem affirmativam, ea ratione, quia sicuti potest prorogari de decennio in decennium, ita quoque abbreviari, *Castropal. part.*2. §.1. *n.*6. *Maronus resp.*97. *num.*15.

Contrarium verius est; etenim quamvis prorogari possit, non potest
16 tamen abbreviari, ita ut sit minus dierum decem, *Sacra Congreg. Concil. in una Chariensi* 28. *Julii* 1662. *Pignatell. consult. Canonic. tom.*6. *cons.*3. *n.*9.

An Edictum sit vitiosum, & nullum, & concursus inde sequens an sit nullus,
17 quotiescumque Edictum prorogatum fuerit ultra viginti dies, videre est? Circa præsens dubium variæ sunt Doctorum sententiæ: etenim nonnulli putant, concursum inde sequentem esse nullum, ex quo ille dependet, & sequitur ab actu nullo, videlicet quia caret debita forma, quæ constituitur ex diebus decem, & cum prorogatione ad viginti; certum enim est in jure,
18 quod res sine sua forma existere non possit, cum ab ea recipiat esse. Edictum verò dierum decem, vel ad summum viginti, formam continet substantialem; ideoque forma ipsa servanda est; nam aliter actus inde sequens est nullus, ut colligitur ex *Tridentin. d. cap.*18. ibi = *Aliâs provisiones omnes, seu institutiones, præter supradictam formam factæ subreptitiæ esse censeantur.*

Et ita ex *Piana Constitutione suprà*,
19 in qua tempus Edicti prohibetur differri ultra dies viginti, ubi in fine apponitur Decretum irritans, his verbis: *Si secus in præmissis omnibus, & singulis, actum, aut attentatum fuerit, irritum decernimus.*

Undè sicuti effectus validus arguit causam à qua dependet fuisse validam; ita è contra effectus nullus arguit, causam fuisse nullam: sed provisio, & institutio facta secundum formam Tridentini, seu Pianæ Constitutionis, re-
20 spectu edicti, uti valida, arguit formam edicti esse justam, & validam, ergo facta institutio seu provisio contra formam prædictam, arguit nullitatem formæ non servatæ in numero vicenarium excedente, *Garzias de Benefic. part.*9. *cap.*2. *num.*49. *Barbosa de Episcop. alleg.*60. *num.*45. *Lotter. de Benefic. lib.*2. *quæst.*31. *num.*41. *Rota coram Seraphino decis.*1148. *num.*4. *Sperellus decis.*161. *num.*13.

Quidquid contrarium teneat *Castro-*
21 *palaus part.*2. §.1. *n.*9. *vers. cæterum.*

Tran-

Transacto dicto termino die rum decem, vel viginti, qui dati videntur à Juribus, ut suprà, ut quis adscribi possit ad concursum habendum, an possit aliquis re integra, puta non dum habito concursu, admitti ad concursum ipsum,
22 non obstante, quod non comparuerit, intra dictum tempus: affirmativè respondendum videtur, dummodo tamen probet, se fuisse legitimè impeditum comparere intra tempus currentis Edi-
23 cti, juxta commune axioma, quod tempus non currit legitimè impedito, ad *Text. in cap. quam sit, cap. commissa de Elect. in 6. cap. licet de supplend. negl. cap. quia diversitatem de concess. Præbendæ*, ubi *Doctores*.

Et in terminis, de quibus agimus, *Marescott. var. resol. lib. 1. cap. 52. n. 59. Gonzalez ad Regul. 8. Cancell. Glossa 9. §. 1. num. 115. Garz. de Benefic. part. 9. cap. 2. num. 109. Massobr. in sua praxi requisit. 3. dub. 2. Barbosa de Episcop. alleg. 60. num. 46. Rota in una Firmano Parochialis 6. Martii 1592. coram Pamphilio seniore, Lambertin. de Jurepatronat. part. 2. lib. 6. quæst. princ. art. 26. num. 2. Barbosa de Parochis cap. 2. n. 44.* ex quibus habetur, quòd legitimè impeditus comparens post terminum appositum in Edicto, valeat admitti ad concursum re integra.

Dixi ubi non potuerit comparere, intra terminum, de quo suprà, ex quo le-
24 gitimè fuerat impeditus; nam aliter si legitimo impedimento non fuerit detentus, & extra dictum terminum compareat, non est admittendus ad concursum, etiam re integra, *Sacra Congreg. Concil. 7. Julii 1625.* de qua *Barbosa suprà d. cap. 2. num. 45.*

Edictum novum an possit apponere Episcopus, videre est? Et dicimus, hoc agere posse, quotiescumque hi, qui de-
25 scripti fuerunt, noluerunt comparere, vel noluerunt se subjicere examini, vel quatenus se subjecerunt examini, omnes reprobati fuerunt: iis casibus, quia Episcopus devenire debet ad novum concursum, meritò debet apponere novum Edictum; & si nullus compareat, potest tunc Parochia sine concursu conferri, *Garz. de Benefic. d. cap. 2. n. 218. Massob. d. requisit. 3. dub. 9. Barb. de Paroch. d. cap. 2. num. 51.*, & *ad Concilium d. cap. 18. sess. 24. num. 70.*

Demum breviter scias, Edictum, de quo suprà, esse affigendum ad valvas Cathedralis, necnon Ecclesiæ vacantis,
26 in quibus locis debet permanere per integrum decennium, quantum est ex parte officialium Episcopi; nam si ab alio laceretur, nihil officit pro validitate actus, *Garz. suprà num. 42. Barbosa d. alleg. 60. num. 45.* & *ad Tridentin. suprà num. 55.*

ARGUMENTUM.

Quinam describi possint vel nè, ac admitti ad concursum Parochialis Ecclesiæ vacantis.

SUMMARIUM.

1 *Quicunque idoneus velit ad Parochialem vacantem concurrere, debet curare, ut describatur in actis Curiæ Episcopalis intra terminum præfixum,* & quare num. 2.

3 *Nil Ecclesiæ magis perniciosum est quàm quod indigni Curæ Animarum præficiantur.*

4 *Pro concursu ad Parochiam quinam describendi sint, & quinam repellendi,* usque ad num. 25.

5 *Illegitimi excluduntur ab assecutione Beneficiorum, nisi legitimati fuerint, vel cum eis legitimè dispensatum extiterit,* & num. 6.

8 *Ad Parochialem assumendus non est suspectus de crimine, vel diffamatus,* & num. 11.

9 *Infamibus preclusus est aditus ad honores, ac dignitates.*

10 *Beneficium Ecclesiasticum nulliter confertur in criminosum.*

11 *Gratia in forma dignum dicitur conditionalis.*

12 *Diffamatus, usquequo ab imputato crimine sese purgaverit, nequaquam admittendus est ad Beneficium, maxime Curatum, & affertur ratio,* num. 13.

15 *Promovendus ad Parochialem Ecclesiam constitutus esse debet in ætate vigintiquinque annorum.*

Et

Etiamsi Beneficio inhæreat sola Cura jurisdictionalis, num.16.

19 *In concursu ad Parochiam debitum certo generi personarum non est describendus, qui requisitis qualitatibus destituitur*, & n.21. cum seq.

20 *Collatio Beneficii facta non qualificato subreptitia est*.

23 *Reprobatus in uno concursu an possit infra annum in altero concursu sese describi facere*.

24 *Nemo præsumitur doctus, nec talis repentè efficitur, quia doctrina est habitus superaccedens, multo labore quærendus*.

25 *Ad Beneficium minimè admittendus est, qui eo animo ad illud aspirat, ut instar mercimonii alteri statim resignet*.

26 *Obtinens unam Parochiam non impeditur, quia possit ad alteram concurrere*.

27 *Vicarius deputatus Parochiali vacanti potest ipse quoque ad eandem Parochialem concurrere*.

28 *Vicarius Episcopi quatenus ad Parochialem concurrere intendat, sese describi facere, atque examini subjicere tenetur*.

29 *Episcopus nequit limitare numerum concurrentium ad Parochiam*.

DISCEPTATIO XXVI.

IN præcedenti Disceptatione per nos actum fuit de Edicto apponendo, data vacatione Ecclesiæ Parochialis, ad hoc, ut ubi Beneficium Parochiale fuerit de Jurepatronatus, patroni nominent infra debitum terminum unum, vel plures Clericos idoneos, & ubi fuerit liberę collationis, omnes qui concurrere voluerint, describi possint, & valeant infra terminum edictale. Hic videre est quinam adscribi possint, & valeant ad concursum ipsum habendum, & quinam veniant excludendi à concursu cum aliis.

Quicunque igitur desiderat concurrere ad Beneficium vacantis Ecclesiæ,
1 quæ per concursum defertur, debet in primis esse idoneus, & descriptus in actis Curiæ Episcopalis intra decennium, vel ad plus intra vicennium à die publicationis Edicti, juxta dicta in præcedenti Disceptatione, ad hoc ut si aliquo impedimento legitimo detentus fuerit, non admittatur ad concursum, & examen, sed rejiciatur uti in-
2 dignus, & non idoneus; undè quinam sit idoneus, & quibus qualitatibus prçditus esse debeat hic demonstrabimus: Quoniam nihil est, quod Ecclesiæ Dei magis officiat, quàm quod indigni as-
3 sumantur ad regimen Animarum, ut colligitur ex *Text. in cap. nihil de Elect.* cum quo concordat *Text. in cap. cui, & cap. grave de Præbendis in 6.* His positis,

Ille non est describendus pro concursu ad Parochiam, qui ex legitimo ma-
4 trimonio natus non est; etenim sicuti illegitimi excluduntur ab Ordinibus, ita pariter à Beneficiis, seu Officiis Ecclesiasticis, ad *Textum in cap. innotuit, cap. cum in cunctis de Elect. cap. 1. & 2. de filiis præsbyterorum, Garz. de Benefic. part. 7. cap. 2. num. 1. & sequent. Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæst. 48. n. 7. Murga de Benefic. quæst. 3. n. 552. Rota recent. part. 16. decis. 43. & 73. num. 11. Pax Jordan. lucubr. Canonic. lib. 10. tit. 18.*

Nisi fuerit legitimatus per subsequens matrimonium, *Pax Jordan. suprà*
5 *num. 36. Lotter. suprà num. 78. ad 97. Murga suprà num. 573.*

Vel fuerit legitimatus à Papa, vel
6 ab alio potestatem habente ab ipso, *Garzias suprà n. 46. Lotter. suprà n. 104.*

Vel ubi obtinuerit dispensationem à Papa, *Lotter. suprà num. 146. Barbosa de Episcop. alleg. 45. num. 19.* Nos latè *lib. 13. de Beneficiis Discept. 4.*

Pariter ille, qui non est bonæ, & laudabilis vitæ, ad *Textum in cap. grave*
7 *nimis de Præbendis, Clem. 1. de ætate, & qualitate*, ubi *Doctores, Tridentin. sess. 24. cap. 18. de Reform.* Facit illud *D. Gregorii lib. 4. moral. cap. 30.* illis verbis = *Non debet hominum ducatum suscipere, qui nescit homines bene vivendo præire.*

Promovendorum igitur vita ad Ecclesias Parochiales debet esse talis, ut
8 nulla mala suspicio delicti haberi possit, ad *Text. in cap. Laici 33. dist.*

Nec ullâ infamiâ debent esse aspersi,

cap. fin. de Furtis; nam infamibus por-
9 tæ dignitatum patere non debent, *cap.*
inter dilectos de excess. Prælat. l. unica
10 *C. de infamibus lib.* 10. *l.* 2. *C. de digni-*
tatibus.

Ac proinde collatio Beneficii facta
criminoso est nulla, *Garz. de Benefic.*
part. 7. *cap.* 8. *Murga quæst.* 3. *n.* 744.

Eoque magis, ubi concurrens ad Pa-
rochiale Beneficium diffamatus fuerit
11 crimine venereo, qui non solum non
erit admittendus, sed rejiciendus à con-
cursu; licèt provisus fuerit à S. Sede
in forma *dignum*, quia, uti indignus
rejiciendus erit, non obstante gratiâ Pa-
pæ; nam illa conditionalis existit, vi-
delicet quatenus provisus fuerit dignus,
ut bene respondit *Sacra Congreg. Con-*
cil. in una Forolivien. 19. *Julii*, *&* 20.
Septemb. 1692. *& in altera Mediolanen.*
seu Alexandrina 28. *Novembris* 1693.

Dixi: *De cujus vita nulla mala suspi-*
cio haberi possit: Hinc fit, quòd ille,
qui fuit accusatus de aliquo crimine,
quod de se irroget malum odorem, pen-
dente judicio, non est admittendus ad
12 concursum cum cæteris, pro obtinen-
do illo Beneficio, quod obtinere cupit,
nisi purgatâ maculâ oppositi delicti, ad
Text. in cap. Omnipotens de accusat.,
ubi *Fagnan. per totum*, *l. reus ff. de mu-*
neribus, *l. reum criminis C. de procurat.*
l. unica C. de reis postul. lib. 10. *Garz.*
suprà num. 6.

Ratio supradictorum est, nam sola
diffamatio delicti, ubi illud grave fue-
13 rit, scandalum populo præbere vide-
tur; proinde non videtur admittendus
ad Beneficia Ecclesiastica, præsertim
Parochialia, qui de crimine gravi est
diffamatus, ad *Text. in cap. penult. &*
fin. de Purgat. Canonica, *Lotter. lib.* 2.
quæst. 31. *n.* 146. *Card. de Luca de Be-*
nefic. disc. 70. *num.* 3. *& disc.* 71. *n.* 9.,
& de Parochis disc. 37. *n.* 28.

Undè excommunicati, suspensi, in-
terdicti, irregulares, concubinarii,
14 Aleatores, simoniaci, infames, & si-
miles, de quibus *Nos lib.* 13. *ubi de Be-*
neficiis discept. 4. ad concursum non
erunt admittendi, cum de eis adsit dif-
famatio malæ vitæ, vel quia exercere
non possent munus injunctum ratione
Curæ, uti de Irregularibus, vel quia
non possent communicare cum fideli-
bus, uti de excommunicatis, & inter-
dictis, *Nos* latè *de Benefic. Disc.* 4.

Non habentes legitimam ætatem non
erunt adscribendi, neque ad concursum
15 admittendi. Etenim assumendus ad Pa-
rochiale Beneficium debet habere æta-
tem annorum vigintiquinque, saltem
inceptorum, ad *Text. in cap. cum in*
cunctis de Elect., *Lotter. de re Benefic.*
lib. 2. *quæst.* 49. *num.* 23. *&* 24. *Card. de*
Luca de Benefic. disc. 95. *per totum.*

Quod locum habet, sive habeat Cu-
16 ram fori conscientiæ, sive habeat Cu-
ram jurisdictionalem, ad *Text. in cap.*
dudum §. licèt autem, ubi *Abbas*, *& alii*
Doctores de Electione.

Illiterati quoque non erunt admit-
tendi ad concursum, cùm munus Paro-
chorum sit alios docere verbo Dei, præ-
dicatione; & aliis sua doctrinâ prodesse,
quod præstare non potest ignarus: licet
verius est posse eos admitti; & quatenus
ignari fuerint erunt reprobandi: & ita
de praxi servatur. Possunt verò rejici
à concursu cum aliis, quoties verè con-
17 stat de illorum ignorantia, quia nota
est omnibus; attamen acrior, & com-
munior sententia Doctorum est, omnes
18 esse admittendos, ut certò sciant Exa-
minatores, an illi verè tales sint, & ubi
tales fuerint, eos uti insufficientes re-
probare debent, ut *Nos* latius *d. lib.* 13.
Discept. 4.

Ille pariter non est admittendus ad
concursum Parochialis Beneficii, qui
19 non est de genere vocatorum (posito
quod lege, statuto, aut consuetudine
sint vocati aliqui tantùm de certo gene-
re, aut de propria patria, & similiter).
Ubicumque igitur ex lege Fundatoris,
aut statuto, consuetudine, vel privile-
gio, ad Beneficium Parochiale admitti
debeant illi dumtaxat, qui sunt Origi-
narii loci, hoc casu illi soli erunt ad-
mittendi, & non alii. Ac proinde, si
20 per Papam alteri collatum fuerit, col-
latio non est sustinenda; etenim si Papa
scivisset, Beneficium Originariis esse
conferendum, forsan non contulisset
illud petenti, qui non est Originarius,
Rota in recent. part. 15. *decis.* 28. *num.* 2.
& 3. Eo magis, ubi ita est antiqua
observantia, *Rota d. decis.* 28. *num.* 8.

Sicu-

Sicuti ubi illud erit conferendum certo generi personarum, illis tantùm 21 conferendum erit, & non aliis, dummodo tamen habeant requisita Statuti, vel alterius Legis ita jubentis, ideoque aliàs concurrens ad illud obtinendum qui qualificatus non existat, reijciendus erit à concursu? *Garz. de Benefic. part.7. cap.15. Gonzalez ad Regulam octavam Cancell. Glossa 9. §.1. n.62. Vivian. de Jurepatronat. lib.1. cap.1. num.103. & sequent. Rota recent. part.15. decis.37. num.1. & duobus sequentibus, Sacra Congregat. Episcop. & Regul. in una Andrien. 28. Februarii* 1697.

Habentibus igitur qualitates requisitas à Statuto, consuetudine, vel lege 22 fundationis, & non alteri, qui illis caret, sunt conferenda Beneficia, *Rota part.17. recent. decis.235. num.2.*

Reprobatus in uno concursu non potest se facere scribi in alio diverso à primo contingente infra annum: ea ratio- 23 ne, quia habilitas scientiæ non est habitus innatus; ideòque per modicum tempus acquisivisse non præsumitur, sed tractu temporis multo labore acquiritur, ex allegatis à *Sac. Rota recent. part.10. decis.23. num.8. & decis.348. num.17. & coram Merlino decis.159. num.10.*

Nemo enim repente fit doctus, & bonus: imò nullus præsumitur doctus, 24 & sciens, dum omnes natura inscios creat, ad *Text. in cap. præsumitur de Regul. juris in 6. l. veriùs ff. de probat.*

Pariter quis non venit admittendus ad concursum, quoties constet de illius voluntate resignandi Beneficium, ad 25 quod vult concurrere, quatenus illud obtinuerit; nam talis concursus esset potius mercatura, quàm verè servire Ecclesiæ, ad *Textum in cap. commissa §.cæterum de Elect. in 6. Ugolin. de offic. Episcop. part.2. cap.50. §.6. num.5.* ubi alii concordantes, *Tondut. resol. Canonic. cap.59. num.9.*

Actu Curatus an admitti possit ad concursum, videre est: & affirmativè 26 respondendum videtur; etenim patet, illum esse idoneum; ac proinde nullo jure repellitur, neque enim Beneficium obtentum reddit illum inhabilem ad aliud obtinendum, bonum namque bono non adversatur, *Castropalaus disp.4. part.1. §.2. num.3., Moronus resp.97. n.19. Barbosa ad Trid. sess.24. cap.18. de Refor. n.60. & de Parochis c.2. n.48.*

Ulterius videre est, an Vicarius deputatus pro gubernio Curæ vacantis 27 admitti possit ad illius concursum cum cæteris Clericis, & affirmativè respondendum videtur, cum ille reputetur idoneus ad Curam, simul ac fuerit deputatus ad illius regimen; imò *Trid. d. cap.18.* id supponit claris his verbis: *Ulterius quem Ecclesiæ vacanti antea Episcopus arbitrio suo ad tempus deputavit, vel forsan postea deputabit, ab ejus Ecclesiæ custodia, & administratione non amoveatur, donec aut eidem, aut alteri qui probatus, & electus fuerit, ut supra, sit provisum*, & ita docet *Castropal. disp.3. part.2. §.1. num.5. Moronus suprà num.6.*

Vicarius Episcopi, quatenus voluerit admitti ad concursum, debet describi, & vocari ad examen, sicut alii; ete- 28 nim dispositio *d. cap.18.* uti generalissima comprehendit omnes concurrere volentes: ita *Sbrozius de Vicario lib.2. qu.188. Barb. de Paroch. d. cap.2. n.136.*

Hinc non videtur posse Episcopus limitare numerum describendorum ad 29 concursum, cùm id omnibus liberum sit, juxta disposita per *Trident. d. cap.18.* his verbis: *Liberum sit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre. Barbos. de Parochis d. cap.2. n.47. & alleg.60. n.51. Riccius part.4. decis.31.*

ARGUMENTUM.

Concursus ad Beneficium Parochiale quid sit. Quinam præsidere debeant concursui, ac examini concurrentium habendo, ut actus dicatur validus, ad normam Tridentin. sess.24. cap.18. de Reform. Quid de Examinatoribus, ac de examine habendo ad Parochialem.

SUMMARIUM.

1 *Concursus ad Beneficia Curata definitur.*

2 *Parochialis Ecclesia nulliter confertur, non servata forma concursus.*

3 *Parochialis Ecclesia quando absque concursu ritè provideatur, remissivè.*

4 *Concursui ad Parochialem quinam debeat præsidere*, & n.6. cum seq.

5 *Concursus ad Beneficia admittendus est, emenso jam tempore, in Edicto præfinito, aliàs nulla erit Collatio cum omnibus inde secutis.*

7 *Capitulum succedit Episcopo in his omnibus, quæ respiciunt jurisdictionem Ordinariam, in Capituli verò locum subrogatur Vicarius Capitularis*, & num.8.

9 *Concursui præesse, atque examinare concurrentes uterque valet, Episcopus, ejusdemque Generalis Vicarius.*

10 *Vicarius Generalis constituere dicitur cum Episcopo unum Consistorium, idemque Tribunal.*

11 *Dictio*: sive: *interjecta duabus personis diversis, concursum utriusque quandoque minimè excludit.*

12 *Examen ad Beneficia Curata explere debet Episcopus cum tribus saltem Examinatoribus Synodalibus*, & n.38.

Quatenus Episcopus in Synodo quinque Examinatores deputasset non verò sex, ut præscribit Concilium, num validum sit examen coram tribus ex his quinque Examinatoribus peractum, num.17. & seq.

Quale autem votum habeat Episcopus, sive ipsius Vicarius, ubi interveniant ad examen, num.40. & seq.

13 *Examen ad Parochias expeditum per Examinatores non Synodales, irritum est.*

Amplia, etiamsi examen hujusmodi factum fuerit ab unico Examinatore non Synodali cum aliis Synodalibus, num.14.

Declara, ut num.15.

Validum tamen est, quoties confectum fuerit per Examinatores subrogatos in locum Synodalium Defunctorum, num.19.

16 *Examen ad Parochiam fieri debet per Examinatores suæ propriæ Diœcesis, quamvis hæc reperiatur alteri æque principaliter unita.*

17 *Episcopus in Synodo sex Examinatores seligere tenetur.*

Quorum aliquibus, vel etiam ipsis omnibus infra annum decedentibus, Episcopus de consensu Capituli alios sufficere tenetur, num.19.

20 *Examinatorum Synodalium munus est annale, anno enim transacto, exspirat.*

21 *Examinatores Synodales Episcopum, quotiescunque ab eo fuerint accersiti, adire tenentur ratione proprii muneris.*

22 *Examinatores, priusquam examen ineant, tenentur præstare juramentum fidelitatis*, & n.23. cum seq.

26 *Examinatores munus, vel aliud accipere prohibentur pro examine ad Curata Beneficia.*

Aliàs uti simoniaci puniuntur, num.27.

28 *Forma examinis Concurrentium ad Parochias, atque ea, quæ attendenda sunt in eodem examine, expenduntur*, & num.29. cum seq. & n.43.

30 *Judicium turbari consuevit per humanos affectus.*

31 *Cura Animarum ars artium dicitur, pro qua rectè gerenda opus est scientiâ, atque prudentia.*

32 *Ad regimen aptior quandoque est minus doctus, vel minus sanctus, qui tamen prudentior sit*, & num.33. cum seq.

35 *Parochia ei conferenda est, qui in termino præfixo examinatus, atque approbatus extitit, neque amplius audiuntur alii, qui ex postea comparuerunt.*

36 *Jura favent diligentibus.*

37 *Negligentia unius non debet alteri nocere.*

39 *In claris non est opus disputationibus.*

42 *Votorum paritas in Examinatis ad Parochias qualiter verificetur.*

DISCEPTATIO XXVII.

PRæmissis supra, quæ ad concursum, & examen concurrentium præcedere debent, sequitur hic, ut de ipso concursu, & examine concurrentium habendo ad Parochialem vacantem, verba faciamus: & quoad primum, quid sit
1 concursus. Concursus igitur est convocatio Clericorum descriptorum in actis judi-

judicialiter facta, super eorum vita, natalibus, & moribus, in ordine ad eorum examen coram Episcopo, seu ejus Vicario generali faciendum per Examinatores Synodales ad minus tres, ad effectum providendi Ecclesiæ vacanti de Rectore; quæ definitio colligitur ex verbis *Trident. sess. 24. cap. 18. de Reformat.*

Parochialis enim Ecclesia sine concursu conferri non valet; nam aliter
2 collata, non servata dispositione Tridentini de quo suprà, collatio ipsa nulla erit, & jus conferendi illam devolvitur ad Papam, ut benè *Sacra Rota recent. part. 18. decis. 32. & 204.*

In quampluribus verò non requiri-
3 tur formalis concursus, ut *Nos* infra *demonstrabimus Discept. 31.* ibi vide.

Quoad secundum: quinam præsidere debeant concursui, & examini concurrentium habendo; & nulli dubium est, Episcopum, sive ejus Vicarium generalem, eo impedito, teneri interesse
4 concursui, qui una simul cum Examinatoribus Synodalibus non minus quam tribus examinare debent omnes, qui adscripti fuere, ut habetur ex *Tridentin. d. cap. 18.* ibi = *Transacto constituto tempore, omnes qui descripti fuerint examinentur ab Episcopo, sive eo impedito, ab ejus Vicario generali, atque ab aliis Examinatoribus non paucioribus quàm tribus*, *Card. de Luca de Parochis disc. 37. num. 10.*

Concursus verò de quo supra erit habendus transacto constituto tempore,
5 videlicet postquam fuerit transactum decennium, vel vicennium juxta Conciliare Decretum, de quo suprà, vel Pianam Constitutionem, ut in præcedentibus; nam aliàs concursus, & omnia inde sequuta nulla erunt, ut ex dictis juribus, *Sacra Congreg. Concil. in una Chariensi 28. Julii 1662. Pignatell. consult. Canonic. tom. 6. cons. 3. num. 5.*

Nomine Episcopi, de quo supra, venit quicumque Abbas, seu Prælatus in-
6 ferior habens jurisdictionem quasi Episcopalem cum territorio separato, cum facultate convocandi Synodum. Etenim, sicuti in præcedentibus demonstravimus, cùm isti habeant jus proponendi Edictum ad Ecclesiam vacantem, ita interessendi unà cum Examinatoribus ab eis deputatis in Synodo, in concursu, & examine habendo.

Venit etiam Capitulum Sede vacante; nam Capitulum succedit in omni-
7 bus iis, quæ sunt de potestate ordinaria Episcopi, ex allegatis à *Quaranta in Summ. Bullar. V. Capitulum Sede vacante*, *Diana part. 8. tract. 4. res. 1.*

Proinde sicuti potestas proponendi Edictum, & examinandi concurrentes,
8 competit Episcopo jure ordinario, eo mortuo competere videtur Capitulo, exercenda per Vicarium Capitularem, *Garz. de Benefic. part. 9. cap. 2. num. 7. Barbosa de Parochis cap. 2. num. 70.*

Non est abs re videre, an Episcopus, & Vicarius Generalis simul præsidere possint in examine, & examinare? Et
9 affirmativè respondendum videtur, ea ratione, quia ambo sunt Judices ordinarii ratione unius Auditorii, & idem
10 est tribunal Episcopi, ac tribunal Vicarii Generalis, ut colligitur ex *Textu in cap. 2. de Consuet. in 6.* ibi = *Cum sit idem Auditorium utriusque*: concordat *Text. in cap. Romana de appellat. in 6.* illis verbis = *Unum, & idem Consistorium, sive Auditorium sit censendum.*

Neque obstare videntur verba *Trident. sup. d. cap. 18.* ibi = *Ab Episcopo,*
11 *sive ejus Vicario*; nam dictio illa *sive*, licèt sit disjunctiva ex se; attamen non tollit hanc simultatem, sed solum indicat sufficere præsidentiam alterius ex his duobus, *Nicol. part. 2. lib. 7. tit. 5. de Præbendis num. 14.*

Positis his de persona Episcopi, aut ejus Vicarii Generalis, aut alterius jurisdictionem ordinariam habentis, quo ad præsidentiam in concursu, & examine habendo; sequitur, ut aliquid dicamus de ipsis Examinatoribus, & de examine peragendo. Examinatores, qui
12 præesse debent in concursu, debent ad minus esse tres ex electis in ultima Synodo, & non aliter, cum quibus unitim ipse Episcopus, vel saltem ejus Vicarius Generalis devenire debet ad examen, ut ex *Tridentin. d. cap. 18.* his verbis = *Adveniente vacatione cujuslibet Ecclesiæ, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant.*

Caveant Episcopi, cœterique Ordinarii

narii locorum, ne utantur operâ Exa-
13 minatorum non Synodalium; nam ali-
ter concursus erit ipso jure nullus, uti
factus contra formam traditam à *Tri-
dentino suprà citato cap.*18., ut habetur
resolutum ex *Sacra Congreg. Concil. in
una Panormitana* 15.*Januarii* 1684.

Imò non solum concursus erit nul-
lus, ubi factus fuerit cum Examinatori-
14 bus non Synodalibus, sed etiam ubi
cum Examinatoribus Synodalibus fue-
rit commixtus aliquis Examinator non
Synodalis; nam Tridentinum excludit
mixturam, dum vult, omnes esse Sy-
nodales, *Rota coram Royas in una Se-
guntina Parochialis* 15. *Junii* 1637. in-
ter suas est *decis.*27. *Barbosa de Potest.
Episc. alleg.*60. *num.*48. *Massobrius de
Concursu requisit.*13. *dub.*1. *Gonzalez
Glossa* 55. *n.*48. *Lotter. lib.*2. *quæst.*31.
*num.*7. *Fagnan. in cap. Messana n.*28.
*de Elect. Card. de Luca ad Tridentin.
disc.*32. *num.*13.

Hoc tamen procedit, ubi extraneus
se gerit uti Examinator, præstando suum
15 votum, quo casu concursus redditur
nullus; aliàs, licèt interrogaverit, si
suum votum non præstet, examen non
inficitur, ut docet *Pax Jordan. lucubr.
Canonic. lib.*10. *tit.*8.*num.*42. *Passerin.
de Elect. cap.*30.*num.*93. *Card. de Luca
de Parochis disc.*37. *num.*10. & 11.

Duæ ubi fuerint Diœceses, æquè prin-
cipaliter unitæ, & unaquæque ex iis
convocet suam Synodum; vacante Ec-
clesia Parochiali, concursus erit haben-
dus coram Examinatoribus illius Diœ-
16 cœsis, ubi Beneficium existit, aliàs
concursus erit nullus, cum Examina-
tores unius Diœcesis non possint dici
Examinatores alterius, sed tamquam
extranei reputandi erunt, licèt unus
sit Episcopus, *Sacra Congreg. Concil.
in una Civitatis Castellanæ* 24. *Septem-
bris* 1638. *Rot. in una Frequentina nul-
litatis concursus* 13. *Junii* 1635. *coram
Coccino*, *Card. de Luca de Præeminen-
tiis disc.*7.*n.*22. & *de Parochis disc.*37.
*num.*16.

Non est abs re videre, an concursus
dicatur validus, ubicumque factus fue-
17 rit cum tribus Examinatoribus ex quin-
que electis in Synodo Diœcesana: &
negativè respondendum videtur cum
*Sacra Congreg. Concil. in una Umbria-
ticen.* 14. *Septembris* 1655. de qua *Pi-
gnatell. consult.Canon. tom.*1. *consf.*420.

Ea ratione quia, cum deberet Epi-
scopus in Synodo ipsa saltem eligere
18 sex Examinatores, ubicunque elege-
rit tantùm quinque, hujusmodi ele-
ctio cum habeatur, ac si non fuisset fa-
cta, uti facta contra dispositionem *Tri-
dentini dicto cap.*18. isti quinque electi
habendi erunt, ac si non fuissent electi,
undè concursus habendus erit, ac si
fuisset factus cùm Examinatoribus non
Synodalibus.

Si verò ex sex Examinatoribus, in
Synodo electis, aliqui intra annum
19 suæ electionis mortui fuerint, tota fa-
cultas examinandi una cum Episcopo
ad superstites, etiam si unus tantùm
superesset, spectare debet, eo anno
tantùm durante; quamvis hoc casu in
locum demortuorum eligendi essent
alii cum approbatione Capituli, ut be-
nè *Garz. de Benefic. part.*9. *cap.*2. *n.*8.
*Massob. de Concursu Requisit.*12. *dub.*2.
*Paz Jordan. suprà num.*135. *Card. de
Luca d. disc.*37. *num.*17.

Idem procedit, si omnes mortui fue-
rint, quo casu alios deputare valet Epi-
20 scopus cum consensu Capituli, dum-
modo hoc accidat infrà annum celebra-
tæ Synodi, quorum auctoritas expi-
rat transacto anno à die celebratæ Sy-
nodi: *Doctores* allegati *per Barbosam
de Parochis cap.*2. *num.*18. Undè con-
cursuss quo suprà factus coram Exami-
natoribus in locum defunctorum subro-
gatis, & approbatis à Capitulo ac præ-
stito per illos solito juramento, est va-
lidus: *Sacra Congreg. Concil. in una
Aurianen. Concursus* 28. *Junii* 1704.
Abellinen.Concursus 28.*Februar.*1711.

Qui ad hoc munus electi fuerint, vo-
cati ab Episcopo accedere tenentur, ces-
21 sante tamen legitimo impedimento,
aliàs non venientes cogi possunt ab illo,
ea ratione, quia acceptando tale munus,
videntur obligati ad illud explendum,
nam honor datur propter onus, *Sacra
Congreg. Concil.* 17. *Septembris* 1672.
*Pignatell. consult. Canonic. tom.*3. *con-
sult.*21. *num.*13. nisi legitima causa eos
excusaverit.

Antequam deveniant ad actum exa-
mi-

minis, Examinatores debent jurare ad sancta Dei Evangelia, se munus injun-
22 ctum fideliter exequi, ad formam *Trident. d. cap.* 18. ibi = *Jurentque omnes ad sancta Dei Evangelia, &c. se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros*, ubi. *Doctores*.

Aliàs omnia inde secuta nulla erunt,
23 licèt ex gratia possint convalidari, *Sacra Congreg. Concil. in una Bisinianen.* 12. *Decembris* 1628. & in *S. Miniati* 3. *Decembris* 1639. *Card. de Luca de Parochis disc.* 3. *num.* 4.

Adeò ut si unus non adimpleat præstationem hujus Juramenti, habetur
24 pro extraneo; ac proinde actus vitiatur: sufficit verò si aliàs dictum jura-
25 mentum præstiterit, cum non requiratur, quòd illud præstet in quolibet concursu, *Card. de Luca de Parochis disc.* 37. *num.* 14. & *Doctores passim*.

Caveant Examinatores ne quidquam prorsus accipiant ab Examinandis oc-
26 casione examinis, nec antea, nec post examen ipsum, quacumque immemorabili consuetudine non obstante, aliàs tàm ipsi, quàm dantes non sunt excusandi à vitio simoniæ, *Garz. de Benefic. part.* 9. *cap.* 2. *num.* 368. *Lotter. de Benefic. lib.* 2. *quæst.* 31. *n.* 96. *Gratian. discept. forens. cap.* 561. *à num.* 21. *Barbosa de Episcopis alleg.* 60. *num.* 52. *& sequentib. Riccius part.* 4. *resol.* 76. *num.* 1. *Bonacina de Simonia quæst.* 7. *part.* 2. *diff.* 1. *num.* 5. Undè colligo, hos
27 Examinatores privari beneficiis antea obtentis, ubi aliquid receperint causâ de quo supra, *Riccius suprà num.* 3.

Sequitur, ut de Examine ipso habendo aliquid dicamus. Elapso igitur tem-
28 pore in Edicto præfixo, congregatisque omnibus Examinatoribus unà cum Episcopo, vel ejus Vicario Generali; deveniendum est ad examen omnium Descriptorum in actis, pro Ecclesiæ vacantis provisione, faciendum ab Episcopo, saltem cum tribus Examinatoribus Synodalibus, Capitulariter cum eodem congregatis, in loco ab eo designato, ad *Tridentin. d. cap.* 18. *Card. de Luca ad Trident. disc.* 32. *num.* 13. *Antonell. de Regim. Eccles. lib.* 3. *cap.* 5. *per tot.*

Qui quidem Examinatores, postpositâ omni humanâ affectione, sed solùm Deum præ oculis habentes, descriptos ipsos (quatenus omnes accesserint) examinare tenentur super eorum doctrina,
29 necnon consideratâ eorum ætate, moribus, & prudentia, ac aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, & quos idoneos reperierint, denunciare tenentur Episcopo, ut ex *Tridentin. d. cap.* 18.

Dixi: *Postposita omni humana affectione*: etenim si oculis caliginatis, &
30 obcæcato judicio procedant, putabunt bonum malum, & malum bonum, contra Justitiam, contra decus Dei, & Ecclesiæ, *Card. de Luca de Parochis dicto disc.* 37. *num.* 19.

Dixi: *Inspecta qualitate examinandorum, super eorum doctrina, prudentia, bonitate vitæ, cæterisque bonis qua-*
31 *litatibus*: etenim ad exercendam Animarum Curam, quæ ars artium dicitur, ad *Textum in cap. cum sit de ætate, & qualitate*; non solùm requiritur idoneitas, quæ provenit ex scientia, vel vitæ bonitate, sed etiam requiruntur cæteræ bonæ qualitates, ut ex *Trident.*
32 *d. cap.* 18. Et quandoque ille, qui est minus doctus, & minus sanctus, aptior est ad bonum commune, ita *D. Thomas* 2. 2. *quæst.* 63. *artic.* 2. ibi = *Contingit enim quandoque, quod ille, qui est minus Sanctus, & minus Doctus, potest magis conferre ad bonum commune*.

Concordat illum ejusdem *D. Thomæ* 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 3. ubi ita inquit = *Ille, qui debet aliquem eligere in Pastorem, vel de eo providere, non tenetur assumere meliorem simpliciter, quod est secundum charitatem, sed meliorem quoad regimen Ecclesiæ, qui scilicet possit Ecclesiam, & instruere, & defendere, & pacificè gubernare*. Et *Covarr. in Regula peccatum* §. 7. *part.* 2. *num.* 4. ita inquit = *Dignior verò in hac quidem disputatione non simpliciter dicitur ille, qui doctior sit, vel qui sanctior, sed is, qui juxta munus, & rem cui præficiendus est, aptior ejus ministerio apparet* = Christus enim Dominus noster non eli-
34 git ad Principatum Joannem, qui erat Virgo, sed Petrum, qui in rebus humanis magis versatus erat.

Dixi suprà: *Quatenus omnes accesserint*: hic nota, quòd si ex quinque descri-

scri-

scriptis, vel ex pluribus descriptis, non
35 comparet nisi unus præfixo die, qui quidem approbatus fuerit ab Examinatoribus, illi conferendum est Parochiale Beneficium: quod locum habet, etiamsi alii comparuerint, jam dissoluto con-
36 cursu, ac eo clauso; quia descripti censentur renunciasse juri suo; & jura non subveniunt negligentibus, ad *Text. in l. non enim ff. ex quibus causis major.*, & negligentiæ ignosci non debet, *l. veluti ff. de edendo.*

Conferendum ergo est illi Beneficium, qui diligens fuit, & cui aliorum
37 negligentia abesse non debet, *Cardin. Zabarella in cap. cum nobis de Election. quæst.* 4. §. 2., & de omnibus *Barbosa de Parochis cap.* 2. *num.* 49. *&* 50.

Non solùm Examinatores examinare valent concurrentes ad Parochiale Beneficium, sed etiam hoc potest agere
38 Episcopus, vel, eo impedito, ejus Vicarius Generalis, ut expressis verbis docet *Trident. d. cap.* 18., ubi bis hoc dicit, & primò: *Examinentur ab Episcopo: sive eo impedito ab ejus Vicario Generali*; secundò paulò infra illis verbis; *Tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiunt*: undè, cum res sit clara non indiget declaratione.

Quod Vicarius Generalis, interes-
39 sendo in concursu, possit examinare, docet *Sacra Congreg. Concil. in una Januen.* 14. *Augusti* 1643. relata à *Pignatello tom.* 1. *consf.* 143.

Ea tamen est differentia inter Episcopum, vel ejus Vicarium, & Examinatores ipsos, circa examen habitum; nam licèt permissum videatur Episcopo, sive ejus Vicario, ut possit præsidere in examine, ac pariter examinare;
40 nihilominùs ipse Episcopus, sive ejus Vicarius, quamvis unà cum ipsis Examinatoribus faciant unum Tribunal, Consistorium, seu Auditorium, constituentes unum corpus, ad eumdem finem; nihilominùs Episcopus, sive ejus Vicarius non habet votum decisivum in examine, cùm hoc non solum competat Examinatoribus, ut habetur ex *Trid. d. cap.* 18. ubi *Barbosa num.* 115., & *de Parochis cap.* 2. *num.* 92. *Vivian. de Jurepatronat. lib.* 10. *cap.* 1. *n.* 43. *de Luca ad Gratian. disc.* 211. *n.* 24. *Ventriglia in prax. part.* 2. *ann.* 1. §. 1. *n.* 51. *Card. de Luca de Paroch. disc.* 37. *n.* 25.

Potest verò Episcopus, vel ejus Vicarius, ubi præsidet loco illius, accedere ad vota ab Examinatoribus data,
41 ubicumque illa fuerint paria, aut singularia, ut colligitur ex *Tridentin. d. cap.* 18. ibi: *Examinentur ab Episcopo, seu ab ejus Vicario Generali, atque ab aliis Examinatoribus non paucioribus, quàm tribus, quorum votis si pares, aut singulares fuerint accedere possit Episcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur.*

Examinati dicuntur pares in votis, quando eorum plures habent æqualia
42 vota: è contra examinati dicuntur singulares in votis, cum vota sint disparia, ut si unus habeat duo vota, alter tria, disparitas ergo votorum producit singularitatem in examinatis, quorum unus excedit alterum in suffragio favorabili.

Examinatores, expleto examine, debent palam inter se ipsos exquirere qua-
43 litates illorum, qui examinati fuerunt, dando eorum vota Episcopo, aut ejus Vicario Generali, denunciando quos idoneos repererint, *Fagnan. in cap. eam te de ætate, & qualit. Barbosa ad Trident. sess.* 24. *cap.* 18. *de Reform. n.* 110. *Card. de Luca ad Trident. disc.* 32. *n.* 9., *& de Paroch. disc.* 37. *n.* 19.

ARGUMENTUM.

De Electione dignioris ad Beneficium Parochiale ex approbatis ab Examinatoribus? ubi quinam sit dignior habendus, ac cœteris paribus præferendus, per nos demonstratur?

SUMMARIUM.

1 *Examinatores, completo examine super provisione Parochialis, secretis suffragiis idoneos eligent, quos renunciare debent Collatori, ut hic magis idoneum Ecclesiæ præficiat*, & n. 12. & seq. juncto n. 39.

2 *In provisione Parochialis Ecclesiæ duplex concurrere debet judicium, videlicet Examinatorum, quod positi-*
vum

vum dicitur, & Collatoris, quod nuncupatur comparativum, & num. 3. cum seq.

Comparativum autem judicium efformare debet Episcopus secum reputans merita Examinatorum, num. 14.

Usquequo autem illud differre valeat, num. 15. cum seq.

5 *Judicium comparativum Sede Episcopali vacante competit Vicario Capitulari.*

6 *Itemque Vicario Apostolico, quatenus per istum Diœcesis administretur.*

7 *Monitum pro Episcopo occasione eligendi digniorem inter approbatos ad Curam Animarum*, & num. 8.

9 *Episcopo cordi esse debet Ecclesiastica munia pro meritis distribuere, non verò secundùm propriæ voluntatis dictamen.*

10 *Prælectio inter approbatos ad Beneficia Curata qualiter ab Episcopo facienda sit*, & num. 11.

17 *Episcopus magis dignum eligere tenetur inter Approbatos ad Curam Animarum.*

Electio verò de digno, omisso digniori sustinetur in foro fori, n. 19.

Dignior autem qui dijudicandus sit, num. 20.

21 *Dignior qui est, in cunctis debet præferri*, & num. 22.

23 *Inter Approbatos ad Curam Animarum ille, cæteris paribus, præferendus est, qui de gremio existit Ecclesiæ, propter præsumptionem, quod utilior sit*, & num. 24.

Item originarius præferri debet extraneo etiam digniori, num. 25.

Rursus qui melioribus est imbutus moribus, num. 31.

Senior, vel qui priùs ad ordines assumptus fuerit, num. 32.

Sacerdos simplici Clerico, & Sacerdos antiquior alteri juniori, n. 33.

Non habens Beneficium præferri quoq; debet Proviso de Beneficio, n. 35.

Declara, ut num. 36.

26 *Doctor in assecutione Beneficii Curati quamvis plebejus præfertur non Doctori, licet nobili, contraria consuetudine non obstante*, num. 27.

Declara, quatenus Doctor doctus verè existat, num. 29.

27 *Ecclesia indiget viris literatis, non verò asinis ferratis.*

29 *Doctus non est omnis Doctor, etsi e contra quilibet doctus Doctor dicendus sit, quemadmodum Doctor ignarus pro Doctore non habetur.*

30 *Doctus pollens famâ bonorum morum anteferri debet in assecutione beneficiorum Doctori, cujus vitæ institutum ignotum sit*, & num. 31. & 34.

37 *Pauper debet præferri diviti in provisione Beneficiorum, dummodo Ecclesia, tanquam ære alieno gravata, ditiori Rectore non indigeat.*

38 *In Beneficio Jurispatronatus in paritate vocum præferendus erit compatronus, vel qui de linea fundatoris existit.*

40 *Electio dignioris respectu Beneficiorum de Jurepatronatus Laicorum spectat ad ipsos Laicos, qui illum præsentare tenentur Episcopo, ut instituatur.*

41 *Episcopus nequit citra rationabilem causam denegare institutionem legitimè præsentato.*

DISCEPTATIO XXVIII.

Concluso examine Descriptorum in actis Ecclesiæ vacantis ab Examinatoribus, fit ab illis judicium super re-
1 sponsis examinatorum, per vota secreta Capitulariter, antequam à loco discedant, & Episcopo renunciantur omnes, qui sunt digni ad Beneficium, in ordine ad quod examinati fuerunt, ut habetur ex *Trident. sess.* 24. *cap.* 18. *de Reformat.* illis verbis: *Peracto deinde examine renuncientur quotcumque ab his idonei judicati fuerint, ætate, moribus, doctrina, & prudentia, aliisque rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis; ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, atque illi, & non alteri Collatio Ecclesiæ ab eo fiat ad quem spectabit eam conferre.* Examinatores igitur judicium suum per vota declarant.

Prò intelligentia, & dilucidatione præmissorum, nota, duplex dari judicium in materia, de qua agimus, judicium positivum, & judicium comparativum: Judicium idoneitatis examinati in gradu positivo fit ab Examinatoribus;

bus; in gradu verò comparativo à solo
2 Episcopo; etenim ad ipsum spectat judicare quis sit dignior, excluso judicio positivo Examinatorum, à quibus tantùm petere potest consilium, quatenus judicaverit.

De judicio positivo tantùm ab Examinatoribus faciendo super idoneitate
3 examinatorum jam approbatorum sanctio est in *Trident. sæpè citato sup. c.* 18. ibi: *ab his idonei judicati fuerint*.

De judicio comparativo, quod illud sit solius Episcopi clarè dispositum ex-
4 tat in eodem *cap.* 18. *Trid.* ibi: *ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit*, *Garz. part.* 9. *cap.* 2. *n.* 105. *Passerin. de Elect. cap.* 30. *n.* 103. *Barbosa de Parach. cap.* 2. *n.* 90. *Fagnan. in cap. ante n.* 24. *de ætate, & qualitate*, *Rota recent. part.* 18. *decis.* 576. *n.* 1.

Judicium comparativum, de quo suprà, Sede Episcopali vacante spectat ad
5 Capitulum, & ejus Vicarium Capitularem, is enim indicere potest Edictum, ac convocare concursum, quamvis non possit conferre Beneficium, & ex approbatis ab ipsis Examinatoribus digniorem eligere, à S. Sede providendum, de ipso Beneficio, *Fagnan. in cap. illa n.* 23. *de Sede vacante*.

Idem procedit in Vicario Apostolico, deputato cum jurisdictione tàm contentiosa, quàm voluntaria, ad Episcopum pertinente: quo casu, data vacatione, potest Edictum apponere, con-
6 cursum convocare, descriptos unà cum Examinatoribus examinare, & de approbatis ab ipsis Examinatoribus magis idoneum eligere, à S. Sede providendum de Beneficio ipso, ut docet *Fagn. suprà num.* 30. *Sacra Congreg. Concil. in una Forosempronien. Prælectionis ad Parochialem* 16. *Novembris* 1709.

Antequam Episcopus deveniat ad actum prælectionis, optimum erit Deo
7 preces fundere, ut ipse judicium suum dirigere valeat erga illum, qui vacanti Ecclesiæ aptior, ac utilior fuerit; etenim ex inordinata electione multa mala
8 oriuntur, sicuti multa commoda, ubi illa recta fuerit: & ut se ipsum procul habeat à quacunque inordinata affectione, bonum erit, oculis percurrere quid-quid à *Trident. d. cap.* 18., & à Piana Constitutione aliàs citata, quæ incipit *In conferendis* statutum est; nam si ipse obcæcato judicio aliter procedat, existimabit malum bonum, & bonum malum. Episcopi verò, cùm à Deo consti-
9 tuti sint dispensatores super familiam suam, pro merito magis quam pro voluntate dispensare tenentur, juxta illud *Apostoli* 1. *ad Corinth.* 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei; hoc jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*.

Prælectio ipsa fieri debet ab Episcopo, non secundùm calculum votorum, itaut illum eligere debeat, qui plura habet vota, quasi ex illis inferatur major idoneitas in approbato, sed ex approbatis debet præeligere quem sibi ma-
10 gis idoneum putaverit, doctrinâ, prudentiâ, ætate, ac vitæ bonitate, aliisque circumstantiis, ad normam *Tridentin. d. cap.* 18. *Rota cor. Buratto decis.* 22. *n.* 8. *& decis.* 90. *n.* 2., *& coram Ansaldo decis.* 85. *n.* 21.

Quoad autem in electione dignioris Episcopus non solùm vota, sed etiam
11 alias circumstantias considerare debeat, colligitur ex *Textu in cap. cum in cunctis de Electione*, ac ex *Trident. d. cap.* 18., & ita docet *Garz. de Benefic. part.* 2. *cap.* 9. *num.* 109. *Marescottus var. resol. lib.* 1. *resol.* 52. *num.* 25. *ad* 28. *Tondut. quæst. Benefic. cap.* 59. *num.* 11. *Passerin. de Elect. cap.* 30. *n.* 104. *Barbosa de Parochis cap.* 2. *num.* 91. *Card. de Luca de Parochis disc.* 37. *n.* 27.

Etenim Examinatorum non est aliquem uti magis dignum declarare, sed
12 tantùm renunciare debent Episcopo, vel ejus Vicario Generali, quos idoneos cognoverint, ut docent communiter *Doctores*, & signanter *Garz. d. cap.* 2. *num.* 108. *Navarrus in Summa Bullar. V. Concursus num.* 9. *&* 10. *Barbosa de Episc. alleg.* 60. *num.* 97. *Fagnan. in cap. mandato n.* 17. *&* 26. *de Simonia*, *Pax Jordan. lucubrat. Canonic. lib.* 10. *tit.* 8. *n.* 184. *Card. de Luca d. disc.* 37. *n.* 26. *Trident. suprà*.

Magis verò idoneus declararetur ab ipsis Examinatoribus, si Episcopus teneretur eligere illum, uti magis dignum,
qui

qui plura vota habet, quod esset maximum absurdum. Quoniam verò possunt Examinatores cognoscere aliquem idoneum circa literaturam, secùs verò
13 quoad alia requisita; proindè *Tridentinum*, ac *S. Pius* suprà mandant, ut Examinatores solùm referant Episcopo quos idoneos judicaverint.

Hoc judicium idoneitatis comparativum de quo suprà, non tenetur facere Episcopus, statim finito examine, & in
14 congressu cum Examinatoribus, sed extra locum examinis, & ex postea, ac separatim ab Examinatoribus id nescientibus, ut docet *Garz. d. cap.2. num.59. Massob. de Concursu requisit.5. dub.20. Barbosa ad Concilium d. cap.18. n.120. & de Parochis d. cap.2. n.93. Passerin. de Elect. cap.30. n.104.*

Imò potest differre electionem de magis idoneo, etiam ad sex menses, ubicumque Collatio spectet ad ipsum Or-
15 dinarium; si verò Collatio spectet ad S. Sedem, tunc debet docere ipsam S. Sedem de digniore à se electo, in-
16 fra quatuor menses, & usque illud tempus potest differre electionem dignioris, *Vivian. de Jurepatronat. lib.10. cap.1. n.46. Barbosa d. cap.2. n.94.*

Caveant Episcopi, ne eligant minus
17 dignum, omisso digniore; nam aliter non erunt immunes à culpa lethali; ete-
18 nim valdè necessarium est, ut Ecclesiis provideatur de Rectoribus, qui utiliores, & fructuosiores sint fidelibus, & cum honore, & decore regimen habeant Ecclesiarum sibi commissarum: quod munus sine dubio præstabunt digniores,
19 & magis idonei, quamvis electio de digno sustineatur in foro fori, *D.Th.2.2. quæst.63. art.2., & quæst.185. art.2. Barbosa in cap. cum nobis n.4. de Elect. & de Parochis d. cap.2. n.98.* ubi decisio *Sac. Rotæ coram Pamphilio*, & alii *Doctores*.

Hinc quinam dicatur dignior, videre est, etenim, ut diximus cum *Trident. d. cap.18.*, ex dignis, & idoneis Episco-
20 pus debet eligere digniorem; & magis idoneum pro gubernio Curæ Animarum. Ille ergo dicitur dignior, & magis idoneus, ac aptus ad Regimen Ecclesiæ, qui ætate, literatura, moribus, & prudentia, speratur benè gubernaturus esse Ecclesiam sibi committendam, alio ex approbatis carente unâ ex hujusmodi qualitatibus, ita ex *Sac. Rota recent. part.3. decis.551. n.2. & part. 4. decis.149.*

Digniores verò in omnibus sunt præ-
21 ferendi, ad *Text. in cap. cum dilectus de Elect.*

Quid quidem servatur in officiis, & negotiis secularibus; nam in meliora-
22 tione rei communis magis idoneus, & magis dignus præfertur minus idoneo, & minus digno, *l. in reficiendo ff. de damno infecto*.

Pariter ex approbatis præferendus erit ille, qui est de gremio Ecclesiæ, ex-
23 traneo concurrenti; nisi aliæ qualitates multùm prævaleant in extraneo; nam, ut inquit *D.Gregor.lib.9.Epistolarum 2. ad medium: Non pigeat, aut pudeat extraneum fortè, vel humilis sanguinis virum, dummodo idoneus sit, ad Ecclesiæ suæ regimen, quod propriè bonos exoptat, adsciscere*, ita *Barbosa de Episcopis allegat.60. n.102. Pignatell. consult. Canonic. tom.1. consf.118. n.3.*

Ille verò, qui est de gremio Ecclesiæ,
24 tamquam utilior præferendus est, ut inquit *D.Thom. 2.2.quæst.63.art.2. ad 4.* ibi: *Ille, qui de gremio Ecclesiæ assumitur, in pluribus est utilior.*

Ulterius ex approbatis Originarius præferendus erit extraneo; ratio est,
25 quia Originarius magis notos habet populi mores, & præsumitur flagrare ardentiori affectu erga salutem illarum Animarum, quas etiam temporali vinculo diligit, ita *Abbas in cap. benè de postulat.Prælat. notab.3. n.16.* illis verbis: *Ubi in loco reperiuntur idonei, non debet præfici extraneus: est enim quis honorandus, & promovendus ubi suam peregit ætatem, neque debet alius obtinere stipendia aliis debita. Barbosa de Parochis cap.2. n.110. & sequentib. Pignatell. d.consult.118.n.9.*

Immò dignus de gremio Ecclesiæ, vel de loco Beneficii præferendus est digniori extraneo, *Lel.Zcab. de Benefic.c.12. n.36. Piasec. in praxi Episc. part.3. c.5. n.19. Ugolin. de Offic.Episc. cap.50.§.8. n.4. Barb. alleg.60.n.102.*

Secundò quæritur quis sit dignior, & præferendus. Et primò Doctor præ-

fertur non Doctori, etiamsi Doctor fue-
26 rit plebejus natu, & non Doctor nobilis, ea ratione quia Ecclesia indiget hominibus literatis, *Ricc. decis.135.n.1. part.4. Rota recent. part.2. decis.36.n.2. Barbosa ad Trident. d. cap.18. n.131. & de Parochis suprà n.114.*

Undè Papa faciliùs concedit Benefi-
27 cia Doctoribus, *cap. cum in cunctis §. Inferiore de Elect. cap. multa de Præbendis cap.4. de Magistris, Rota coram Verallo decis.277. n.4. part.1.*

Hinc Doctores etiam ignobiles, consuetudine non obstante, admittuntur ad
28 Præbendas, & Dignitates in Cathedralibus Ecclesiis, *cap. venerabilis de Præbendis, Barb. de Canonicis, & Dignit. cap.13. n.3.*

Supradicta locum habent, ubicum-
29 que Doctor est verè doctus; nam, ut inquit *Carena de S.c. Inquisitione part.1. tit.5. n.22.* omnis doctus est Doctor, sed non omnis Doctor est doctus: & ut alii ajunt, non omnis Doctoratus est Doctor, *l. si uxor ff. ad leg. Jul. de adult.* Et *Mastrius in Scoto expurgato fol. 67*, inquit *Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum.* Doctor enim ignarus non habetur pro Doctore, *Fagnan. in cap. inter cæteras n.55. de Rescriptis.*

Primò tamen notandum est In materia, de qua agimus, doctum esse præfe-
30 rendum Doctori, quotiescumque docti vita, & mores noti sint, Doctoris verò ignorantur, *Piasett. cap.5. num.19. Gonzalez glossa 4. num.112. ad Regul.8. Cancell. Riccius part.4. decis.425. aliàs resol.362. Massob. de concursu requis.5. dub.1. num.19. Barbosa de Paroch. sup. num.115. & de Episc. alleg. 60. n.102. Rota coram Buratto decis.22.*

Secundò: Ex approbatis uti dignior præferendus erit ille, qui semper bonus,
31 ac morigeratus fit in suis actionibus, aut numquam passus fuit maculam criminis, ut docet *Lotter. de Benefic. lib.2. qu.31. num.11. Pax Jordan. lucubr. Canonic. lib.10. tit.8. num.209.* & *Doctores* apud eosdem.

Tertiò: Ex pluribus approbatis, uti dignior præeligendus erit ille, qui al-
32 tero, cum quo concurrit, fuerit senior, aut prior ordinatus, *Barbosa de Paroch. d. cap.2. n.109. Rolandus consil.47. num.70. lib.1. Rota recent. part.18. decis.659. num.6.*

Quartò: Cæteris paribus, in votis Sacerdos præferendus est non Sacerdo-
33 ti, & Sacerdos antiquior Sacerdoti juniori, *Rolandus cons.47. num.75. Decius cons.542. num.13. Barbosa d. cap.2. num.119. Pax Jordan. sup. num. 216. Rota recent. part.16. decis.220. num.3. & 4. & part.18. decis.659. num.3.* ubi *Doctores, Passerin. de Elect. cap. 30. num.23.*

Quintò: Ex pluribus approbatis, uti dignior præferendus erit ille, de cujus
34 moribus, vita, & qualitatibus Episcopus est melius informatus, *Riccius resol.521. Pax sup. n.214. Pignatell. consult. Canonic. tom.1. consult.118. num.1.* & *Doctores passim.*

Sextò: Non habens Beneficium, cæteris paribus, præferendus erit illi, qui
35 habet Beneficium, *Barbosa d. cap. 2. num.116. & de Episc. alleg.60. n.103. Gratian. Discept. forens. cap.211. n.23. Rota coram Seraphino decis. 767. n. 2. in recent. part.18. decis.659. num.9. ad Text. in cap. 11, cui de Præbend. in 6.*

Sed hoc intellige, dummodò Benefi-
36 cium, quod possidet, sit ad congruam illius sustentationem; nam aliter idem est, ac si illud non haberet, *Rota coram Dunozett. Jun. decis.932. num.7. & coram Bichio decis.639. & coram Celso decis.169. num.8. Rota d. decis.659. n.10.*

Septimò: Pauper, cæteris paribus in votis, præferendus erit diviti, (nisi Ec-
37 clesia Parochiales ære alieno gravata fuerit, ac proindè auxilio indigeat Rectoris divitis) *Gratian. Discept. forens. cap.211. Rota recent. part.18. decis.659. num.8.*

Octavo demum, cœteris paribus, ubi Beneficium fuerit de Jurepatronatus
38 laicorum, ille præferendus est, qui est unus de compatronis, vel de linea fundatoris, *Barbosa d. alleg.72. num.202. Pax Jordan. sup. num.218.*

Verùm licèt Episcopus, vel quilibet alius Ordinarius, facultatem habeat in Beneficiis Parochialibus præeligendi magis idoneum ex approbatis ab Examinatoribus Synodalibus, habito respe-
38 ctu non solùm ad literaturam, sed etiam ad mores, honestatem vitæ, prudentiam, æta-

ętatem, & alias qualitates magis, vel minus necessarias, seù opportunas, quarum examinatio ipsi Ordinario, tanquam verisimiliter magis informato, reservata fuit à *Tridentin. sup. cap.*18. *Barbosa de Parochis cap.*2.*n.*118. *Rota recent. part.*18. *decis.*576. *num.*1. *&* 2.

Tamen hæc non procedunt in Parochialibus, quæ sunt de Jurepatronatus
40 laicorum; etenim in his, Jus præeligendi digniorem ex approbatis ab Examinatoribus spectat ad Patronos, qui illum Ordinario præsentare tenentur, ut instituatur, *Rota d. decis.* 576. *num.*3. *Barbosa d. cap.*2. *num.*124.

Qui quidem Ordinarius sic præsentato institutionem absque rationabili cau-
41 sa denegare non debet, ut ex *Tridentin. d. cap.*18. ubi *Barbosa n.*141. *Rota rec. part.*11. *decis.*232. *&* *d. decis.*576. *n.*4.

ARGUMENTUM.

A reprobatione Examinatorum an detur appellatio, & ad quem effectum dari possit, ubi an locum habeat in suspensivo, vel in devolutivo tantum.

SUMMARIUM.

1 *Appellatio definitur; à minori judice ad majorem facta provocatio.*
2 *A majori judice ad minorem provocari non potest.*
3 *Judex appellationis utrique colligitanti debet esse competens.*
4 *Appellatio conceditur propter gravamen.*
5 *Appellationis duplex est species, altera suspensiva, altera devolutiva, & utraque explicatur.*
6 *Appellatio à mala Relatione Examinatorum admittur in solo devolutivo.*
Declara, ut num.17.
Quomodo autem, & ad quem sit interponenda, num.7. & num.11.
Undè vero desumi valeat Examinatorum mala Relatio, num.12. & seqq.
9 *Appellans à Decretis Interlocutoriis debet exprimere causam gravaminis.*
13 *Examinatores gravamen inferunt, quatenus idoneum Episcopo renunciare prætermiserint.*
Idoneitas autem ex quibus suaderi possit, num.4.
15 *Idoneus qui semel repertus fuerit ad Curam Animarum, retinet præsumptionem idoneitatis.*
16 *Appellans à mala Relatione Examinatorum, quatenus idoneus dijudicetur in examine etiam post annum habito adhuc non præsumitur idoneitatem quæsivisse de novo.*
18 *Beneficia Ecclesiæ Calaguritanæ conferenda sunt Sacerdotibus patrimonialibus.*
19 *Attenta est institutio, quæ fuit concessa post interpositam appellationem.*
20 *Possessio attentata sequestranda est.*
21 *Appellans tenetur acta transportare ad judicem appellationis.*
Excursatur tamen, quatenus impeditus fuerit acta transportare ex facto Adversarii, num.22.
23 *Collator gratificare nequit non qualificatum in Beneficio, debito certo generi personarum.*

DISCEPTATIO XXIX.

Cum acturi simus de appellatione, quæ dari potest à reprobatione, vel non approbatione Examinatorum, ut in præcedentibus, hinc primo loco videre est, quid sit appellatio, deinde de ceteris ad
1 materiam spectantibus. Appellatio igitur est provocatio facta à minori Judice ab majorem Judicem gravantis, & gravati superiorem utriusque, ad tollendum gravamen illatum, *Doctores communiter*, & *Nos* latè *suis locis*, ubi de appellatione.

Dixi *provocatio*, quod est genus, cum de aliis provocationibus prædicetur.

Dixi *à minori Judice* ad majorem;
2 nam absurdum esset adire inferiorem contra superiorem, *cap. cum inferior de major. & obed.*, *l. formam. C. de Offic. Præfect.*

Dixi *ad Judicem superiorem utriusq;* etenim superior, ad quem appellatur, debet esse superior & appellantis, & ap-
3 pellati; nam Judex non valet judicare nisi suos subditos, *cap. judicare* 11. *qu.*3.

Dixi

Dixi *ad tollendum gravamen illatum*; etenim, ubi non est gravamen, non est
4 appellatio: gravamen ergo est fundamentum appellationis, quæ sine illo subsistere non potest, aliàs ipso jure corruit, *cap. cum speciali §. porro de appellat. Rota part. 3. recent. decis. 551.*

Est autem duplex appellationis species, suspensiva una, devolutiva altera. Suspensiva quia suspendit, quoad utrum-
5 que effectum: devolutiva, quia non suspendit executionem, sed tantùm dat locum appellanti, ut prosequi possit sua jura coram Judice ad quem appellavit, citra retardationem executionis judicati.

In materia verò, de qua agimus, appellatio locum non habet in suspensivo,
6 sed in devolutivo tantùm, ut colligitur ex *Trident. sess. 24. cap. 18. de Reform.* ibi = *Nec prædictorum Examinatorum relationem, quo minus executionem habeat ulla devolutio, aut appellatio etiam ad Sedem Apostolicam, sive ejusdem Sedis Legatos, aut Vicelegatos, aut Nuncios, seu Episcopos, aut Metropolitanos, Primates, vel Patriarchas, interposita, impediat, aut suspendat*: ita ex *Constitutione S. Pii V. In conferendis. Campanil. diversf. juris Canonici rub. 7. cap. 6. n. 75. Barbosa de Parochis cap. 2. n. 137. Rota recent. part. 15. decis. 114. n. 10.*, ubi *Doctores*.

Hujusmodi appellatio interponenda erit coram Examinatoribus, necnon co-
7 ram Episcopo, quatenus interfuerit examini, vel coram suo Vicario Generali, quatenus simul haberi possint, vel saltem apud acta Curiæ Episcopalis; nam Episcopus, & Examinatores repræsentant unum Consistorium, & Auditorium. Notandum autem est in materia, de qua agimus sufficere, ut Reprobatus appellet à mala relatione Examinatorum.

Quicumque intendit se gravatum, appellare potest ad Metropolitanum, vel ad Sanctam Sedem, ac in ipsa appella-
8 tione exprimenda erit causa, dicendo se appellare à reprobatione Examinatorum, ac proinde se sentiens gravatum appellat. Undè non sufficit quòd appel-
9 let in genere, ea ratione, quia à sententiis interlocutoriis causa est exprimenda in appellatione, aliter nulla erit, *Rota part. 1. recent. decis. 591.* Sed reprobatio Examinatorum est interlocutoria;
10 ergo in appellatione exprimenda est causa, puta reprobationis, quod etiam deducitur ex *Textu in cap. quo ad consultationem de Sent. & re judic. cap. dilecto de appellat.*

Ubicumque igitur Examinatores malè se gesserint, & irrationabiliter process-
11 serint in relatione facienda Ordinario, ab hujusmodi eorum mala relatione, qui se sentit gravatum, ad Judicem superiorem appellare potest, ad *Text. in cap. dilecta de Rescriptis, Rota coram Alex. VIII. decis. 66. n. 3. & in recent. part. 18. decis. 175. num. 12. & decis. 515. num. 8. eodem part. 18.*

Desumitur autem irrationabilitas relationis Examinatorum, ex quo appellans idoneus erat in examine, & sub silentio fuit præteritus in relatione data
12 Episcopo; cùm Examinatores ipsi teneantur, quoscumque idoneos judicaverint, Episcopo renunciare, quo non facto, irrationabiliter processisse videntur & contra dispositionem *Trid. d. cap. 18.* ac proindè ei ut gravato permissum est à Jure ad superiorem appellare, *Rota coram Alex. VIII. d. decis. 66. num. 3. & recent. part. 12. decis. 302. num. 3., & part. 16. decis. 238. num. 2. & 3.*

Et licèt Examinatoribus data sit facultas renunciandi quos idoneos judi-
13 caverint, non idoneis prætermissis; ubi appellans jam idoneus erat, non erat omittendus sub silentio, sed de eo Examinatores mentionem facere tenebantur, ad *Text. in l. cum prætor ff. de judic. Rota in recent. part. 3. decis. 488. & part. 16. decis. 238. num. 1. & pluribus sequentibus.*

Quod appellans erat idoneus de tempore concursus, desumitur ex eo quod ante concursum Curam Animarum exercuerat, ad Curam Animarum fuerat approbatus, & post concursum coram Judice appellationis habilis, atque ido-
14 neus fuerit repertus: Undè fit quod, stante hujusmodi approbatione antecedenti, & subsequenti, de maxima irrationabilitate Examinatorum non erit dubitandum, *Rota in recent. part. 16. decis. 238. n. 12. & part. 18. decis. 576. num. 6. & 7.*

Ha-

Habilitas igitur acquisita, cum illa
inhæreat menti, & animo, non est præ-
sumendum, quod tam facilè obtenebra-
15 ri potuerit: & dum antea idoneus quis
erat in examine, talis censendus est in
novo examine; nam actus scientifici sunt
ad instar formæ, qui stabiles imprimun-
tur in intellectu, *Rota recent. part.* 18.
decis. 175. *num.* 10.

Et quamvis à primo examine ad se-
cundum, factum in Urbe, lapsus fuerit
16 annus; ac proinde si de appellantis ido-
neitate appareat, præsumi possit novi-
ter acquisita, ad excludendam irrationa-
bilitatem Examinatorum de partibus;
tamen scias, quod tanti temporis inter-
medium non fuit habitum in considera-
tione à *Sacra Rota in recent. part.* 16.
decis. 238. *num.* 7. in subjecta materia
pro concludendo, quòd quis doctior
evadere potuerit.

Demùm est videndum, an appellatio
locum habeat in suspensivo, quotiescum-
que agatur de Beneficio sive simplici,
sive Curato debito certo generi perso-
17 narum, aut alicujus Ecclesiæ, & simi-
lium, posito quòd quis appellaverit à
mala relatione Examinatorum: & affir-
mativè respondendum videtur; etenim
Piana Constitutio, de qua suprà, tan-
tùm loquitur de Beneficiis Parochiali-
bus providendis per liberum concur-
sum: & quod detur appellatio in suspen-
sivo in casu, de quo agimus, à mala re-
latione Examinatorum, clarè patet ex
Sac. Rota in recent. part. 10. *decis.* 155.
& part. 16. *decis.* 202. *num.* 1. *& per to-
tam*, *& decis.* 238. *num.* 3. *& part.* 18.
decis. 175. *n.* 12. *& alibi passim*, *ac* 178.
& 179. *eadem part.* 18.

Quæ licèt loquantur de Beneficiis
simplicibus Calaguritanæ Ecclesiæ; ni-
18 hilominus quia omnia Beneficia hujus-
modi Ecclesiæ tàm Curata, quàm Sim-
plicia conferenda sunt Sacerdotibus in-
digenis, seu, ut dicitur, patrimonialibus,
prævio examine per concursum; hinc
ubicumque à mala relatione Examina-
torum datur appellatio, illa habet effe-
ctum tàm in suspensivo, quàm in devolu-
tivo; eoque magis ubi appellans, uti
gravatus, examinatus in Urbe de ordi-
ne Sac. Rotæ fuit repertus habilis, &
idoneus, *Rota recent. part.* 16. *decis.* 202.
num. 3.

Ubi *num.* 4. habetur quòd institutio
obtenta post interpositam appellatio-
nem, dicitur attentata; & constito de
20 attentatis apponendum erit sequestrum,
super fructibus Beneficii, duplici ratio-
ne, ne bona dilapidentur, ut ex *d. de-
cis.* 202. *num.* 5. *&* 6. Secundò, ne quis
gaudere debeat commodo possessionis
attentatæ, ut ex *d. decis. num.* 7. Idem
colligitur ex altera *Sac. Rotæ decis. re-
cent. part.* 18. *decis.* 179. *& decis.* 410. *à
num.* 1. *ad* 9.

Appellans, ut suprà, debet suis sum-
ptibus transportare acta ad detegendum
21 gravamen sibi illatum, *Rota recentior.
part.* 16. *decis.* 203. *num.* 8., *Tridentin.
sess.* 24. *cap.* 20. *de Reform.* ad *Text. in
l.* 2. *C. de adeundo*; ex quibus juribus ha-
betur, quod acta sunt transportanda
coram Judice ad quem, antequam possit
fieri judicium: nam ex actis Judex ac-
quirit jus, & non aliter, *Rota recent.
part.* 18. *decis.* 442. *per tot.*

Et ubi appellans impeditur facto par-
tis adversæ, ne possit habere acta, hoc
22 casu remanet exemptus ab hujusmodi
onere, *Rota d. decis.* 203. *num.* 10. *& de-
cis.* 393. *per totam part.* 17. *recent.*

Hoc unum est advertendum in mate-
ria, de qua agimus, quod ubicumque
appellatum fuerit à mala relatione Exa-
minatorum, in concursu habito Paro-
chialis Ecclesiæ debitæ Sacerdotibus,
23 patrimonialibus, Episcopus non potest
gratificare idoneum, aliàs collatio erit
nulla, & pro non facta habenda erit, *cap.
non solum de appellat. in* 6. *Rota recent.
part.* 16. *decis.* 238. *n.* 7. *& per totam*.

ARGUMENTUM.

*Appellatio an detur de Jure ab irra-
tionabili Judicio Episcopi, ubi an
illa locum habeat in suspensivo,
vel in devolutivo tantum?*

SUMMARIUM.

1 *Ab irrationabili judicio Episcopi in
provisione Parochialis Ecclesiæ licet
ad Superiorem provocare*, & n. 2.
*Admittitur tamen appellatio so-
lum-*

summodo in devolutivo, num.3.

4 *Judicium institutionis ad Beneficia simplicia Jurispatronatus, seu competentia Sacerdotibus patrimonialibus est ordinarium; ideoque terminari debet per tres conformes sententias*, & num.5. & 6.

7 *Appellans ab irrationabili judicio Episcopi debet Præelectum ad novum examen provocare, eundem citando. Et constito de mala electione Episcopi, debet Præelectus denuo citari ad dicendum causam quare præcedens judicium rescindi non debeat*, n.8. & 9.

Quid autem servandum ubi præelectus interim cedat juri suo, vel decedat, num.14.

10 *De irrationabili judicio Episcopi in electione Examinatorum ad Parochiam quomodo constare possit*, & n.11. & seq.

15 *Qualitates requisitæ ad assecutionem Beneficii probari possunt per depositiones testium.*

16 *Possessor Parochialis tanquam ab Episcopo præelectus, non est removendus, usquequo de irrationabili judicio Episcopi constiterit per tres conformes sententias, vel unam transactam in rem judicatam*, & num.17.

DISCEPTATIO XXX.

IN præcedenti Disceptatione per *Nos* actum fuit de appellatione à reprobatione Examinatorum, in hac tractandum est de appellatione ab irrationabili judicio Episcopi. Ubicumque autem Episcopus, magis idoneo spreto; minus idoneum prælegerit, potest is, qui se sen-
1 tit gravatum ab hujusmodi mala Episcopi electione, ad Superiorem appellare, & prælectum ad novum examen provocare, in quo si magis idoneus repertus fuerit, ab ipso Judice appellationis debet de Beneficio provideri, amoto proviso ab ipso Episcopo, *Marescottus var. resol. lib.1. cap.52. num.23. & 24. Barbosa alleg.60. num. fin. idem ad Tridentin. sess.24. cap.18. num.157. Card. de Luca ad Tridentin. disc.32. n.24. & de Parochis disc.7. num.3. & 8., Pax Jordan. lib.10. tit.8. num.224. Fagnan. in cap. eam te de ætate, & qualitat. Rota coram Gregorio XV. decis.40. in Lunen. Sarzanen. Parochialis 14. Januar.1707. coram Omanña §. non enim, Sacra Congreg. Concil. in una Isclana Parochialis 23. Julii 1718.*

Quod idem clarè patet ex *Constitutione S. Pii V.*, quæ incipit: *In confe-*
2 *rendis*, ubi §.7., hæc habentur: *Ut autem non solum dignis, sed magis dignis repertis juxta ejusmodi Concilii Decretum Parochiales Ecclesiæ conferantur, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod si Episcopus minus habilem, posthabitis magis idoneis, elegerit, possint ii, qui rejecti fuerint, à mala electione hujusmodi ad Metropolitanum, vel si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus fuerit ad viciniorem Ordinarium, uti nostræ, & Sedis Apostolicæ delegatum, aut aliàs ad ipsam Sedem Apostolicam appellare, ac præelectum ad novum examen coram ipso appellationis Judice, & ejus Examinatoribus provocare; & constito de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis magis idoneo per eundem Judicem appellationis, auctoritate nostra quate us collatio ad Episcopum à quo appellatum fuerit spectaret, conferatur; aliàs eidem magis idoneo per Judicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eũ, ad quem collatio, provisio, vel institutio spectabit.*

Appellatio verò prædicta locum habet tantùm in devolutivo, non autem in
3 suspensivo; undè quodcumque fuerit irrationabile judicium Episcopi, nequaquam appellatio impedit, quin præelectus mittatur in possessionem Beneficii; ut benè colligitur ex *Piana Constitutione suprà* §.8. ibi: *Hæc tamen appellatio interposita interim non impediat, nec suspendat, quo minus electio per Ordinarium primo loco facta interim demandetur executioni, & provisus ab eadem Ecclesia, causa appellationis hujusmodi pendente non removeatur. Et si quis à sententia per Judicem appellationis lata duxerit appellandum, is tunc ad Sedem Apostolicam appellabit* & ita *Fagnanus ad Text. in cap. eam te n.28. de ætate, & ad Textum in cap. mandato num.18. & 28. de Simonia, Passerin.*

rin. de Elect. cap.32. num.14. Rota in recent. part.10. decis.94. num.5. Card. de Luca de Parochis disc.6. num.9.

In suspensivo verò datur appellatio in Beneficiis simplicibus jurispatronatus
4 laicalis, puta ubi instituendus erit ex voluntate testatoris, quem magis idoneum Episcopus judicaverit, vel in Beneficiis debitis Sacerdotibus particularibus alicujus Ecclesiæ, quæ Beneficia dicuntur patrimonialia, ut in Bene-
5 ficiis Calaguritanæ Ecclesiæ: in quibus casibus tàm à mala relatione Examinatorum, quàm à mala electione Episcopi datur appellatio tàm in suspensivo, quàm in devolutivo, *Rota in recent. part.16. decis.202. n.1. & per tot., & part.18. decis.175. num.12.*, & priùs *part.10. decis.155.*

Non tantùm conceditur appellatio, ut suprà à mala præelectione Episcopi,
6 sed etiam à Judice secundæ instantiæ, quatenus ipse judicium Episcopi approbaverit; quo casu ei licet iterum appellare, nec opus habet coram ipso Judice tertiæ instantiæ docere de fama sui boni juris, aliàs esset ligare manus ipsius appellantis, ne posset docere de gravamine, *Garz. de Benefic. part. 9. cap. 2. num.251.*

Gravatus debet præelectum ad novum examen provocare coram Judice superiore, antequam doceat de irrationabili judicio Episcopi, eumdem citan-
7 do; nam difficile esset docere de gravamine, eo quia acta examinis primæ instantiæ sæpè tali modo fabricantur, ut ex illis apparere de gravamine difficillimum sit: & ita intelligendam esse Constitutionem S. Pii V. sæpè citatam, docet *Sacra Congreg. Concil. in una Urbinaten. 9. Septembris 1628., & in Pisana 17. Junii 1630. Rota coram Celso decis.5. & 14. Novar. in Summ. Bullar. V. Concursus num.16. Pignatell. consult. Canonic. tom.1. consf.118. num.14., Fagnan. in cap. eum te num.27. de Elect. Card. de Luca de Parochis disc.6. num.5. & disc.7. num.3. Fagnan. in cap. eam te de ætate, & qualit. num.29.*, & novissimè *Sacra Rota coram Cerro Junior. in una Rheginen. Parochialis 1. Martii 1720. §. Haud, & sequent.*, ubi latè de hac materia provocationis ad novum concursum, licèt non constet per Appellantem de irrationabili judicio Episcopi, ut ibi *cor. Cerro Rota §. Nec pariformiter, & in Comen. Parochialis 10. Januarii 1707. §. Ratio, coram Caffarello, & Fulginaten. Parochialis 13. Januarii 1710. §. Nullatenus coram Rmo Aldrovando Sacræ Rotæ Decano.*

Dixi = *ut præelectus citandus sit* = ex ratione, quia agitur de ejus interesse, undè posito, quòd provocandus sit ad
8 novum examen, hoc pernecesse fieri debet secutâ monitione, ut benè colligitur ex ipsa *Piana Constitutione suprà*, illis verbis = *ac præelectum ad novum examen provocare* = in quo si succumbat,
9 denuò vocandus est ad respondendum, quare non debeat præcedens judicium de eo factum revocari, ut ex dicta Constitutione ibi = *eoque revocato*, ex quo constat, eum non esse magis idoneum; neque enim quis est privandus sine prævia citatione.

Sequitur, ut videamus, quomodo probetur mala electio ab Episcopo facta: Et dicimus, tribus modis eam pro-
10 bari posse. Primò, provocando electum ad novum examen, ut dicitur in *Textu citatæ Constitutionis Pianæ* ibi = *ac præelectum ad novum examen coram ipso appellationis Judice, & ejus Examinatoribus provocare* = iste namque est modus probandi, utrum appellans sit dignior; ac proindè tàm appellans, quàm appellatus, debent comparere coram Judice appellationis, & novum examen subire, ut ex collatione responsionum utriusque colligatur quis eorum ex hoc capite sit magis idoneus: neque obstant verba citatæ Constitutionis, in qua habetur, quod præelectus ad novum examen provocetur; quia correlativa non indicantur ad imparia, maximè in hoc casu, ex quo Competitores tendunt ad eumdem finem, *Fagn. in d. cap. eam te à num.31. Pax Jordan. lucubr. Canonic. lib.10. tit.8. num.227. Passerin. de Elect. cap.32. num.15.*

Secundò modò probari potest irrationabilitas Episcopi in ipsa præelectione habita, videlicet quia præelectus
12 non polleat his qualitatibus, quibus pollet appellans, ex quo appellans est senex, & præelectus est juvenis; appellans

lans est Sacerdos, & prælectus est Clericus in minoribus ordinibus, appellans non patitur maculam criminis, & prælectus inquisitus fuit de pluribus criminibus, & ita de similibus, de quibus *Nos suprà*, Rursus si appellans est Doctor, exercuit Curam Animarum, aliàs fuit approbatus ad CuramAnimarũ,&c. Nam ex his, & similibus desumitur irrationabile judicium Episcopi, *Rota coram Cerro sup*, §. *Ast verò in fine*,

Tertio modò, probatur irrationabile judicium Episcopi, si prælectus est
13 familiaris Episcopi eligentis, ut, multis citatis, probat *Riccius part.4. decis.96, n.19. Barbosa de Parochis cap.2. n.144. Pax Jordan. sup.n.235. Gonzalez ad Regulam 8. Cancell. glossa 4. num.140., & pluribus sequentibus, Posserin. de Elect. cap.32. num.16*.

Sed quid juris, ubi prælectus ab Ordinario, appellatione pendente, cederet juri suo, aut decederet è vita, aut provisus fuerit de altero Beneficio: & cer-
14 tum est quod, his non obstantibus, Jus ipsius appellantis non expirat; ac proinde prosequi valet judicium coram Judice, ad quem appellavit, quamvis prælectus, post juris proprii cessionem, cogendus non sit ad novum examen. Appellans verò probare potest suam idoneitatem per examen, de cœteris verò qualitatibus docere potest per depositiones testium, haben-
15 tium notitiam tàm ipsius, quàm prælecti, etenim ubi forma adimpleri non potest præcisè, sufficit actum facere, eo modo, quo possibile erit, *Aymon consf.12. n.2., & consf.17. n.5. Garz. de Benefic. part.2. cap.2. n.254. Passerin. de Elect. cap.32. Pax Jordan. lib.10.tit.8.n.227, & Doctores passim*.

Posito, ut suprà, quòd prælectus ab Episcopo, per Judicē, ad quem appellatum fuit, uti minus dignus habitus fuerit, revocato irrationabili judicio Epi-
16 scopi; nihilominus à sua possessione non est removendus, nisi per tres sententias conformes fuerit rejectus, aut per unam transactam in rem judicatam: ac
17 proindè remanet interim in eo statu, in quo erat ante sententiam revocatoriam, ita *Garz. de Benefic. part.9. cap.2. n.246. Gratian. discept. forens. cap.96. nu. 23. Passerin. de Elect. cap.32. n.18, Nicolius lib.3, tit.5, de Præbendis*.

ARGUMENTUM.

Concursus formalis, ad normam Trid. sess.24. cap.18. de Reform., *in quibus Ecclesiis Parochialibus providendis non requiratur?*

SUMMARIUM.

1 *Concursus ad formam* Concilii Tridentini sess.24. cap.18. de Reform. *minimè requiritur in Parochialibus de Jurepatronatus laicorum*, & n.5.

In paritate verò vocum concursus faciendus est inter solos præsentatos, num.2.

Providenda tamen est Ecclesia per concursum, ubi collatio devoluta sit ad Episcopum, num.3.

4 *Beneficium Jurispatronatus per devolutionem providetur tanquam de libero*.

6 *Beneficium Parochiale de Jurepatronatus mixto providetur absque concursu*, & n.7. cum seq.

10 *Concursus requiritur in collatione Parochialis de Jurepatronatus mixto*, & n.11. remissivè.

12 *Concursus non requiritur in Beneficio Curato, quod providetur per resignationem factam ad favorem*.

Et quatenus resignatarius fuerit reprobatus, potest infra sex menses ad novum examen admitti, n.13.

14 *Concursus non requiritur in permutatione Beneficiorum*.

Nec quando confertur dignitas, cui Cura inhæreat Animarum, n.15.

Item non requiritur in collatione Canonicatus cum simili Cura, n.16.

Nec ubi Cura habitualis resideat penes Capitulum Cathedralis, vel Collegiatæ, n.17.

Sive Parochia unita fuerit Monasterio Regularium, n.18.

19 *Beneficium Curatum quatenus intra terminum præfixum in Edicto nemo comparuerit, provideri potest sine concursu*.

20 Con-

20 *Concursus minimè requiritur in Vicaria perpetua, Beneficio, seu Dignitati unita.*

Neque in provisione Parochialis conferri solitæ Regularibus, n.21.

Sicuti nec in Prioratu dari solito in Commendam Regularibus, n.22.

Nec requiritur in Regressu reservato ad Parochialem, n.23.

Rursus nec in Beneficiis Curatis vacantibus in Curia, vel apud Sedem, num.24.

Neque in providendis à Dataria jure devoluto, n.25. & 26.

Itidem neque in collatione Beneficii Curati litigiosi, n.27.

Nec dum providenda est Parochialis adeo exigui redditus, ut nemo sese examini subjicere velit, n.28.

Neque in collatione Parochialis noviter erectæ, n.29.

Nec demum in provisione Parochialis unitæ Sacræ Religioni Hierosolymitanæ, n.30.

Intellige, ut n.31. & seqq.

DISCEPTATIO XXXI.

Diximus suprà *Discept.*22. Parochiale Beneficium providendum esse per concursum, attenta dispositione *Trid. sess.*24. *cap.*18. *de Reform.* In hac Disceptatione demonstrabimus, quæ Beneficia, licet Curam habeant Animarum, provideri possint de novo Rectore absque generali concursu, sed tantùm prævio examine concurrentium, habito coram Examinatoribus Synodalibus, & Ordinario loci, cum facultate eligendi quem magis dignum judicaverit ex approbatis ab ipsis Examinatoribus Synodalibus.

Et primò non requiritur concursus, ubicumque Beneficium Parochiale est de Jurepatronatus laicorum, quo casu
1 sufficit, quòd præsentatus, vel promovendus, habilis, & idoneus fuerit repertus in examine habito coram Examinatoribus Synodalibus, *Letter. de re Benefic. lib.*2. *quæst.*31. *num.*129. *Barbosa de Episcop. alleg.*60. *num.*79. *Rota in recent. part-*18. *decis.*32.*num.*11. & *decis.*192. *n.*11., & *part.*19. *decis.*136. *n.*42. *Card. de Luca de Parochis disc.*37. *n.*44. *Sacra Congreg. Concil. In una Pisana* 5. *Februarii* 1628. *Bononien.* 10. *Aprilis* 1683.

Ubi verò plures præsentati fuerint æqualiter à pluribus compatronis, hoc casu requiritur examen per concursum, inter ipsos præsentatos tantùm, ad hoc ut agnoscatur ab Examinatoribus, quinam sint idonei, & postea, secutâ illo-
2 rum relatione, Ordinarius eligat, quem cęteris magis idoneum judicaverit, atque illum, & non alium instituat, *Garz. de Benefic. part.*9. *cap.*2.*n.*257. *Riccius resol.*357. *Marescottus var. resol. lib.*1. *cap.*52. *n.*11. *Barbosa alleg.*72. *n.*121. *Fagnan. in cap. cum propter de Jurepatron. n.*10. *Card. de Luca de Parochis disc.*15. *num.*3.

Providenda tamen erit Ecclesia Parochialis de Jurepatronatus per generalẽ concursum, quotiescumque provisio de-
3 voluta fuerit ad Episcopum, ex quo patroni non præsentarunt subjectum idoneum infra statutum tempus à Jure, qui quidem patroni pro illa vice tantùm censentur spoliati eorum jure; nam per
4 hujusmodi devolutionem Ecclesia habetur pro libera, *Barbosa ad Trident. d. cap.*18.*num.*149., & *de Parochis cap.*2. *n.*131., & *de Episcop. allegat.*60. *n.*18. *Passerin. de Elect. cap.*30. *n.*120.

Dixi = *ubi plures fuerint æqualiter præsentati* = etenim, si plures præsen-
5 tati æquales non sunt in jure præsentationis, ex quo unus habeat duas voces, alter tres, &c. in hoc casu concursus non habet locum, sed qui præ cęteris plures habet voces, ille solus est examinandus, & si fuerit approbatus, ei beneficium est conferendum; nam, cum alii sint inferioris juris, attentâ inæqualitate, rejiciendi erunt, *Garz. de Benefic. part.*9. *cap.*2. *num.*257. *Barbos. ad Trident. d. cap.*18. *num.*146. *Passerin. sup. n.*121. *Rota coram Buratto decis.*952. *n.*2.

Dixi suprà = *ubi Beneficium fuerit de Jurepatron. laicorum* = hinc videre est quid juris, ubi Beneficium Jurispatro-
6 natus miscetur ex Ecclesiastico, & Laico, videlicet quod pro parte sit Ecclesiasticum, partim laicale, & sic mixtum: & videtur dicendum, hujusmodi Beneficium de Jurepatronatus mixto providendum esse per concursum, ea ratione

quia dignus trahit ad se minus dignum, ad *Text. in cap. per tuos de arbitris, l. 1. ff. de V. S. Barbosa axioma 72.* Tum quia Papa sæpè indistinctè derogat patronatui mixto in totum, quod non faceret, nisi pro medietate, quatenus judicaretur laicale, *Diana, ubi Doctores, part. 9. tract. 8. resol. 16.*

Sed pro contraria sententia veritas esse videtur; nam cùm quæratur, an patronatus mixtum laicale, vel Ecclesiasticum censeri debeat, ea est receptissi-
7 ma distinctio, ut attendatur illa qualitas, quæ in casu, de quo quæritur, est magis privilegiata, & magis favet patronatui, *Federic. de Senis cons. 65. n. 2. Puteus decis. 157. n. 6. lib. 3. Covar. pract. quæst. cap. 36. n. 5.*

Dixi, ut debeat attendi illa qualitas, quæ in casu, de quo quæritur, est magis privilegiata; hinc magis privilegiata dicitur causa providendi Beneficium Parochiale Jurispatronatus mixti absq; forma, de qua per *Trid. sess. 24. cap. 18. de Reform.* Si verò esset opus, ut servetur forma præscripta à *Trident. suprà*, hoc esset magni præjudicii patronis lai-
8 cis; nam restringeretur eorum libertas in præsentando, & cùm in hac parte jus laicorum sit potentius, & magis privilegiatum; quia Concilium Beneficia de Jurepatronatus laicorum concursui non subjecit; sequitur, ut Juspatronatus mixtum quo ad concursum pro conservanda patronorum libertate debeat reputari, ac si totus esset laicale, latè *Fagnan. in cap. cum propter n. 34. Card. de Luca de Parochis disc. 37. n. 47.*

Quidquid in contrarium resolutum fuerit in *Sacra Congregatione Concilii in una Cæsenaten. 29. Martii 1653. lib. 19. decis. fol. 240.* ibi = *Sacra &c. censuit Ecclesiam Parochialem, quæ pro duabus partibus est de Jurepatronatus laicorum, pro una verò Jurispatronatus Ecclesiastici, conferendam esse per concursum, ad præscriptum Sacr. Concil. Trid. sess. 24. cap. 18.*, quam resolutionem propriis oculis legi, *Pax Jord. lucubr. Canonic. lib. 10. tit. 8. n. 49.*

Quoties verò Beneficium Parochiale ex sui natura, & origine laicali, ex do-
9 natione laicorum pro duabus ex tribus partibus effectum fuerit postea Ecclesiasticum, neque providendum erit per formalem concursum, ea ratione, quia patronus non intendit sibi præjudicare, sed tantùm honorare Clericos, ut secum concurrant ad præsentationem; undè cùm patronus laicus ad se trahat Ecclesiasticos, & non, Ecclesiastici laicum; meritò Beneficium hujusmodi regulatur secundnm privilegium simplicis laicalis, quod consequitur examinatus ab Examinatoribus sine concursu, *Fagnan. in cap. cum propter de Jurepatronatus à n. 39. ad 74.*

Beneficium Parochiale, quoties fuerit de Jurepatronatus Ecclesiastico tunc
10 pro illius collatione requiritur concursus, ad *Trid. d. cap. 18.* ibi = *Si verò Jurispatronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non ad alium pertineat, is, quem patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit, Episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur. Riccius resol. 362. Pax Jord. sup. n. 49. Barbosa de Episc. alleg. 72. n. 122. Sacra Congreg. Concil. in una Gandoven. 7. Februarii 1643. Rota in recent. part. 18. decis. 32. n. 12., & decis. 192. n. 10.*, ubi allegatur *Garz. de Benefic. part. 9. cap. 2. n. 26. & seqq. in Novarien. Parochialis 17. Januarii 1710. §. fin. coram Prilolo.* Sed quid ubi per consuetudinem ferè immemorabilem Beneficia Curata de Jure patronatus Ecclesiastico, solita fuerint provideri
11 absque concursu, an illa sit servanda, vide infra *Discept. seq.*

Secundò non requiritur concursus, ubi Beneficium Parochiale confertur
12 per resignationem factam in manu Papæ ad favorem alterius; nam hoc casu qui gratiam obtinuit, sufficit, quod se submittat examini coram Ordinario, & saltem tribus Examinatoribus, qui si idoneus, & habilis repertus fuerit ad Curam gerendam, tunc ei Beneficium adjudicandum erit, *Garz. d. cap. 2. n. 157. Gonzalez ad Regul. 8. Cancell. glossa 6. n. 121. Riccius resol. 519. n. 1. Paris. de Resignat. lib. 1. quæst. 7. n. 8. Barbosa de Episc. alleg. 60. n. 21. Pax Jord. lib. 10. tit. 8. nu. 73. Vivian. de Jurepatronat. lib. 10. cap. 1. n. 55.*

Posito autem quòd Resignatarius in primo examine non fuerit repertus idoneus

nous, & habilis, potest iterum infra sex menses ad novum examen admitti,& uti dignus de Beneficio provideri, attenta clausula solita apponi in hujusmodi literis Apostolicis, videlicet = *quatenus dignum repereris* = undè, si non fuerit re-
13 pertus dignus, & habilis in primo examine, potest iterum ad novum examen admitti, ut pluries ex *Sacra Rota*.

Tertiò non requiritur concursus in permutationibus Beneficiorum Parochialium,sive ubi alterum illorum fuerit Parochiale, nam concursus fit inter plures respectu ejusdem Beneficii:secùs autem videtur, ubi intercedente auctoritate legitimi Superioris alter alteri dat
14 suum Beneficium, mediante legitima permutatione, vel ubi permutatur Beneficium Parochiale cum simplici: quo casu sufficit, quod recipiens Beneficium Parochiale approbetur ab Examinatoribus Synodalibus, *Garz. d. cap.2.n.165. Barbosa de Parochis d. cap.2.n.23. Parisius de Resignat. lib.8. cap.9.n.93. Tondut. lib.2. cap. 4. §.10. num.9. Ricciut resol.367.*

Quartò non requiritur formalis concursus, ubi confertur dignitas in Cathe-
15 drali,vel Collegiata, vel Abbatiali Ecclesia, cui unita est Cura Animarum; nam hoc casu sufficit, quod electus fuerit idoneus habitus ad Curam ipsam per examen coram Examinatoribus, *Garz. de Benefic. part.9.cap.2.n.193. cum seq. Barbosa de Paroch. cap.2.n.27. idem alleg.60. n.25. Gonzalez ad Regul.8. Cancell. glossa 6. n.162. Gratian. discept. forens. cap.273.n.48. Fagnan. in cap.cum sit eos n.27. de ætate, & qualit. Pax Jord. sup.n.97. Rota in recent.part.10. decis.48. n.2.*

Quintò Parochia unita Canonicatui, concursu formali non est conferenda;
16 nam sequitur naturam Canonicatus, ut scilicet, sicuti Canonicatus obtineri possit absque concursu, ita Parochialis ei unita. Requiritur verò, ut provisus examen subeat, ut de ejus idoneitate constare possit, *Ricclus d. resol. 265., Garz. de Benefic. part.12. cap. 2. n. 23. Barbosa d. alleg.60. n.26.*

Sextò non requiritur concursus formalis, ubi Cura Animarum habitualis
17 residet penes Capitulum Cathedralis, vel Collegiatę Ecclesiæ,quæ exerceatur per hebdomadarios, vel per Vicarium deputatum ad hoc,quo casu non confertur per formalem concursum, sed tantùm deputati ad Curam gerendam sunt examinandi, *Gonzal. sup. gloss.6.n.158. Riccius resol.358. Barbosa d. alleg. 60. Fagnan. in cap. cum sit eos n.20. cum sequent. de ætate, & qualit. Card. de Luca de Parochis disc.37. n.37. Rota recent. part.18. decis.516. per totam.*

Septimò formalis concursus non requiritur, ubicumque Parochiale Bene-
18 ficium fuerit annexum, & unitum Monasterio Regulari: quo casu, cum habitualis Cura dicatur residere penes Monasterium tantùm, Monasterium potest nominare subjectum habilem, & idoneum,qui approbandus erit per Episcopum, cujus est approbare, vel reprobare illum,*Barbosa d. alleg.60.n.31. Pax Jordau. sup.n.64. Fagn. sup. n.28. Card. de Luca d. disc.37. n.38. Rota recent. part.17.decis.10. n.2., & part.18. decis.32. n.6. & decis.192.193.*

Octavò non requiritur concursus formalis, quoties, apposito Edicto pro ipsa provisione facienda de Beneficio Curato,nullus compareat ad se subjiciendum
19 examini; ac proinde, dato novo termino, eoque elapso, & nemine comparente, potest hoc casu Episcopus conferre Beneficium soli Beneviso, dummodo tamen fuerit examinatus, atque approbatus, & non aliter, *Garz. de Benefic. part.2. cap.2.num.218. Pax Jordan. sup. lib.10. tit.8. n.78. Card. de Luc. de Parochis disc.2. n.7., & disc.37. n.8.*

Nonò Vicaria perpetua,unita Parochię, potest conferri nullo praecedente con-
20 cursu: sed ad nominationem, seu præsentationem illius, cujus Dignitati, seu Beneficio, Parochiale Beneficium est unitum, Vicarius deputandus est, & instituendus, prævio tamen examine, atque approbatione ab Ordinario loci obtinenda, ut habetur ex Constitutione S. Pii V. incipien. *Ad exequendum*, *Card. de Luca d. disc.37. n.38., Lotter. de re Benefic. lib.2. part.31.num.21. & Doctores passim.*

Decimò concursus formalis non requiritur in Collatione Parochialis,quæ
21 solita sit conferri Regularibus, *Garz. sup.*

sup. num. 197. Gonzalez sup. d. glossa 6. num. 162. Fagnan. in cap. ad nostram num. 22. de Elect. Barbosa d. alleg. 60. *num. 33. Ugolin. de offic. Episcop. cap. 5. §. 3. vers. 4. Pax Jordan. sup. n. 88. Rota in recent. part. 2. decis. 326. num. 6. & Doctores passim.*

Undecimò non requiritur concursus
22 in Prioratu solito dari in Commendam Regularibus, *Garz. sup. n. 199. Barbosa de Parochis cap. 2. num. 22., idem alleg. 60. n. 74. Fagnan. in cap. cum sit cos à n. 37. ad* 41. *de ætate, & qualit.*

Duodecimò non requiritur concursus in Parochialibus, quæ obtinentur
23 per regressum, ex quo regrediens possederit prius Beneficium ipsum Parochiale: secus tamen esset si nunquam illud possedisset, *Garz. sup. n. 168. Barbosa d. alleg.* 60. *n.* 34.

Decimotertiò concursus non requiritur, ubicumque Parochiale Beneficium
24 vacaverit in Curia, & apud Sanctam Sedem, attento decreto de dimittenda propter assecutionem alterius Beneficii, quo casu hujusmodi Parochiale Beneficium ita dimissum, solet concedi per Datariam, nullo facto concursu; opus tamen est, quod provisus examinetur per Examinatores Urbis super illius sufficientia, *Garz. sup. n. 113. Barbosa de Parochis cap. 2. num. 25.*

Decimoquartò non requiritur concursus, ubi conferenda erit Parochialis,
25 devoluta ad Sanctam Sedem, ob non factam collationem intra legitimum tempus ab Episcopo, ut habetur ex *Constitutione S. Pii V. In conferendis §. Insuper*. Hoc idem procedit, ubi non fuerit servata forma præscripta à Tridentino; quia tunc quoque, uti devoluta
26 ad Sanctam Sedem, conferenda est absque concursu, dummodo provisus mediante examine repertus fuit idoneus, *Vivian. de Jurepatronat. lib. 10. cap. 1. n. 55., cum duobus sequentibus*, & ita passim servatur.

Decimoquintò non requiritur concursus, ubi agitur de providenda Paro-
27 chiali litigiosa, *Riccius resol. 358. Barbosa de Parochis cap. 2. num. 170.*, & ad *Trident. d. cap. 18.*

Decimosextò non requiritur concursus, ubi providenda erit Parochialis exi-
28 gui redditus, aut nullius, eo quia nemo, propter illius paupertatem, vellet se examini subjicere, *Barbosa de Parochis cap. 2. num. 16. Pax Jordan. suprà num. 77.*

Decimoseptimò non requiritur concursus in Collatione Parochialis novi-
29 ter erectæ, etiam cum dismembratione alterius; nam pro prima vice est in arbitrio Ordinarii conferre illam absque concursu, dummodo provisus fuerit habilis, & pro idoneo ab Examinatoribus Synodalibus repertus, *Pax Jordan. lucubrat. Canonic. lib. 10. tit. 8. num. 102.* ubi *Doctores*.

Decimooctavò, & ultimo, non requiritur concursus in Collatione Bene-
30 ficii Parochialis uniti Ecclesiæ Religionis Hierosolymitanæ, sed solum examen cum approbatione Vicarii deputati pro gubernio, & Cura Parochiæ, *Sacra Congreg. Concil. in una Augustana 4. Decembris* 1631. & in *Gurgen. 7. Augusti* 1688. *ad dub.* 1.

Opus tamen est quod ipse Vicarius deputatus fuerit examinatus ab Exami-
31 natoribus Synodalibus coram Episcopo, ut ex *d. Gurgen. ad dub.* 2.

Qui ratione Curæ valet visitari ab
32 Episcopo, ut in *d. Gurgen. ad dub. 9.*

Ac tenetur accedere ad Synodum
33 Diœcesanam, ut *ibi ad dub.* 11.

ARGUMENTUM.

Concursus in provisionibus Parochialium de Jurepatronatus Ecclesiastici an sit necessarius, ubi per immemorabilem consuetudinem aliter videretur servatum?

SUMMARIUM.

1 *Beneficium Curatum de Jurepatronatus Ecclesiastico provideri debet per concursum.*

Quid autem si à tempore immemorabili collatum fuerit absque concursu, num. 2. & seq.

3 *Immemorabilis semper præservata censetur, ubi ei specialiter derogatum non fuerit.*

4 Con-

4 *Consuetudo allegari non potest legi contraria, antequam lex ipsa lata fuisset.*
5 *Immemorabilis cessat, ubi constet de initio.*
6 *Decretum irritans inficit contrariam possessionem.*
7 *Episcopi non præsumuntur quòd permisissent, Parochiam per tempus immemorabile provideri absque concursu, quatenus fuisset conferenda per concursum*, & num.12.
8 *Episcopus debet esse solicitus de observantia decretorum Sacri Tridentini Concilii.*
9 *Tempus immemorabile, sive centenarium, facit præsumi contigisse omnes casus possibiles.*
10 *Parochialis impetrari potest juxtà Constitutionem Pianam, ob non servatam formam concursus.*
11 *Concursus in Collatione Parochiæ de Jurepatronatus Ecclesiastico eo minus requiritur, ubi positivè constet, fuisse illam provisam per tempus centenarium cum sola approbatione Præsentati.*
13 *Consuetudo immemorabilis operatur etiam contra Concilium Tridentinum, & Constitutionem Pianam super forma providendi Parochialem.*
14 *Immemorabilis sublata non remanet per decretum irritans*, & num.13
15 *Immemorabilis observantia facit præsumi conformem legem fundationis, omnemque alium magis proficuum titulum.*
16 *Concursus non requiritur in provisione Parochialis de Jurepatronatus laicorum.*
Neque in Parochialibus unitis, sive annexis Ecclesiis Regularium, n.17. & seq.
19 *Immemorabilis an effectum operetur ubi allegetur initium.*
20 *Decretum irritans continetur in singulis decretis Concilii Tridentini.*
21 *Centenaria potest allegari in linea præscriptiva, atque in linea præsumptiva*, & num.22.
23 *Decretum irritans inficit possessionem centenariam allegatam in linea præscriptiva, non verò si centenaria allegetur in linea præsumptiva.*

DISCEPTATIO XXXII.

PER ea, quæ demonstravimus suprà in *præcedenti Disceptatione*, Beneficia Curata non aliter conferri valent, quàm præcedente Concursu. An autem hoc procedere valeat in Beneficiis Parochialibus de Jurepatronatus Ecclesiastico: & pro affirmativa sententia, conclusimus in *præcedenti vers. Beneficium Parochiale*. Superest autem examinanda quæstio, an Beneficium Parochiale de Jurepatronatus Ecclesiastico, quod ab immemorabili tempore fuit collatum,
1 nullo præcedente concursu, debeat similiter imposterum ita conferri, nihil obstante dispositione *Trident. sess.* 24. *cap.*18. *de Reform.*

Et circa præsentem quæstionem nonnulli putant, adhuc, dicta consuetudine non obstante, Beneficium hujusmodi aliter conferri non posse, quàm per Concursum, ut cetera Beneficia Parochia-
2 lia; ita ut nulla etiam immemorabilis observantia suffragari possit; ad tollendam hanc formam providendi propter decretum irritans adjectum in *dispositione Conciliari*, & *Constitutionem* 33. *d. S. Pii V.*, ita *Rota part.*18. *recent. decis.*192. *num.*10. *Novarien. Parochialis loci Costi, super manutentione* 27. *Januarii* 1710. §. *fin. coram Priolo* ibi = *Quod si eo vel magis procedit, dum assistentia juris, quam habet Reverendissimus Episcopus pro indicando concursu fundatur in dispositione Sacri Concilii Tridentini sess.*24. *cap.*18. *de Reform. & Constitut.* 33. *S. Pii V.*

Neque valet dici, immemorabilem numquam censeri sublatam, nisi per spe-
3 cialem derogationem illius, quam proinde si Concilium non expressit, dicitur illam præservasse, exemplo aliorum decretorum ipsius Concilii, quæ ubi voluerunt immemorabili specialiter derogare, derogarunt, ut dicit *Rota coram Ubaldo decis.*257. *n.*5., *& coram Celso decis.*52. *n.*4., *& coram Ubago decis.*62. *n.*7. *Novarien. Parochialis S. Martini* 22. *Junii* 1705. §. *Et nihilominus coram Caprara, & Legionen. Parochialis* 11. *Januarii* 1706. *coram Kaunitz* §. *Quibus*.

Ete-

Etenim ista immemorabilis observantia negativa concursus in Parochialibus, vel est consideranda ex parte antea, idest antequam supervenerit hujusmodi dispositio Conciliaris, vel à parte postea: Et desumentes primam partem, nimirum ex parte antea, scilicet antequam supervenisset ista dispositio Conciliaris, & hoc casu est impossi-
4 bile; nam impossibile est, quòd potuerit nasci consuetudo, seu præscriptio exclusiva formæ concursus, antequam nasceretur ipsa forma concursus, *Rota in d. Novarien. §. Hic autem tollitur*, ubi alii.

Aut verò desumitur immemorabilis à parte postea, scillcèt post Concilium;
5 & est pariter impossibile; quia dato initio, non amplius datur immemorabilis, sed solùm centenaria: ista autem nec allegari valet, quia decretum irritans,
6 quo utitur Concilium Tridentinum, & Constitutio Piana, adeo irritat contrarium actum, ut non permittat ullo tempore aliquam inchoare posse consuetudinem, vel præscriptionem etiam centenariam, *Card. de Luca de Jurisd. disc. 95. n. 7. Pignatell. consult. Canonic. tom. 1. cons. 134. num. 16. Rota recent. part. 18. decis. 192. n. 10.*

Verùm, his non obstantibus, verior sententia est, ut stante immemorabili consuetudine conferendi hujusmodi Beneficia, nullo requisito formali concursu, illa sequenda sit. Posito igitur quòd Ecclesia usque ab initio, fuerit collata non præcedente concursu, ac imposterum ita fuerit collata, etiam per tempus annorum centum, prævio tantùm
7 examine ipsius præsentati; non exindè requiritur concursus; etenim si Beneficium hujusmodi cum fuisset liberum ab hoc onere concursus, Episcopi pro tem-
8 pore, qui præsumuntur cordi habere observantiam Decretorum Concilii, non permisissent per lapsum tanti temporis Beneficium hujusmodi conferri absque concursu, *Gonzalez ad Regul. 8. Cancell. glossa 18. à n. 45., & glossa 33. num. 4. Gratian. discept. forens. cap. 578. n. 11. Rota coram Ubago decis. 52. n. 2., & in d. Novarien. Parochialis Sancti Martini 2. Julii 1706. §. Nibilominus coram Ansaldo. Novarien. Parochialis 16. Decembris 1707. §. Atque hinc coram eodem, Legionen. Parochialis 11. Januarii 1706. §. Quibus coram Kaunitz.*

Imò hæc eadem negativa consuetudo ferè immemorabilis facit præsumi, Papam, respectu hujusmodi Parochialis,
9 concursum servari noluisse: eo quia verisimile non est, in adeo longævo temporis decursu nullam contigisse vacationem in mensibus reservatis: ita *Rota in recent. part. 19. decis. 661. n. 11., & in Compostellana Parochialium 13. Martii 1716. §. Indubitantius coram Ansaldo.*

Idem facit pro exclusione concursus: etenim ubicumque concursus esset necessarius, operaretur hoc, quod in tam longum temporis cursu aliquis sibi impetravisset Beneficium Parochiale hujusmodi, uti de devoluto ad Datariam, ob non servatam formam concursus, prout impetrari permittitur vigore *Pianæ Constitutionis*, quod importat esse om-
10 nibus notum, hujusmodi Parochialem esse providendam nullo requisito concursu, & sic esse exemptam, vel lege fundationis, vel privilegio ab onere concursus, *Card. de Luca de Jurepatronat. disc. 57. n. 16. Gratian. disc. forens. cap. 78. n. 35. Rota recent. part. 6. decis. 314. n. 9., & part. 7. decis. 207. num. 6.*

Eoque fortiùs urgeret dicta observantia, si nedum nulla adduceretur facta provisio per concursum spatio centenarii temporis, verùm insuper probaretur per depositiones plurium testium,
11 ac validas scripturas, consuetudo immemorabilis conferendi Parochialem cum approbatione tantùm præsentati, absque concursu, non enim verisimile est, Episcopos loci fuisse negligentes in curando eo, quod videtur di-
12 spositum per Tridentinum, eo magis ubi lapsum est tantum tempus, ut dicit *Ansald. decis. 78. num. 71. in addit., & Rota in una Neritonen. Jurispatronat. super bono jure 26. Februarii 1703. §. Nec ad eruendam coram Priolo, Cremonen. Beneficii 11. Maji 1705. §. Nec provisioni coram Kaunitz, & in d. Legionen. §. Istæque.*

Planum enim videtur consuetudinem prædictam operari, & contra Concilia-
13 rem dispositionem, ac pariter contra Pia-

Pianam Constitutionem, de qua suprà, super indictione concursus editam, ut docet *Pilvia decis. Pontific. lib. 3. decis.* 1. *n.* 144. *circa finem*. *Rota coram Ubago decis.* 52. *ex num.* 2. *ad* 8. *Novarien. Parochialis* 22. *Junii* 1705. §. *Et nihilominus*, *&* *in eadem super Manutentione* §. *Non resultante*, *coram Caprara*, *&* *in d. Legionen.* §. *Quibus præmissis*.

Non obstante Decreto irritanti, ac clausulâ *sublata* adjecta in confirmatione Concilii, ac in Bulla Piana, ex
14 quibus prætenditur, infectam esse tam
antecedentem, quam subsequentem possessionem; Quia per Decretum qantumcumque detractivum contrariæ consuetudinis, nunquam censetur sublata immemorabilis, nisi de ea fiat specifica mentio, *Gratian. discept. forens. cap.* 492. *num.* 6. *Barbosa ad Tridentin. sess.* 24. *cap.* 10. *de Reform. sub n.* 25. *Panimolla decis.* 1. *annot.* 10. *num.* 23. *&* *annot.* 11. *num.* 38. *Rota recent. part.* 2. *decis.* 242. *&* 610. Et in terminis annunciatæ Pianæ Constitutionis 33. *Rota rec. part.* 9. *decis.* 197. *num.* 5. *&* *part.* 18. *decis.* 516. *num.* 16. *Tarraconen. Parochialis* 2. *Maji* 1698. §. *Quia*, *coram dell'Olmo*, *&* *in d. Legionen.* §. *Quibus*.

Operatur ista immemorabilis, ut faciat præsumere contrariam legem fun-
15 dationis, ac etiam Privilegium Apostolicum, ac pariter quemcumque alium meliorem titulum: unde sequitur, ut valeat allegari adversus quemlibet contrariam sanctionem, licet suffultam clausulâ *sublata*. ac decreto irritanti, *Card. de Luca de Benefic. disc.* 32. *num.* 2. *&* 4. *Rota in Derthusen. Jurisdictionis* 6. *Februarii* 1696. §. *Et dispositione coram Pio in Legionen. Parochialis* 11. *Januarii* 1706. *coram Kaunitz* §. *Quibus*, *in fine*.

Crescit argumenti evidentia, si perpendatur, quòd prædicta consuetudo non potest censeri nec contra bonos mores, nec contra Divinam legem. Passim enim videmus, concursum non requiri in quampluribus; Primò in providen-
16 dis Parochialibus de Jurepatronatus
laicorum, ut dicit *Fagnan. in cap. cum ad nostram*, *n.* 28. *de Elect. Marga de Benefic. quæst.* 3. *n.* 55. Secundò in Pa-
17 rochialibus unitis, ac de Mensâ, *Rota*
decis. 788. *num.* 1. *&* *decis.* 1701. *coram Emerix Jun.* Tertiò in Parochialibus
18 annexis Ecclesiæ Regularium, *Fagnan.*
supra sub num. 22. *Barbosa de Parochis part.* 1. *cap.* 2. *n.* 15. *&* *sequent.* ubi de aliis casibus, *Nos latè in præcedenti Disceptatione*.

Et respondendo ad objecta pro prima sententia, quoad primum, quòd etiam stante immemorabili non censentur derogatum dispositioni Tridentini, & Pianæ Constitutioni; dicimus quod licèt sit impossibile dari immemorabilem in hoc casu à parte antea, seu ante Concilium; attamen non est impossibile dari
19 à parte postea, seù post Concilium; etenim
non omne initium excludit immemorabilem; nam simul benè possunt stare initium, & immemorabilis, ut pluribus exemplis de more suo ratiocinatur *Card. de Luca de alienat. disc.* 3. *n.* 21. ubi *Doctores*.

Sed etiam per hypothesim dato quod sit impossibile dari immemorabilem à parte postea, seu post Concilium, &
20 quod solum fit possibilis post Concilium
centenaria, adhuc dicendum est, vigore istius negativæ observantiæ centenariæ, non esse necessarium concursum in provisione hujusmodi Parochialis Ecclesiæ de Jurepatronatus Ecclesiastico,
21 non obstante Decreto irritanti, quod
continent omnia decreta Concilii.

Quoniam præsupponendum est, centenariam observantiam sumi posse in linea præscriptionis, seù uti præscriptionem contrarii usus, & destructivam formæ concursus demandatæ à Concilio in
22 provisionibus Parochialium de Jurepa-
tronatus Ecclesiastico, & in linea possibilitatis allegandi legem fundationis exclusivam concursus, aut alterius tituli, ut benè *Card. de Luca de Alienat. disc.* 3. *num.* 14. *&* *seq.* *&* *de Regular. disc.* 51. *num.* 12.

Hoc præmisso, breviter dicimus, quod licèt Decretum irritans inficiat, & ir-
23 ritet possessionem, seu observantiam
centenariam in linea præscriptionis, seu uti præscriptivam, & destructivam dispositionis Conciliaris, *juxta auctoritates relatas suprà pro prima sententia*.

Attamen non inficit, nec annullat observantiam centenariam, ut illativam possi-

possibilitatis legis fundationis exclusivæ formæ concursus, seu non impedit vim
24 & efficaciam, seu facultatem allegandi legem fundationis, aut alium titulum meliorem de stando, quam tribuit tempus antiquissimum, *Card. de Luca de alienat. disc. 2. num. 8. & de Benefic. disc. 65. num. 18. & de Parochis disc. 24. n. 14. Gratian. discept. forens. cap. 578. n. 11. Rot. in una Novarien. Parochialis 2. Julii 1706. §. Nihilominus coram Ansaldo, Novarien. Parochialis 16. Decembris 1707. §. Atque hinc, coram eodem.*

ARGUMENTUM.

De Parochiali Ecclesia, quoad illius novam erectionem, etiam cum dismembratione alterius: & quatenus, ac quibus servatis illa erit erigenda, notabilia.

SUMMARIUM.

1 *Nova Parochia quibus casibus erigi valeat.*

5 *In erectione novæ Parochiæ citandus est Rector Parochiæ antiquæ, quamvis, eo etiam invito, ad novæ Parochiæ constructionem procedi valeat*, & num. 6.

7 *Nova Parochia erigenda est, legitimi Superioris præcedente consensu, qualis est Episcopus Loci Ordinarius, vel ejus Vicarius Speciale ad hoc habens mandatum.*

8 *Parochia quibus concurrentibus conjecturis, pro legitimè erecta habenda sit.*

9 *Parochia noviter erigenda debet esse congrua dote provisa.*

10 *Nova Parochia erigi potest etiam cum dismembratione redditnum antiquæ, quatenus iidem redditus utrique sufficiant, sin minus Episcopus potest compellere Parochianos, ut de congrua alimonia Parocho novæ Ecclesiæ correspondeant.*

11 *Juspatronatus acquiritur ex dotatione; dotatio tamen qualis esse debeat*, num. 12.

13 *Dos novæ Parochiæ ubi assignata fuerit juxta loci consuetudinem, opus non est, ut augeatur usque ad congruam Concillarem.*

14 *Rector Ecclesiæ dotatæ ex fructibus matricis præsentandus est à Parocho ejusdem matricis Ecclesiæ.*

15 *Si Ecclesiæ alter Fundator sit, alter verò eam dotaverit, ambo jus præsentandi acquirunt*, & num. 16.

17 *Cura novæ Parochiæ, postquam fuerit certis finibus designata, committenda est unico Presbytero veluti ejus Sponso.*

18 *Duo Capita in unico corpore constituere, monstruosum est*, & num. 19.

20 *Ejusdem Parochiæ plures Parochi esse nequeunt; Curæ tamen exercitium bene potest dividi*, & num. 21.

DISCEPTATIO XXXIII.

AD materiam, de qua loquimur, sequitur, ut videamus hìc quid de nova erectione Parochialis Ecclesiæ, etiam cum dismembratione alterius Parochiæ.
1 Nova igitur Parochia erigi potest in quampluribus casibus, etiam cum dismembratione alterius, ut ex infra adnectendis. Et

Primò, ubicumque plures familiæ saltem numero decem conventæ in unum locum ibi simul cohabitent, ne illæ detrimentum in spiritualibus patiantur, possunt de licentia Episcopi loci Ordinarii Ecclesiam construere, & ab eo petere, ut de Pastore, & Rectore
2 provideantur, assignata ab eisdem certa annua, vel menstrua summa pro manutentione tàm Rectoris, quàm Ecclesiæ Parochialis; quod passim servatur.

Secundò, potest erigi nova Parochia etiam cum dismembratione alteriùs, ubicumque ob difficultatem accedendi ad Ecclesiam Parochialem antiquam, sine magno incommodo, vel periculo,
3 Parochiani non valent accedere, ad percipienda Sacramenta, & divina Officia audienda: hoc enim casu potest Episcopus loci Ordinarius novam constituere Ecclesiam, cum assignatione Rectoris, etiam invitis aliis Rectoribus Parochialium Ecclesiarum, ad *Text. in cap. Ad audientiam, de Ecclesiis ædificandis*, ubi *Fagnan. n. 1.* cum quo concordat *Tridentin. sess. 21. cap. 4. de Reform.* ibi = *Sine.*

Sine magno incommodo, & *Doctores* passim.

Tertiò, datur alia causa construendi
novam Ecclesiam Parochialem, etiam
cum dismembratione alterius, & cum
separatione Territorii, videlicèt, cùm
multitudo Fidelium excreverit, itaut
omnes concurrere non possint in eadem
Ecclesia, & ibi commodè Sacramenta
4 percipere, quo casu valet Episcopus
etiam cum dismembratione alterius Parochialis novam Ecclesiam Parochialem erigere, ut ex *d. cap. ad Audientiam*, ubi *Canonistæ*, & ita ex *Trid. suprà*. Potest in casu prædicto Episcopus loci Ordinarius mandare, ut construatur alia Ecclesia intra confines Parochiæ, deputando illi Cappellanum, ad hoc ut possint Parochiani ibi degentes Sacramenta, & alia munia spiritualia recipere, cum debita congrua ex redditibus Matricis Ecclesiæ.

In ipsa erectione novæ Parochialis
opus est ut citetur, & moneatur Re-
5 ctor antiquæ, licèt ipsa fieri possit, ut
diximus suprà, etiam invito Rectore; attamen fieri nequit, eo non citato, & monito, cum agatur de illius summo præjudicio, ad *Text. in cap. multis consiliis cap. Felix 16. quæst. 1. Lupus alleg. 66.*

Undè ad novam erectionem non est
6 procedendum, Rectore antiquæ Parochiæ non monito, & ita *Fagnan. in cap. ad Audientiam supra num. 29.* ubi *resolutio Sacræ Congregationis*.

Legitimi superioris requiritur auctoritas, ut ipsa Constitutio novæ Paro-
7 chiæ fiat cum dismembratione alterius, qui Superior legitimus ad hunc effectum dicitur Episcopus loci Ordinarius, vel ejus Vicarius Generalis, dummodo habeat speciale mandatum ad hoc, & tunc poterit is designare fines Parochiæ, ad *Text. in cap. nullus 16. quæst. 7. Ugolin. de offic. Episc. cap. 53.*, ubi alii *Doctores*.

Præsumitur erecta auctoritate, &
consensu Episcopi ex lapsu magni tem-
8 poris, quando in illa fuerunt celebrata divina Officia, ac exercita munera Parochialia, *Comitol. Bonell. de sacrosanctis Ecclesiis n. 7.*, *Barbosa de Parochis cap. 1. num. 38. cum seq.*

At quia nemo debet propriis stipendiis militare, requiritur, ut Ecclesia
9 ipsa Parochialis noviter erecta habeat suam dotem congruentem pro manutentione Rectoris, & pro iis, quibus indiget Ecclesia; nam aliter sine dote quomodo Rector sustentari valebit, quomodo Ecclesiæ onera is subire poterit? Itaque, ut dixi cum *Textu in dicto cap. ad Audientiam*, si bona antiquæ Parochiæ sufficiant tàm pro sustentatio-
10 ne Rectoris illius, quàm Rectoris Ecclesiæ noviter erigendæ, ex fructibus antiquæ, possunt dismembrari redditus pro congrua sustentatione novi Rectoris, qui ei sublevamen est in onere; aliàs Episcopus potest uti legis auxilio, prout de Jure, videlicet cogendo Parochianos, ut subministrent alimenta eorum proprio Rectori, & Pastori, *Fagnan. suprà num. 32.*, ubi *Doctores*.

Quoties verò Ecclesia Parochialis dotata fuerit ab aliquo Particulari, tunc
11 in illa videtur acquisivisse Juspatronatus; ac proindè ad illum spectat in casu vacationis præsentare Episcopo Clericum idoneum, ut ab eo instituatur, ad acquirendum verò Juspatronatus ex hujusmodi dotatione opus est, quòd dos
12 non sit tenuis, sed saltem ducatorum centum, *Vivian. de Jurepatronat. lib. 2. cap. 4. num. 18. cum sequentibus*, *Rota in recent. part. 15. decis. 174. num. 4. & 5.*

Quoties verò dos ab initio fuerit congrua pro sustentatione Rectoris, atten-
13 ta loci consuetudine, quamvis non juxta statutum per Tridentinum, videlicèt ut habeat Rector centum, hoc casu Fundator Parochialis Ecclesiæ non debet cogi ad augendam dotem usque ad dicta scuta centum, ut docet *Sacra Congreg. Concil. in una Asten. 15. Decembris 1646.*, *Pignatell. consult. Canonic. tom. 1. consult. 276.*, & alibi *Doctores* passim.

At si nova Ecclesia dotata fuerit ex
redditibus ad Matricem Ecclesiam per-
14 tinentibus, vel ad aliam Parochialem Ecclesiam dismembratam, planum est, Jus præsentandi Sacerdotem spectare ad Rectorem Matricis Ecclesiæ, ad literam *Textus in cap. ad Audientiam de Eccles. ædific.*, ubi *Fagnan. n. 35.*

Si verò alter fundavit Ecclesiam, vel partem dotis dederit; hoc casu videtur
15 & ipse acquisivisse Juspatronatus in illa: meritò proindè in hoc casu duo erunt Patroni Parochialis noviter erectæ, videlicet Ecclesia Matrix ex causa dotationis, quia ex propriis bonis eam do-
16 tavit, & Fundator ex causa fundationis, ex quo dedit fundum, ad *Text. in dicto cap. ad Audientiam*, ubi *Fagnan. n.36.* & *Nos* latè *lib.14. de Jurepatronat.*

Constituta, & limitata Parochia, cum suis limitibus, & confiniis, tota
17 illius Cura uni tantum Presbytero, qui vocatur communiter *Parochus*, committitur, ut in ea Gregi sibi commisso Sacramenta ministret, ac illum verbo Dei pascat. Undè non valent plures Recto-
18 res constitui; etenim sicuti una mulier non potest duos sponsos habere, *cap.1. de Sponsa duor.* ubi *Doctores*.

Nec unum corpus duo Capita, quia esset monstruosum, ad *Text. in cap. quia plerisque de Offic. Ordin.* ita in una Ec-
19 clesia Parochiali non valent constitui plures Rectores, *cap. cum non ignores de præbendis cap. in apibus 7. quæst.1. cap. sicut 21. qu.2. Rota recent. part.15. decis.39. n.1. & part.16. decis.90. n.1. & per totam*.

Quamvis Parochialis Ecclesia debeat regi ab uno tantùm Pastore, & Rectore,
20 quocumque nomine vocetur: attamen exercitium Parochialitatis potest esse penes plures Rectores, Hebdomadarios, Capellanos, vel similes, & sic in ministerio Curæ omnes ministrare valent, & ubi vocati fuerint, ministrare tenentur, ut inquit *Innocent. in d. cap. cum non ignores de præbendis*, *Rota d. decis.90. num.10.* & ita passim.

Vidi autem servatum in nonnullis locis Calabriæ, quod Sacerdotes partici-
21 pant de redditibus Parochiæ, & tantùm Parochus habet duplicatam partem, reliqui verò partem simplicem, dummodo actu inserviant, & Curam habeant populi, ut Coadjutores Parochi, quod non videtur monstruosum, imo laudabile.

ARGUMENTUM.

De Collatione Parochialis Ecclesiæ, ubi an, & quatenus conferre illud, spectet ad Episcopum Loci Ordinarium, qui concursum convocaverit, vel ad alium Prælatum inferiorem Episcopo, in cujus Territorio existit Ecclesia.

SUMMARIUM.

1 *Collatio in materia Beneficiaria quid sit.*
2 *Laicus est incapax Collationis tam activæ quàm passivè.*
3 *Collatio Beneficii esse debet gratuita.*
4 *Beneficii pleni Collatio dari nequit.*
5 *Collatio Beneficii facienda est Clerico idoneo.*
6 *Beneficium non confertur in invitum.*
7 *Beneficiorum Ordinarius Collator est Episcopus.*
8 *Jus conferendi potest ex privilegio, seu consuetudine competere Prælato inferiori*, & num.9.
10 *Praxis traditur providendi Parochialem de collatione Prælati inferioris non habentis jus convocandi Synodum*, & num.11.
12 *Collatio Beneficii facienda est per Ordinarium Collatorem intra sex menses à die scientiæ*, & num.13.
13 *Tempus non currit ignoranti.*
14 *Collatio devolvitur propter negligentiam Collatoris inferioris.*
15 *Institutio ad Beneficium Curatum de Jurepatronatus fieri debet ab Ordinario infrà duos menses à die secutæ præsentationis, aliàs devolvitur ad Superiorem.*
16 *Collatio Parochialis ad quem spectet, ubi appellatum fuerit à mala electione Episcopi*, & num.17.
18 *Inter duos provisos de Beneficio præfertur qui est prior in tempore.*
19 *Prior in tempore est potior in jure.*

DI-

DISCEPTATIO XXXIV.

POsitis his, quæ pertinet ad materiam
Edicti, Concursus, Examinis, & ele-
1 ctionis unius ex approbatis ab ipsis Exa-
minatoribus, restat, ut de Collatio-
ne ipsa aliquid dicamus, & priùs quid
sit Collatio. *Collatio* in materia, de
qua agimus, est *actus jurisdictionis Ec-
clesiasticæ, per quem Collator gratis con-
cedit Beneficium vacans alicui Clerico,
idoneo reperto, & acceptanti illud sibi
oblatum*: ita colligitur ex *Textu in
cap. propofuit cap. quia diversitatem cap.
nostris de concess. præbendæ*.

Dixi: *actus jurisdictionis Ecclesiasti-
cæ*; etenim laici non valent conferre
2 Beneficia; nam laicus tàm activè, quàm
passivè incapax est Collationis; undè
non valet obtinere, aut conferre illud,
ut *suis locis* latè.

Dixi: *per quam Beneficium gratis
conceditur*; etenim Collator illud gra-
3 tis concedere debet, tanquam donum
quasi spirituale, juxta illud *Matth.* 10.
Gratis accepistis, gratis date, aliàs, ali-
quid recipiendo, loco pretii, simoniam
committit.

Dixi: *Beneficium vacans*; nam Be-
4 neficium plenum, scilicet habens suum
Rectorem, alteri conferri nequit.

Dixi: *Clerico idoneo*; nam Clericus
5 debet esse idoneus, & ad hoc fuit intro-
ductum examen à *Tridentin.*

Dixi: *acceptanti illud*; nam nolen-
6 ti Beneficium non est conferendum.

Sequitur, ut videamus ad quem spe-
ctet Collatio ipsa Parochialis Beneficii:
& in hoc spectanda erit qualitas illius,
7 ut *Nos infrà*; generaliter verò dicimus,
Collationem spectare ad Episcopum lo-
ci Ordinarium; cùm ipse omnimodam
jurisdictionem habeat in sua Diœcesi,
ad *Text. in cap. omnes Basilicæ cap. nul-
lus 16. quæst. 7. cap. conquerente de Of-
fic. Ordin. Barbosa de Episcop. alleg. 57.
Rota recent. part. 4. decis. 731. num. 5.*
& *Doctores* passim.

Dixi: *jure Ordinario*; etenim non
semel vigore privilegii Abbates, Præ-
8 lati inferiores, & similes jus habent con-
ferendi Beneficia, *cap. fin. de Institut.
Clem. 1. de suppl. neglig. Prælat.*

Sicuti Canonicorum Capitulum pa-
riter aliquando jus habet conferendi
9 Beneficia, etiam Parochialia *cap. pro-
posuit de concess. præbendæ in 6.*

Ea tamen est differentia inter unum,
& alterum Collatorem; nam ubicun-
10 que jure Ordinario Collatio spectat ad
Episcopum Ordinarium Loci, ipse, in-
dicto concursu, ac servatis omnibus,
ut in præcedentibus, conferre debet il-
lud uni ex approbatis ab Examinatori-
bus, & ubi plures habent æqualia vota,
accedere suo voto, cui magis placuerit,
& illi, quem magis dignum putaverit,
ut ex *Tridentin. d. cap.* 18.

Non ita dicendum videtur, quoties-
cumque Collatio spectat ad inferiorem
11 Episcopo, non habentem jus convocan-
di Synodum; hoc enim casu, data va-
catione, Episcopus, in cujus Diœcesi
est Beneficium, vel Episcopus vicinior
loci Nullius, peracto concursu, & exa-
mine, ex approbatis eligit digniorem,
& illum mittit ad suum Ordinarium, ut
ab eo recipiat Beneficia per Collatio-
nem, seu Institutionem, ut habetur ex
Tridentin. d. cap. 18. ibi: *Collatio Ec-
clesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam
conferre. Rota apud Vivianum decis.* 88.
& *recent. part.* 4. *decis.* 640.

Collator, quicumque ille fuerit, ubi-
cumque conferendum erit Beneficium
Parochiale liberæ Collationis, illud
12 conferre debet infra sex menses, nume-
randos à die vacationis, aliter, elapso
semestri, Collatio devolvitur ad S. Se-
dem, ut habetur ex sæpè citata Consti-
tutione Piana *In conferendis* §. 33. *Ro-
ta recent. part.* 19. *decis.* 395. *n.* 2., &
Nos latè *suis locis*, *ubi de Beneficiis*.

Sed melius dic, semestre tempus in-
cipere à die notitiæ mortis Parochi;
13 etenim contra ignorantem tempus, &
tempora non currunt, *Doctores commu-
niter*. Devolutio verò de qua supra, fit ad
Papam, vel alium Collatorem tantùm,
14 ad effectum supplendi negligentiam
Ordinarii Collatoris, ad *Text. in cap.
statutum de præbendis in 6. Barbosa al-
leg.* 58. *num.* 5., quæ dari nequit, ubi-
cumque non datur scientia vacationis,
ex quo Parochus non est in loco suæ re-
sidentiæ, sed abest ab illa, etiam de li-
centia Ordinarii.

Col-

Collatio verò Beneficii Parochialis de Jurepatronatus tàm Ecclesiastici,
15 quàm laicalis, facienda erit ab Ordinario infra duos menses à die factæ præsentationis, aliàs institutio devolvitur ad Metropolitanum, vel viciniorem Ordinarium, quatenus Metropolitanus fuerit Ordinarius, (servato tamen in omnibus examine) aut ad S. Sedem arbitrio Patronorum, qui possunt recurrere ad unum ex ipsis, ut benè ex ipsa *Piana Constitutione*.

Demum est videndum ad quem spectet Collatio Parochialis, quando quis
16 appellat à mala electione Episcopi ad Metropolitanum, vel ad quem appellari possit ad formam Pianæ Constitutionis, de qua supra: & tunc quia appellatio est plena, quoad utrumque effectum, probata irrationabilitate judicii Episcopi per Judicem appellationis, tunc pro ea vice Episcopus loci Ordinarius privatur sua facultate conferendi. Si verò Collatio spectet ad alium,
17 puta Abbatem, Prælatum inferiorem, Capitulum &c. tunc appellans remittitur à Judice appellationis ad Collatorem innocentem, puta Abbatem &c. ut conferat Beneficium, ita ex *d. Piana Constitutione* ibi: *Parochialis magis idoneo per eumdem Judicem appellationis auctoritate nostra, quatenus Collatio ad Episcopum, à quo appellatum fuit spectaret, alias eidem magis idoneo per Judicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eum, ad quem Collatio, provisio, vel institutio spectabit*.

Ubi duo provisi fuerint de una Parochiali Ecclesia, unus, ut dicitur, *in*
18 *forma dignum*, alter in forma gratiosa, illi conferenda erit, qui primo loco fuit provisus, *Sacra Congreg. Concil. in una Hydruntina* 8. *Junii* 1675. ex re-
19 gula juris satis nota: *Qui prior in tempore, potior in Jure*.



JOAN-

JOANNIS BAPTISTÆ
A R G Y R Ò
DISCEPTATIONES
ECCLESIASTICÆ,

De Clericis tàm in majoribus, quàm in minoribus ordinibus constitutis. Ubi qualis debeat esse illorum vita, & honestas? Quænam sint illorum privilegia? Quænam vitare debeant uti eis illicita, signanter cum mulieribus cohabitare, negotiationem exercere, in duello pugnare, ludere ludis prohibitis, crapulari. Rursus ibi, quid de peculio Clericorum acquisito ex bonis Ecclesiæ: quid de Clerico excommunicato, suspenso, vel interdicto ministrante: quid de Clerico infirmo, an privandus sit Beneficio, vel ei dandus Coadjutor: quid de Clericis conjugatis: quid de Clericis bigamis: quid de Clericis sub ritu græco: quid de Clericis silvaticis, ad diversos titulos decretalium.

LIBER VIII. DISCEPTATIONES XXXVIII.

ARGUMENTUM.

Clerici nomen undè dicitur? Quinam sub hoc nomine comprehendantur? Quæ sit Clericorum dignitas, auctoritas, & potestas, demonstratur.

SUMMARIUM.

1 *Vox* Clericus *undè sumpserit originem.*
2 *Clerici vitam ducere debent honestam, ut aliis, verbis, atque exemplo prodesse possint.*
3 *Vox* Clericus *largo, ac stricto modo accipitur: & quinam in materia odiosa veniant appellatione Clericorum*, & num.4.
5 *Clericorum plures recensentur species*, & num.6. cum seqq.
8 *Clericis minoribus licet matrimonium carnale contrahere.*
9 *Clerici ritus Græci in quibus à Latinis discrepent.*
11 *Clericus bigamus amittit privilegia Clericalia.*
12 *Clerici Silvatici quinam nuncupentur.*
13 *Clerici digniores sunt laicis, tanquam in sortem Domini vocati.*
14 *Clericorum plures referuntur prærogativæ, ac privilegia*, & nn. seqq.
15 *Laicis nequaquam permissum est intra alterius Cancellos, sive Presbyterium orare, sive considere cum Clericis.*
Gratia tamen recipiendi Sanctissimam Eucharistiam illuc eis ingredi permittitur, num.16.
17 *Clericis non laicis permissum est Ecclesiastica munia subire, ac Beneficia Ecclesiastica obtinere.*
18 *Laicis illicitum est sacra vasa tangere, sive divina Officia celebrare*, & n.19.
20 *Potestas clavium Ecclesiæ residet apud Ecclesiæ Ministros.*

21 Cle-

21 *Clerici præcedunt laicis, atque etiam Regularibus*, num.22.

22 *Vita Clericorum quænam esse debeat, remissivè.*

DISCEPTATIO I.

CUm de Clericis hic agere vellm, operæ pretium duxi priùs demonstrare undè ortum sumpserit hoc nomen *Cleri-*
1 *cus*. Clericus igitur ortum habet à verbo Græco *Cleros*, quod Latinè idem sonat ac *sors*; nam Clerici in fortem Domini vocati sunt; unde si in fortem Domini electi fuere, non uti laici se gerere habent, sed speciali quodam modo, verbo, & exemplo se gerere debent, ut eorum vita, & honestas sit aliis exemplum;
2 nam de eis dicitur in sacris Paginis: *Vos estis sal Terræ: vos estis lux Mundi*.

Hoc nomen *Clericus* generale est, quod sumi potest largo, & stricto modo; largo enim modo sumpto, & in re
3 favorabili, sub hoc nomine veniunt non tantùm illi, qui in majoribus, vel minoribus Ordinibus sunt constituti, aut prima tonsura initiati, sed etiam in Dignitate positi: Necnon Religiosi professi, vel Novitii: Veniunt etiam conversi Regularium, Eremitæ, quatenus vitam ducant sub disciplina Ordinarii loci, *Fagnan. in cap. bonæ memoriæ num.8. de postulat. Prælat. Bellett. disquisit. Cleric. part.1. tit. de disciplina Cleric.* §.2., *Barbosa tract. var. appellat.51.* & *Doctores* communiter.

In materia verò stricta, & odiosa, cum scilicet agitur de pœna Clericis inferenda, aut de damno, vel incommo-
4 do Clericorum; tunc sub hoc nomine veniunt tantùm simplices Clerici, sive in minoribus, sive in majoribus Ordinibus constituti, non autem illi, qui in aliqua Dignitate sunt positi, uti sunt Episcopi, Abbates, & similes, *Dec. in cap. cum non liceat num.18. de præbendis*, *Bellett. sup. num.35.*, *Sanctarell. var. resol. quæst.38.n.10. Riccius resol.292. num.2.*, undè veniunt exclusi Episcopi, eoque magis S. R. E. Cardinales, *Bellett. suprà d.§.2.* necnon Canonici, & Dignitates Capituli *cap. sedes de Rescriptis*, *Berous consil.3. num.29. Barbosa tract. var. appellat.51. Fagnan. in cap. bonæ memoriæ n.5. & 12. de postulat. Prælatorum*.

Quoad secundum: Clerici, de quibus *Nos* infrà, alii dicuntur Seculares,
5 alii Regulares; Secularium unus est Ordo, licèt quamplures adsint Congregationes Sacerdotum secularium, uti de Congregatione Oratorii S. Philippi Nerii &c.

Regularium quamplures sunt Congregationes, iique dicuntur Clerici
6 Regulares, uti Clerici Regulares Theatini, Hospitalis, vitæ communis, Boni Jesu, S. Pauli, Sommaschæ, Matris Dei, Scholarum piarum, Societatis Jesu, Minorum Ministrantium Infirmis, ut de ipsis Clericis Regularibus, latè *suis locis*, ubi *de Regularibus lib.9.*

Pariter est notandum, quòd Clericorum quidam sunt Cœlibes, quidam verò
7 conjugati. Cœlibes sunt qui in statu manent Cœlibatus, quique ad majores Ordines possunt ascendere: Conjugati verò, qui licèt Ordines minores susceperint, nihilominus mutato consilio, matrimonium contraxerunt; etenim non
8 videtur interdictum Clericis Latinis, in minoribus existentibus, ne possint uxorem ducere, ut de his latiùs suis locis, ubi de eorum privilegiis; Dantur etiam & Clerici Græci. Isti, cum di-
9 cantur veri Ecclesiastici, gaudent iisdem privilegiis, ac Clerici Latini; atque perinde honestatem quoque vitæ servare tenentur: Hi in quamplurimis non conveniunt cum Latinis: etenim Cleri-
10 ci Græci, ducta uxore ascendere valent ad sacros Ordines, quod videtur denegatum Latinis. Non conveniunt pariter, quia Latini consecrant in pane azimo, Græci verò in pane fermentato.

Dantur etiam & Clerici bigami, videlicet, qui susceptis minoribus Ordinibus, vel duas uxores suscipiunt, vel unam non virginem, sed viduam: isti
11 in pœnam, licèt dicantur Clerici, ratione antea suscepti Ordinis, nihilominus non gaudent privilegiis Clericalibus, sicut antea gaudebant, ideoque Clericorum honestatem servare non tenentur.

Dantur quoque Clerici Silvatici, qui quidem Clerici non sunt, sed tali no-
12 mine nuncupantur, ratione servitii, quod

quod præstantEpiſcopo loci Ordinario,
vel Eccleſiæ, cui addicti ſunt ab ipſo
loci Ordinario: at quia iſti addicti vi-
dentur ſervitio Epiſcopi, vel Eccleſiæ,
pariter ſicuti quampluribus fruuntur
privilegiis, ita quoque quandam ho-
neſtatem vitæ ſervare tenentur, ut
ſuis locis.

Quoad tertium: ſequitur, ut videa-
mus, quæ ſit Clericorum dignitas. Cle-
13 rici, ſicuti aliàs diximus ſuprà, quia in
ſortem Domini vocati ſunt, eorum ma-
jeſtas ſuprà Laicos refulget; undè *in*
cap. quoniam 19. *quæſt*.3. de Sacro Ca-
thalogo eſſe dicuntur; proindè ſuprà
cęteros ſunt honorandi; & uti dicunt
communiter *Scribentes*, tanta eſt dif-
ferentia inter Clericum, & Laicum,
quanta inter Solem, & Lunam; un-
dè meritò quampluribus fruuntur præ-
rogativis, & privilegiis. Et

Primò, ubi Clerici tenentur jura-
re, non jurant tactis ſcripturis ut lai-
14 ci, ſed tacto pectore, ad *Text. in cap.*
ſi quis Presbyter 2. *quæſt*.4. juncto *cap.*
cum in cauſa de Juram. calumniæ, *Ca-*
rolus de Graſſis de Effect. Cleric. eff.36.
Squillante de privileg. Cleric. cap.16.
num.3. *Bellett. diſquiſit. Cleric. part*.1.
tit. de Clerico teſte §.4. *num*.12. & *Do-*
ctores communiter.

Secundò, Clerici intra Cancellos ſta-
re, ad orandum, & communicandum
15 conſiſtere debent, laici verò extra ab
eis ſeparati, ad *Textum in cap. Sacer-*
dotum de Conſecrat. diſt.2. *cap*.1. *de vi-*
ta, *& honeſt. Cleric.* Quare *D. Am-*
broſius Theodoſium Imperatorem intra
Cancellos Altaris comunicare volen-
tem excludit dicens, *purpuram Impe-*
ratores non Sacerdotes efficere, ut refert
Nicephorus in hiſt. Eccleſ. lib.12.*cap*.41.
Hieronym. Romanus de Repub. Eccle-
ſiaſt. lib.4. *cap*.2.

Licet hodie non ita ſtrictè intelligi-
tur diſpoſitio *dicti Textus in cap*.1. ut
16 velit excludere laicos, ne intrent Can-
cellos Altaris ad effectum recipiendi
SanctiſſimumEuchariſtiæSacramentum,
ſed tantùm ad effectum ſedendi intra
Presbyterium, & Chorum, ac ſtandi
cum ipſis Clericis, quod videtur pro-
hibitum de Jure, *Abbas ad citatum*
Textum num.3. ut *Nos* latiùs *lib*.12.ubi
de Eccleſiis. *Diſcept*.13.

Tertiò, ſoli Clerici officia Eccleſia-
ſtica exercere poſſunt, ratione eorum
17 dignitatis, quod denegatum videtur
laicis: undè meritò & ipſi tantùm con-
ſequi valent Beneficia Eccleſiaſtica, ad
Textum in cap. ex literis de tranſact.
cap. cum adeò de reſcriptis, *cap*.2. *de*
Iſtitutionibus, *Parſius de Reſignat. Be-*
nefic. lib.4. *quæſt*.2. *Squillante de Pri-*
vileg. Cleric. cap.4. & *Nos* latiùs *lib*.13.
ubi *de Beneficiis*.

Quartò, Clerici tantùm divina officia
celebrare, in Altari miniſtrare, ac ſa-
18 cra tangere poſſunt, quod non eſt per-
miſſum laicis, ad *Text. in cap. Sacra-*
tas cum ſequentibus 23. *diſt*.1. Etenim
qui non ſunt Deo per Ordines ſacrati,
officia Ordinum exercere non valent, &
qui ſancti non ſunt, ſancta tractare non
debent, ut inquit *Innocent. in cap. Ma-*
19 *ximianus* 81. *diſt.* undè principale Pri-
vilegium Clericorum eſt obtinendi, &
exercendi Eccleſiaſticam jurisdictionem
ligandi, ac ſolvendi, à Chriſto Do-
mino ſuę Eccleſiæ relictam, *Matthæi* 18.
20 *Joann*. 20. & ita tradit *Squillante de*
Privileg. Cleric. cap.1. *&* 2.

Quintò, ipſi tanquam radii terreſtris
Orbis præcedunt laicis; ac proindè ſu-
21 pra laicos erunt honorandi, cum de
eis dicatur: *Vos eſtis lux Mundi*, *vos*
eſtis ſal Terræ; undè meritò, ut di-
xi, ſunt ſuprà laicos; & in functioni-
bus Eccleſiaſticis præcedunt etiam Re-
22 gularibus, licèt iſti etiam Eccleſiaſti-
ci ſint: *Barboſa de Epiſcop. alleg*.78.
num.35. & *Doctores* paſſim.

Quoad quartum: qualis debeat eſſe
vita, & honeſtas Clericorum noſtrum
eſt primo loco demonſtrare in pluribus
23 ſequentibus; ipſi autem aliis debent eſ-
ſe norma, & exemplum; nam de eis lo-
quuntur ſacræ Paginæ: *Vos eſtis ſal Ter-*
ræ, *& lux Mundi*; undè bonum exem-
plum aliis præbere tenentur, ut ab eis
alii exemplum ſumere poſſint, ſicuti de-
monſtrabimus *infra*.

ARGUMENTUM.

Clericorum vita, & honestas qualis esse debeat tàm circa habitum quàm circa tonsuram?

SUMMARIUM.

1 *Clericorum honestas expenditur circa habitum, & tonsuram*, & num.2. cum seqq. & num.18. & seqq.
9 *Comam nutrire vetitum est Clericis*, & num.21.
10 *Vestes coloris rubei, quæ decent Cardinales, sive viridis convenientes Episcopis, induere nequeunt simplices Clerici*, & num.11.
12 *Anulos gestare quibus Clericis prohibitum sit, quibus permittatur*, & num.17.
13 *Certa forma vestiendi, qua uti debent Clerici, præscripta non reperitur, ideoque prævalet in hoc communis usus Regionis*, & num.14.
15 *Talares vestes Clericis in majoribus Ordinibus, sive etiam in minoribus constitutis auctores reputantur.*
18 *De tonsura Clericorum, ejusque introductione*, & num.19. & seqq.

DISCEPTATIO II.

Sicut Clerici à laicis privilegiis plurimis discernuntur, ut infrà demonstrabimus, ita quoque moribus, & honestate vitæ eos præcellere debent, qualis igitur debeat esse vita Clericorum circa mores in sequenti demonstrabimus; in hac autem solùm agemus de illorum vita, & honestate circa habitum, & tonsuram. Quo itaque ad hoc à sacris
1 Canonibus statutum invenitur, ut qui in Clericali militia adscribi, ac versari voluerint, & Clericalibus perfrui privilegiis,non pro libito voluntatis vestibus quibuscumque utantur, sed vestibus convenientibus eorum statui induere debere, ac cum tonsura incedere, quæ
2 tanquam corona quædam ostendat aliis, quanta sit illorum majestas. Habemus igitur statutum *in cap. Clerici, & cap. fin. 23. dist.*, ut Clerici omnes decenti habitu eorum vitam induant, quod quidem legitur in *toto titulo de vita, & honestate Clericorum*, signanter in *cap. Clerici officia*, juncto *cap. quoniam eodem titulo*, facit *Trid. sess. 14. de Reform. c. 6.*

Ex quibus colligitur, quòd Clericis vestimenta, aut calceamenta, nisi quæ
3 statum Clericalem decent, habere non liceat, aut eisdem uti: quia, ut inquit *Anicetus Papa in Epistola*, sicut discreti esse debent in conversatione, ita, & in omni habitu apparere tenentur: Undè secundum auctoritatem sacrorum Canonum, interdictum videtur Clericis, ne
4 possint induere vestes holosericas, neve pelles pretiosiores habeant, ac ne imitentur varias laicorum consuetudines induendi, interdictumque similiter est ornamentis uti, odoramentis abstineant neve personati incedant, nec arma deferant,ad *Text. in cap. quicumque 33. qu. 8.*

Spectat igitur ad honestatem Clericorum,ut ipsi condecenti veste utantur, quæ dignitati,atque honestati Clericali
5 conveniat; etenim non debent eorum decorem in vestibus quærere, sed eorum honestatem, habitu, & incessu probare, ad *Textum in cap. Clericus 21. dist.* vestes enim fulgidas, atque sordidas au-
6 fugere tenentur Clerici, sed inter utrasque medium est capiendum, ut eleganter scribit *D. Hieronymus epist. 4. ad Nepotianum cap. 11.* & *D. Ambrosius lib. 1.*
7 *offic.* ita inquit: *Non pretiosis, aut albentibus indutus sit Clericus vestimentis, sed communibus, ut honestati, & necessitati nihil desit, nihil accedat nitoris.*

Etenim, ut inquit *D. Bernardus de consider. lib. 8. cap. 11.* forma vestium deformitatis mentium, & morum indicium est. Quid sibi vult, quòd Clerici aliud esse, aliud videri volunt? nempè habitu milites, quæstu Clerici, actu neutrum verò exhibent; nam neque pugnant ut milites, nec evangelizant ut
8 Clerici. Esset enim peccatum uti vestitu, nimio cultu ornato, ut scribit *Divus Gregorius homil. ultima Quadragesimæ* his verbis: *Sunt nonnulli, qui cultum subtilium, pretiosarumque vestium non putent esse peccatum, quod si videlicet culpa non esset, nequaquam sermo Dei, tàm vigilanter exprimeret, quod dives, qui torquebatur apud inferos, bisso, & purpura fuisset indutus.*

Non solùm nimius cultus, aut affecta com-

compoſitio circa veſtes, ſed etiam circa
9 crines, & capillos prohibetur à *D. Hieronymo de cuſtodia virginitatis ad Euſtachium* ſcribens ibi: *Sunt quidam mei ordinis, quibus omnis cura eſt in veſtibus, ſi benè oleant, ſi pes laxa pelle non polleat, crines calamiſtri veſtigio rotantur, digiti annulis radiant, & ne plantas humidior via ſpargat, vix imprimunt ſumma veſtigia. Tales cum videris, ſponſas magis exiſtimabo, quàm Clericos.* Etenim Clerici debent ferre capillos ita tonſos, ut aures pateant, ad *Text. in cap. non liceat diſt.22.*

Requiritur etiam honeſtas in colore veſtium; etenim non debent uti veſte
10 rubrâ, cum ea utantur Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, neque viridi, cum ea tantum pertineat ad Epiſcopos; cęteri verò Clerici, etiam in majoribus, Ordinibus conſtituti non poſſunt uti veſtibus hujuſmodi coloris, ad *Text. in cap. penultimo, & in Clem.2. de vita, & honeſtate Cleric.*, ubi *Clemens V.* de
11 hac veſtium honeſtate multa tradit. Similiter alia ornamenta, aut aliud indecens in veſtibus, & in equitationibus, ſive calcaria deaurata eis interdicun-
12 tur, prout etiam illis prohibetur deferre annulos in digito, niſi quibus competat ex officio, vel dignitate, uti de Doctoribus, vel alia dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, ita *Bellett. diſquiſit. Cleric. part.1. tit. de diſciplina Cleric. §.16. num.22. de Graſſis effect. 41. n.1. & 2.*

Verùm licèt circa veſtem Clericorum qualis illa eſſe debeat, nullibi de-
13 terminatum reperiatur, ut teſtatur *Gloſſa penultima in Clem.1. de electione*, niſi quod nimia brevitas, & longitudo reprobatur in *cap. Clerici officia de vita, & honeſtate Cleric.*, ideo eas veſtes di-
14 cemus convenientes Clericis, quæ à communi uſu, & conſuetudine Provinciæ, in qua commorantur, reperiuntur admiſſæ, ut in *dicto cap. Clerici officia*, ubi *Gloſſa*, & *Doctores*, *Cardin. in Clement.2. de vita, & honeſt. Cleric. Ricciull. de Jureperſon. lib. 7. cap.6. Novar. in ſumm. Bullar. tit. de habitu Cleric. Ciarlin. controv. forenſ. cap.20. Barboſa de Epiſcopis alleg. 9. num.2. Antonell. de Juribus Cleric. lib.2. cap.1. n.4.*

Ambigendum tamen non eſt, veſtes Clericales majoribus Ordinibus con-
15 gruentes cenſeri talares, dimiſſas uſque ad talos, ut expreſſit *Sixtus Quintus* in ſua Conſtitutione, quæ incipit *Cum Sacroſanctam*, facit *Tridentin. ſeſſ.14. cap.6. de Reform.* ac ita ex *Textu in cap. Clerici 23. diſt.* juncto *cap. Clerici officia de vita, & honeſt. Cleric.*

Pro conſtitutis verò in minoribus Ordinibus, cùm ipſi dicantur in via ad
16 majores Ordines, talarem veſtem etiam deferre tenentur, ut habetur ex *Concilio Braccarenſi ult. part.2. art.4. cap.8.* his verbis: *Hortatur ſancta Synodus eos, qui ſunt in minoribus Ordinibus conſtituti, præſertim in via ad majores ordines, ut talem veſtem portent.*

Demum eſt videndum circa hanc primam partem noſtri argumenti, an lici-
17 tum ſit Clericis ferre annulum in digito: & negativè reſpondendum videtur, niſi quibus competit ratione dignitatis, quod videtur dicendum de poſitis in Dignitate Eccleſiaſtica, ita pariter licet Doctoribus, ut exemplificat *Abbas in cap. Clerici il 2. de vita, & honeſtate Clericorum n.7.* & ibi *Barboſa n.14. de Graſſis de effect. Cleric. effect.41. num.1. & 2.*

Sequitur, ut aliquid dicamus de tonſura Clericorum; Tonſuram quoque
18 deferre debent Clerici, cujus uſus antiquiſſimus fuit in Eccleſia Dei; aſſerit enim *Beda lib.5. in hiſtoria Anglorum cap.22.* D. Petrum in memoriam ſpineæ coronæ Chriſti coronam capillorum geſtaſſe, toto reliquo capite detonſo, quem quidem imitati fuere cęteri Clerici: & *Iſidorus lib.2. de Eccleſ. offic. cap.4.* dicit, tonſuræ Eccleſiaſticæ uſum à Nazaræis exortum, qui priùs crine ſervato, poſt magnam vitæ continentiam caput radebant, & capillos in ignem ſacrificii ponere jubebant: licet alii credant, uſum tonſuræ, ſeu coronæ fuiſſe introductum ab Aniceto Papa, ad *Textum in cap. prohibitæ 23. diſt.*, juncto *cap. Clerici il 2. de vita, & honeſtate Clericorum*, ubi *Abbas*, *Barboſa & alii Canoniſtæ.*

Olim fiebat hujuſmodi tonſura raſo deſuper capite in modum ſphæræ, & in-
19 ferius quoque, ita ut ſola capillorum co-

corona circa caput restaret, ad *Text. in cap. prohibitæ, cap. penult. 23. dist.* sicut hodie mos est Regularium ferre caput tonsum, modo quo suprà; nam Clerici seculares, necnon Canonici, ac Clerici Regulares deferunt tonsuram, non in partè superiori, sed erga partem capitis ab extra, in quadam certa magnitu-
20 dine plus, vel minus; etenim Cardinales, vel Episcopi deferunt coronam majoris latitudinis, quàm simplices Sacerdotes; Sacerdos verò majorem, quàm Clerici in minoribus, ut omnibus patet.

Immò non solum Clerici tonsuram deferre debent, sed etiam ubi quis Cle-
21 ricus comam nutrit, potest à suo Ordinario excommunicari, ad *Text. in cap. si quis de vita, & honestate Clericorum*, concordat *Text. in dicto cap. prohibitæ*, ubi *Canonistæ communiter*. Facit illud *Apostoli 1. ad Corinth. 11.* ibi: *Vir, si comam nutrit, ignominia est*. Nimius enim cultus capillorum, & crinium videtur Clericis interdictus à Jure, *ad supracitatum Textum*. Inquit verò *Divus Hieronymus lib. de custodia virginitatis ad Eustachium* ita: *Sunt quidam mei ordinis, quibus omnis Cura est in vestibus si benè oleant, si pes laxa pelle non polleat, crines calamistri vestigio rotantur*.

Quid enim significet Clericorum caput in medio rasum, & in extremitati-
22 bus capillorum, ingeniosum extat responsum à *Cellio lectionum antiquarum lib. 11. cap. 38.*, ubi inquit, Capitis corona, ex Romanæ Ecclesiæ institutione, Regnum præfert, quod in Christo expectatur, capillorum verò recisio, temporalium indicat bonorum dispositionem: quasi diceret: sciant Sacerdotes se in Capitis sphæra Regni coronam, & globosam totius Orbis figuram gestare, quam sibi ex Divina promissione constitutam agnoscant, si suis plenè muneribus satisfacient, & divinæ legis observantiam adamussim colant, ita *Rodericus à Chuna in Commentario ad cap. prohibitæ suprà num. 3*.

ARGUMENTUM.

Clericorum vitæ, & honestati quantum repugnet, eos exercere officium Advocati, Procuratoris, vel Tabellionis in Laicali Curia; Magistri domus Laici, Ministri Principis, in munere Justitiæ, & demum Tutoris, vel Curatoris.

SUMMARIUM.

1 *Clericis num, & quando licitum sit exercere munus Advocati, seu Procuratoris*, & num. 2. cum seqq.

6 *Clericorum honestati inconveniens est quod ipsi servilia munia exerceant in Domibus laicorum; ideoque hujusmodi Clericis promerita pœna potest irrogari*, & num. 7.

8 *Clericus occasione muneris laicalis puniri nequit à laico judice.*

9 *Clericis præcipuè Regularibus interdictum est suscipere munus generalis ministri Principis laici, seu ministeria justitiæ pro eodem subire; & ratio affertur*, num. 12. & seqq.

10 *Clerici se se in negociis Secularibus immiscentes qua pœna plectendi sint.*

13 *Tutelam, vel Curam an, & quando liceat Clericis assumere*, & num. 14.

15 *Clericis probibitum est Tabellionis officium exercere, quod tamen in quibusdam casibus limitatur*, & n. 18. cum seqq.

Instrumenta verò, de quibus rogatus fuerit Clericus, antequam moneretur, ne Tabellionis obiret munus, valida sunt, num. 17.

DISCEPTATIO III.

Quantum repugnet vitæ, & honestati Clericorum quædam munia exercere, quæ solis Laicis videntur de Jure concessa, nobis hic est demonstran-
1 dum. Et primò, non licèt Clericis exercere officium Advocati, vel Procuratoris, apud Laicales signanter Curias, ad *Text. in cap. multa ne Clerici, vel Monachi* ibi: *In placitis Secularibus disputare*,

tare, *cap.*1. *de postulando*, *ibique Doctores*.

Quod multo magis procedit in Clericis positis in dignitate ad, *Text. in*
2 *cap. te quidem* 11. *quæst.*1. *cap. Episcopus* 14. *quæst.*5. *Redoanus de Spoliis quæst.*2. *num.*18.

Pariter locum habet in Regularibus cujuscumque ordinis, aut instituti illi
3 fuerint, *Redoanus de Spolio d. quæst.*2. *num.*22. Immò non solùm in civilibus, sed etiam in criminalibus causis, *cap. sententiam sanguinis*, *ne Clerici*, *vel Monachi*.

In quampluribus verò casibus permissum videtur Clericis, ut possint exercere munus Advocati, vel Procuratoris
4 apud Laicos Judices. Primò, in causa sua propria, ac suæ Ecclesiæ, vel suorum conjunctorum, ad *Text. in cap.*1. *& cap. fin. de postulando*. Secundò, in causa Orphanorum, aut Viduarum, vel aliarum miserabilium personarum, ad *Text. in d. cap. multa* ibi = *Orphanorum, aut Viduarum*, ubi *Fagn. n.*5. fecit *Text. in cap.*1. *de postulando*; Quod quidem gratis, & pro Deo facere debent Clerici, ad *Text. in cap. ultimo de postulando*, ubi *Doctores*. In Romana tamen Curia non prohibentur Clerici munus Advocati, vel Procuratoris exercere, *Redoanus suprà num.*20. *Bellett. disquisit. Cleric.* §.27. *num.*7.

Possunt verò Clerici in minoribus, quoties non habeant Beneficium Eccle-
5 siasticum, munus Advocati, vel Procuratoris exercere in Curia Laicali, *Bellett. suprà num.*3. *Redoanus suprà n.*24. *&* 25., *Fagnan. in d. cap. multa n.*81. *&* 82.

Pariter repugnat vitæ, & honestati Clericorum, eo magis ubi illi fuerint
6 in sacris constituti, munus laicale exercere in domo Laici, ac eidem inservire, ut dicitur: *di Maggiordomo*, *Mastro di casa*, aut in simili alio officio, ad *Text. in cap. credo* 21. *quæst.*3. *cap. pervenit eadem causa*, *& quæst. cap. Sacerdotibus*, *ne Clerici*, *vel Monachi*. *Bellett. suprà* §.21. *num.*32., *Panimolla decis.*40. *num.*1. *Abbas*, *Barbosa*, *& alii Canonistæ in d. cap. Sacerdotibus*.

Ex quo *Textu. in d. cap. Sacerdotibus* habetur, quòd si illi moniti fuerint,
7 & non desistant, si in fraude deprehendantur in re pecuniaria occasione negotiorum, illis Ecclesia subvenire non debet, ibique *Abbas Panormit. Barbosa*, & alii, *Vivius in rationabil. juris Pontific. lib.*3. *Alagona in Compend. Juris Canonici*.

Sed hic nota, non posse Clericum hoc casu, capi, & puniri à Principe
8 laico, vel alio, qui Clericum habuit in munere, de quo supra, aut simili, sed tunc pro punitione oportet recurrere ad Judicem suum Ordinarium, *Abbas in cap. cum contingat de foro compet. num.*1. idem *in d. cap. Sacerdotibus*, *Anfren. in Clem.*1. *num.*25. *de Offic. Ordin. Clarus quæst.*36. *num.*21. *Covar. practicab. cap.*33. *num.*6. *Marta de Jurisdict. part.*4. *cent.*2. *casu* 127. *num.*5. *Bonacina de legibus disput.*10. *quæst.*2. *part.*1. §.1. *num.*24. *Ambrosin. de Jurisdict. Ecclesf. cap.*20. *num.*54. & *Nos* latè *infrà de Cleric. quoad privilegium fori*, & *de Jurisdict.* ubi *de Immunitate personali*.

Interdictum pariter videtur Clericis, eoque magis Regularibus sub gravissimis pœnis, ne munus assumant, puta Ministri generalis alicujus Principis, circa Ministerium Justitiæ; undè non
9 valent, inconsulto, ac non dispensante Papa, etiam munus Proregis exercere in aliquo Regno, alias incidunt in pœnas comminatas per Lateranense Concilium ad *Text. in cap. sed nec*, *ne Clerici*, *vel Monachi*, ubi *Canonistæ communiter*. Et de Vice-gubernatore, docet *Sacra Congreg. Immunit. In una Civitatis plebis* 15. *Januarii* 1650.

Undè, si quis contra Constitutionem hujusmodi generalis Concilii ali-
10 quid attentare præsumpserit, ab officio Ecclesiastico efficitur alienus, pro Ministerio Clericali neglecto, ut Secularibus placeat, in fluctibus sæculi se immergens, contra doctrinam *Apostoli* dicentis: *Nemo militans Deo se negotiis Secularibus implicet*.

Et sicuti, uti suprà demonstravimus Clericus, vel Religiosus, non potest
11 esse Procurator laici, ita nec Officialis Principis, in justitia exercenda; ad *Textum in dicto cap. sed nec*, ubi *Abbas Panormitanus*.

Ra-

Ratio supradictarum est, ad effugiendum periculum, ne aliquem condemnet
12 in pœnam, quod inconveniens videtur Clericis, ii namque Ministri Christi sunt, qui fuit mitis, & humilis corde. *Nos* latè de *Irregularitate*. Non videtur tamen interdictum Clericis, eos esse Consiliarios Principis laici, ut docet *Abbas in dicto cap. sed nec um.7.* juncto, *cap. Clericis num.10. ne Clerici, vel Monachi.*

Tutoris, vel Curatoris munus assumere non valent Clerici, nisi pietatis
13 causâ hoc egerint, ad hujusmodi verò munus suscipiendum non valent compelli de jure, ad *Text. in cap.1. & fin.88. dist. cap. Cypria us 22. quæst.3. Montanus de tutelis cap.35. Regula 1. n.195.*

Sicuti si velint legitimam tutelam suscipere, possunt, ut docet *Cavalcan.*
14 *de tutor. cap.283. Montanus de tutelis d. num.195. Gratian. Discept.57. n.32. Valascus alleg.47. num.29. tom.1.*

Admodum quoque inconveniens videtur statui Clericali munus Tabellio-
15 nis exercere, ubi Clericus fuerit in sacris Ordinibus constitutus, ad *Textum in cap. sicut te, ne Clerici, vel Monachi*, ubi *Panormi. Barbosa, Fagnan. & alii.*

Et ubi tale officium exercere voluerit, per Beneficiorum subtractionem
16 compellendus erit, ut se abstineat, *d. cap. sicut te, Vivianus in rationabili Juris Pontificii lib.3.*

Antequam verò Clericus fuerit monitus, ut se abstineat, conficiendo in-
17 strumentum, illud validum erit; nam eo interim, quo non interdicitur (puta à suo legitimo superiore), ac prohibitio transeat in notitiam populi, valebunt instrumenta per illum facta, *Bart. in l. universos C. de decurionibus lib.10. idem consil.54. Abbas in d. cap. sicut te num.9. 10. 11. Franciscus Marcus decis.194. Mastrill. decis.159. num.9. Carolus de Grassis effect. 8. num.4. Fagnan. in d. cap. sicut te à num.33. & seq.*

In quampluribus verò Clericus potest exercere munus Tabellionis, sive
18 Notarii. Primò, ubicumque agitur de causa hæresis, in qua proculdubio Clericus potest esse Notarius, seu Tabellio, ad *Text. in cap. ut officium §. ad conscribendas de hæreticis in 6. Franciscus Marc. decis.194. num.3. part.2. Farinac. in tract. crim. V. Clericus n.228. Mastrill. decis.159. num.7. de Grassis d. effect. 8. num.12. Bellett. disp. Cleric. §.29. num.9. Decianus tract. crimin. lib.5. cap.20. num.47. & cap.24. n.15.*

Secundò limitatur præfata regula in Clerico in minoribus Ordinibus con-
19 stituto, prout desumi potest ex *Text. in d. cap. sicut te* à contrario sensu; nam ibi excluduntur à dicto munere qui sunt constituti in sacris, dummodo tamen
20 ipse Clericus in minoribus nullum habeat Beneficium, aut patrimonium, unde vivere possit, *Redoanus de Spolio Cleric. quæst.8. num.53. Farinac. in tract. crimin. V. Clericus num.233. & sequen. Fagnan. in d. cap. sicut te num.26. & seq. Franciscus Marcus decis.194.*

Tertiò limitatur in Tabellione, seu Notario Papæ, qui potest esse Cleri-
21 cus, ut per *Franciscum Marcum d. decis.194. n.2. Farinac. suprà num.237. Bellett. disquisit. Cleric. part.1. tit. de disciplina Clericali §.29. num.9.*

Quartò ubi adest consuetudo, quod Clericus notariatus officium exercere
22 valeat, ille officium ipsum exercendo, in nullam incidit pœnam, ut per *Franciscus Marcus dicta decis.194. num.7. Farinac. suprà num.229.*

Possunt verò Clerici in causis Ecclesiasticis, seu spiritualibus coram Eccle-
23 siastico Judice Tabellionatus officium exercere, *Mastrill. decis.159. num.8. de Grassis de effect. Cleric. Effectu 8. num.14. Franciscus Marcus decis.194. num.2. & 5. Farinac. suprà num.224.* ubi *num.227.* dicit, quod sibi videtur receptior sententia, quod Clerici, sive in sacris, sive in minoribus constituti, Beneficium Ecclesiasticum habentes non possint esse Notarii in foro etiam Ecclesiastico; Beneficium verò non habentes possint, etiamsi sint Sacerdotes, vide quæ latè *Fagnan.* dixit *in d. cap. sicut te ne Clerici, vel Monachi.*

AR-

ARGUMENTUM.

Clericorum vitæ, & honestati quantum obstet, eos interesse Commessationibus, Spectaculis, Comœdiis, Choreis, Ludishastilium, Agitationibus taurorum, Mimis, Jaculatoribus, Histrionibus, & similibus, nec non Larvatos incedere, ac clamorosam venationem sequi?

SUMMARIUM.

1 *Clericis prohibita sunt inhonesta convivia*, & num.2.

Interdicta tamen non sunt ea honesta convivia, quæ fiunt causa licitæ recreationis.

Sive occasione solemnitatis Sanctorum, num.4.

Ita tamen hujusmodi convivia modificanda sunt, ut eis præcedat benedictio, & gratiarum actio subsequatur, num.5.

6 *Clericis illicitum est interesse Spectaculis, comœdiis, aliisque ejusdem generis repræsentationibus: & affertur ratio*, num.7. & seq.

10 *Dedecet Clericos larvatos incedere.*

11 *Larvati utentes habitu Monachali, vel Religioso puniendi sunt.*

12 *Venatio an, & quando liceat Clericis, & qua pœna plecti debeant incumbentes illicitæ venationi*, & num.13. cum seqq.

16 *Piscatio Clericis permissa est.*

17 *Piscatio quibus temporibus interdicta est.*

18 *Clericus, quatenus occasione venationis aliquem casu interficiat, num irregularitatem incurrat.*

DISCEPTATIO IV.

Honestati Clericorum quamplura obstant, ut Nos in nostra hac Di-
1 sceptatione demonstrabimus; & primò Clerici ipsi, quicunque illi fuerint, Commessationes, & signanter inhonesta convivia aufugere debent, cùm sint illa causa quamplurium malorum ad Textum in cap. *multa ne Clerici, vel Monachi*, cap. *cum decorem de vita, & honest. Cleric.* Facit illud *D. Hieronymi ad Nepotianum Epist.2. de vita Cleric. cap.23.*, ubi ita legitur, *Convivia tibi vitanda sunt*, & cap.27. inquit: *Consolatores nos Christiani potiùs in mœroribus suis, quàm convivas, & prosperis noverint: facilè contemnitur Clericus, qui sæpiùs ad prandium vocatus non recusat.*

Concordat illud *D. Ambrosii lib.1. offic. cap.20.* ibi = *Habet sanè suos scru-*
2 *pulos verecundia, non quos ipsa intulit, sed quos sæpe incurrit, si in intemperantium incidamus consortia, qui sub specie jucunditatis venenum infundunt bonis: hi si assidui sint, & maximè in convivio, ludo, & joco enervant gravitatem illam virilem.* Sequitur ibi = *Convivia quippe extraneorum occupationes habent, tum etiam epulandi produnt cupiditatem, surrepunt etiam fabulæ frequenter de sæculo, ac voluptatibus, claudere aures non potest, prohibere putatur superbiæ, surrepunt etiam præter voluntatem pocula*: concordat *Tridentin. sess.22. cap.1. de Reformat.* ibi = *Commessationibus.*

Honesta verò convivia, quæ fiunt causâ recreationis inter ipsos Clericos,
3 vel gratiâ charitatis, & dilectionis, ea non videntur interdicta Clericis ipsis, ad *Textum in cap. convivia, cap. quando dist.44. Covar. in cap. ultimo num.1.*
4 *de testibus, Bellet. disq. Clerical. part.1. tit. de disciplina Cleric.* §.22. *num.*24. Vel in solemnitatibus Sanctorum, *Bellett. suprà num.*28. Convivium verò his casibus, vel similibus debet inchoare
5 benedictione & terminare gratiarum actione, ad *Text. in cap. quando* 44. *dist.* Facit illud *Joannis Chrysost. homil.79. ad Antiochum*, ubi ita legitur: *Opus est vos, & mensam petentes, ac desistentes, gratias Deo agere, mensa ab oratione sumens initium, & in orationem desinens, nunquam deficiet, sed fortè largius nobis omnia afferet bona.* Et *D. Hieronym. ad Eustoch. Epist.22. cap.16.* ita inquit: *Nec tibi sumantur, nisi oratione præmissa, nec recedatur à mensa, nisi priùs gratiæ referantur Creatori.*

Repugnat pariter honestati Clericorum,

rum, eos interesse Spectaculis, Co-
6 mœdiis, Fabulis, Choreis, & Hastiludis, & similibus ad *Text. in cap. cum decorem de vita, & honest. Cleric. cap. penult. eodem titulo, cap. multa ne Clerici, vel Monaci, cap. inter dilectos de excessibus Prælat. Tridentin. sess.22. cap.1. de Reform. Ugolin. de offic. Episc. cap.13. §.30. num.2.*

Ratio supradictorum est, quia Comœdiæ, Fabulæ, Choreæ, & similes ut
7 plurimum videntur continere res lascivas, & turpes cor audientium ad turpia trahentes; ideò omnibus, & signanter Clericis damnatæ videntur, *Hurtadus de Mendoza vol.2. disp.173. sect.28. §.367. Comitol. Resp. Moral. lib.5. quæst.11. num.8.*

Repugnat quoque honestati Clericorum (signanter ubi fuerint in sacris
8 ordinibus constituti) interesse agitationibus taurorum, quod est prohibitum à Gregorio XIII. quadam sua Constitutione, quam Constitutionem modificavit Clemens VIII. pro Regnis Hispaniarum; ac proindè sustulit pœnas, & censuras, contra Clericos impositas, illam reducendo ad terminos juris; in quo quidem Clementino indulto non veniunt comprehensi Regulares cujuscumque ordinis, & instituti illi fuerint: de utraque Constitutione *Quaranta Summa Bullarum, V. Torneamenta.*

Similiter repugnat honestati Clericorum, eos intendere Mimis, Jacu-
9 latoribus, & Histrionibus, ad *Text. in cap. penultimo, & cap. Presbyteri 24. dist. cap. non oportet dist.5. cap. Clerici officia, num.10. hoc titulo*, juncto *cap.1. hoc eodem titulo de vita, & honest. Cleric. in 6. Bellett. disq. Cleric. sup. §.23. num.3. Ugolin. suprà §.30. num.2. Panimolla decis.41. n.9. & sequentibus.*

Repugnat etiam honestati Clericorum, eos incedere Larvatos, & indutos
10 habitu Personarum, ut vulgò dicitur *Mascherati* ad *Text. in d. cap. cum decorem hoc titul. Petrus Gregor. Syntagm. Juris lib.39. cap.11. Ugolin. dicto §.30. num.3. Bellett. disquisit. Cleric. tit. de disciplina Cleric. §.23. n.7.* & *Doctores* passim.

Undè eo magis puniendi erunt isti Larvati, quicunque illi fuerint, ubi
11 induuntur habitu Monachali, & Religioso, ut docet *Glossa in d. cap. cum decorem, Ugolin. suprà*: Et ita facientes non solùm peccant mortaliter, sed graviter puniri possunt à Judice Ecclesiastico, *Bellett. d. §.23. num.10.*

Clamorosam venationem sequi repugnat vitæ, & honestati Clericorum:
12 venatio dicitur clamorosa, quæ fit in sylvis, & saltibus: undè tum ratione periculi, quod accidere potest; tum etiam, ne venatio illos distrahat à divinis ministeriis, videtur Clericis interdicta, ad *Text. in cap.1. 34.dist. cap.1. & 2. de Clerico venatore* juncto *cap.1. eodem tit. in 6. cap. multa hoc tit.* ubi *Fagnan. num.86. Clem.1. §. porrò de statu Monach. Menoch. de arbitr. casu 416. num.9. Pignatell. consult. Canonic. tom.3. consult.59., & tom.10. consult.15. Panimolla decis.41. num.26.* & *nos suo titulo infrà*. Facit illud *D. Ambrosii*, de cujus dicto verba facit *Text. in cap. putatis 88.dist.* ibi: *Primò diluculò non ad Ecclesiam vigilant, non Beatorum Martyrum loca sancta perquiurnt: sed surgentes disponunt retia, canes producunt, saltus, sylvasque perlustrant.*

Ac proinde Episcopus venator tribus mensibus suspenditur ab officio, Pres-
13 byter duobus mensibus, Diaconus, & Subdiaconus ab omni officio hanc suspensionem incurrunt, ad *Text. in dicto cap.1. & 2.de Clerico venatore, alijsque juribus, de quibus suprà*. Quo verò ad Clericos in minoribus, eo quia contra eos nulla videtur statuta pœna, locum habet pœna Judicis arbitrio imponenda: *Menoch. d. casu 416. num.9. Diaz in praxi crim. Canon. cap.61. n.6. Covar. in cap. peccatum in 2.part. §.8. num.3. de Regulis juris in 6.* ubi latè de materia.

Causa tamen recreationis, ac congruo tempore, & non frequenter per-
14 missum est Clericis venationem sequi, *Diaz suprà num.3.* Siquidem regulariter venatio, quæ etiam fit in sylvis, & saltibus, occidendo feras, & aves, de sui natura est permissa, ut docet *D. Thomas 2. 2. quæst.64. art.1. Sylvester in Summa, verbo venatio, Cassan. in cath. glo-*

gloriæ Mundi part.11. considerat. 50. *Campanil. diverf. Juris Canon. rub.*11. *cap.*33. *num.*5. *Sebast. Medices de venatione part.*1. *quæst.*8. *num.*17. *Layman Theologia morali lib.*3. *tractat.*1. *cap.*5. *num.*15.

Sicuti quoque videtur permissa Cle-
15 ricis venatio, ubicumque fit, urgente necessitate, *Bellett. disp. Clericorum part.*2. §.14. *num.*3.

Piscatio verò Clericis omninò permissa est, cum cessent in ea rationes,
16 quibus venatio prohibetur, illamque etiam Apostoli exercebant, & eisdem Salvator noster retia tendere jussit, *Lucæ cap.*10. *& ultimo Matthæi* 4. *Marci* 1.

Piscatio autem interdicta est in majoribus anni solemnitatibus; in domi-
17 nicis verò, vel inferioribus festis, solùm urgenti causa permissa est, obtentâ priùs licentiâ à Superiori Ecclesiastico, ad *Text. in cap. licèt de feriis*, *Menoch. de arbitr. casu* 413. *num.*20. & *Nos* suis locis sub *titulo de feriis*.

Non est abs re videre, an Clericus censendus sit irregularis, ubicunque
18 venando, casu tamen, non dolo, vel culpa aliquem occidit. Et circa præsens dubium variæ sunt Doctorum sententiæ: pro negativa facit *Giballia de irregularitate cap.*4. *conf.*12. *num.*18. ibi: *Quoties enim venationi, sivè periculosæ, sivè non periculosæ vacans adhibuerit omnem cautionem, & diligentiam necessariam, ad effectum evitandi periculum, ne quis occidatur, atque ita si quem casu occidat, & involuntariè, atque adeò inculpabiliter occidit, sicut reus non potest haberi illius externi homicidii, ita neque ratione illius incurrit irregularitatem, quæ culpam mortalem exigit, qualis non erit in homicidio merè casuali sive ex re licita, & non periculosa, sive ex illicita, & periculosa proveniat; quia diligentia, & cautio adhibita omne periculum hic, & tunc absterserat: atque ideò omnem culpam, ac omne indirectè voluntarium, licèt sit aliqua culpa anterior in ea venatione, eo quod vel loco, vel tempore, vel modo sibi prohibito fiat: sed hujus culpæ ratio non habetur in contrahenda ista irregularitate, quæ ex sola culpa homicidii, aliquo modo voluntarii, eaque mortali contrahitur.*

Facit ad casum sententia *Gonzalez ad Textum in cap. de cætero num.*8. *de homicidio*, ubi ita legitur: *Deinde non manet irregularis Clericus venationi insistens, licet hominem occidat credens feram esse, adhibita omni diligentia, & si venatio illi prohibita sit.*

Idem docet *Pignatell. consult. Canon. tom.*3. *consult.*59. *num.*14. ibi: *Neque obstat periculum homicidii; ac proindè irregularitatis, nam dans operam rei licitæ, vel etiam illicitæ, si adhibeat diligentem cautionem, ne deindè aliquid incommodi sequatur: tunc etiam si fortè sequatur mors alicujus, etiam Clerici, non illi imputabitur: quia neque in se, neque in causa mors illa est ipsi volita, atque adeò nullo modo voluntaria.*

Neque obstat quod causa fuerit periculosa, ac proinde mors videatur volita in causa; quia diligentia absterfit periculum: quapropter neque reus erit homicidii, neque tenebitur ad restitutionem, neque erit excommunicatus, neque irregularis. Nam cum non adsit culpa occisionis, non aderit excomunicatio, neque irregularitas; hæc enim, cum in pœnam statuta sint, sine culpa non contrahuntur: Nos latè, ubi de irregularitate.

ARGUMENTUM.

Clericorum vitæ, & honestati quantum repugnet, eos exercere artem sordidam puta Chirurgiæ, Macellarii, Tabernarii, ubi an valeant exercere Medicinam?

SUMMARIUM.

1 *Clericis interdictum non est artem aliquam exercere pro sua, suorumque honesta sustentatione, præterquam sordidas artes.*

2 *Clerico non licèt exercere Chirurgiam, maximè in sacris constituto, sive artem lanionis, vel ejusmodi alias sordidas artes,* & num.3.

4 *Clericus sordidis artibus incumbens,*

amittit fori privilegium, & Judicis arbitrio puniri potest.

Ut tamen fori privilegio privetur, præcedere debet monitio, n.5. & 6. *Qualis autem monitio hujusmodi esse debeat*, num.7. & seq.

8 *Monitio unica facta in Synodo, ne Clerici sordidas exerceant artes sub pœna privationis privilegiorum sufficit ad eandem pœnam incurrendam: Extra Synodum verò trina requiritur.*

9 *Monitio unica cum tribus intervallis pro trina monitione habetur.*

10 *Monitio, quatenus personaliter eam facere datum non sit, sufficit facta domi, vel ad valvas Ecclesiæ.*

11 *Lanionis munus num liceat Clerico exercere per alium*, & num.12.

13 *Medicinæ artem Clerico non licet exercere citra dispensationem.*

14 *Vetitum cui est studium alicujus facultatis, multò magis prohibitum censeri debet ejusdem facultatis exercitium.*

16 *Clericus, qui Medicinam exercet ex dispensatione; ita tamen ut nihil petat, sed à sponte dantibus recipiat, an possit convenire cum Communitate de certo salario*, & num.17.

DISCEPTATIO V.

Licèt, ut nos infrà sub titulo ne Clerici, vel Monachi negotiis sæcularibus se immisceant, demonstrabimus,
1 licere Clericis aliquod artificium facere, etiam manibus propriis operando, ut se suosque alant, si aliter nequeant commodè providere eorum necessitatibus, dummodo tamen hoc non faciant ardenti avaritiæ nota, & dummodo à divinis non retrahantur, ad *Textum in cap. multa d. titulo*, ubi latè *Fagnanus à num.27. & sequentibus.*

Attamen exercere sordidas artes hoc videtur eisdem prohibitum, tanquam
2 opprobrium inferens eorum statui, & dignitati Clericali. Hinc non valet Clericus munus Chirurgi exercere, sive fuerit in sacris, sive in minoribus ordinibus constitutus, & si sequatur homicidium, incisio partis principalis corporis, vel adustio, non effugiat irregularitatis notam, etiamsi in eo nulla fuerit culpa, ad *Text. in cap. tua nos de homicidio*, juncto *cap. sententiam sanguinis*, ubi *Abbas Panorm. Barbosa & alii ne Clerici, vel Monachi, Redoan. de Spolio quæst.2. num.93.*

Artificium enim hoc videtur interdictum Clericis, propter erroris pericu-
3 lum, quod ei inest, vel propter dubium curationis eventum; undè potiùs valet dici esse officium sæculare, quàm spirituale. Clerici autem debent esse medici animarum, non autem corporum, ad *Text. in cap. cum sit ars artium de ætate, & qualit.* Militare debent Deo, non autem sæculo, *cap. repræhensibile 23. qu.3.* Concludendum est igitur, artem Chirurgiæ esse Clericis interdictam, signanter constitutis in Sacris, vel habentibus Beneficium, *Abbas suprà*, & *Doctores* communiter.

Repugnat honestati Clericorum exercere artem Macellarii, vel Tabernarii,
4 vel aliam similem indecentem artem; eoque magis, ubi Clericus hujusmodi artificium exercet per se ipsum; ac proindè tali casu videtur amittere privilegium fori, & habendus erit uti merè laicus, ad *Text. in cap. multa ne Clerici; vel Monachi* ibi = *Turpis verbi, vel facti, Clem. 1. de vita, & honest. Cleric. Genuensis in praxi cap.62.*

Idem locum habere videtur, ubicumque alias sordidas artes exercet, ut si esset custos balneorum, mundator cloa-
5 carum; nam tunc pœna judicis arbitraria venit plectendus, attenta qualitate personæ, & artificii sordidi, quod gerit, ac temporis diuturnitate, qua in vili arte sit versatus, *Diaz in praxi crimin. Canon. cap. 69. num.5.* ibique *Lopez, Menoch. de arbitr. Judic. casu* 412. *n.15. Farinac. in fragm. crimin. part.1. n.131. V. Clericus*, & *Doctores* alibi.

Diximus suprà, Clericum artem sordidam exercentem amittere privilegium fori: in hoc scias hujusmodi privilegium
6 non statim amittere, nisi ubi priùs monitus fuerit ad desistendum à tali exercitio, & monitione spreta, desistere noluit, ut deducitur ex dicta *Clementin. 1. de vita, & honest. Cleric.*

Quæ quidem monitio, ut afficiat, debet esse specialis, & personaliter execu-
7 ta adversùs Clericum præfatas artes exer-

exercentem, cum ejusdem nominis ex-
pressione, ut exigitur, ubi agitur de
pœna inferenda, ita *Glossa in d. Clem.* 1.
ibique *Canonistæ* communiter, relati à
Diaz, & ibi *Lopez d. cap.69.*

Putant nonnulli, quòd ubi agitur
de pœna infligenda, sufficiat monitio
8 generalis facta in Synodo, videlicet,
ut facientes hoc incidant in pœnas pri-
vationis, & similium: undè monitio
facta in Synodo, etiamsi sit unica, &
generalis, dummodo contineat pœnam
privationis Privilegii Clericalis, illa
exuberat, & habet vim specialis nomi-
nationis: *Hostiensis in Summa sub ti-
tulo ne Clerici, vel Monachi* §. *Quæ sunt
permissa*, *Alex. de Revo consf.60. n.14.
Foller. in pract. crimin. Canon. cap.33.
num.28. Lopez ad Diaz d. cap.69. Fa-
rinac. suprà num.145.*

Regulariter verò, & extra Syno-
dum debet esse trina, ita ut unica non
9 sufficiat, nisi fuerit concepta cum tri-
bus intervallis, cum tunc æquipararetur
trinæ monitioni, *Diaz suprà d. cap.69.
num.2. Farinac. suprà n.143., & 144.*

Ubicunque monitio personaliter exe-
qui non potest, ut si persona Clerici
10 commodè reperiri nequeat, tunc suf-
ficit, si citatio exequatur domi solitæ
habitationis, vel ad valvas Ecclesiæ,
ita *Diaz sup.*, & *Nos* alibi lato calamo.

Si verò Clericus Macellum, vel Ta-
bernam exerceat per alium, & per in-
11 terpositam personam, tunc non est pri-
vandus Privilegio fori, de quò suprà,
ut docet *Glossa in d. Clem.* 1. ibique *Bo-
nifac. Ancharan. Imola*, *Zabarella*, &
alii *Foller. suprà num.28. Menoch. ca-
su 412. num.6. Diaz* ubi *Lopez suprà.
Farinac. suprà num.136. Redoan. de
Spolio Eccles. quæst.2. num.47.*

Non effugiet verò ita exercens per
alium pœnam Judicis arbitrio imponen-
12 dam, si hoc, aviditate lucri faciat,
secùs verò si pro sua, & suæ familiæ su-
stentatione hoc agat, ut habetur ex
Glossa in dicta Clem. 1. *Farinac. suprà
num.37. & 38.*

Demum an valeant exercere artem
physicam, scilicet Medicinam, & dici-
13 mus, non posse, cum videatur Cleri-
cis, signanter in sacris Ordinibus, ac
in dignitate Ecclesiastica constitutis in-
terdictum, ne possint scientiam physi-
cam audire; undè eo magis videtur in-
terdictum illius exercitium: prohibi-
14 to ergo studio, videtur prohibitum,
exercitium studii, quapropter, pro-
hibitâ causâ, dicitur prohibitum cau-
satum, ut benè *Abbas in cap. senten-
tiam sanguinis num.22. ne Clerici, vel
Monachi.*

Ac proindè hodie Clericus in sacris,
qui vult exercere Medicinam, obtinet
15 priùs à Papa Breve dispensationis, quod
aliter non conceditur, quàm certis ser-
vatis conditionibus, videlicet, dummo-
do non adsit copia Medicorum, & dum-
modo gratis, & pro amore Dei exer-
ceat, ut ex formale ipsius Brevis, *Sa-
cra Congr. Concil. in una Carducen. 31.
Martii 1696.* & alibi passim.

At quia sæpè sæpius Summus Ponti-
fex in dispensando solet apponere in Bre-
16 vi clausulam illam: *Dummodo nihil pe-
tas, sed à spontè dantibus, recipias*,
hinc videre est, an Clericus, seu Sa-
cerdos ipse possit convenire cum aliqua
communitate, ut pro sua opera, & la-
bore, ei præstet Universitas ipsa certam
summam annuam, seù menstruam, ut
vulgò dicitur *per Accordo*, *seù Condot-
ta*; & negativè videtur responsum per
*Sac. Congreg. Episcop. & Regul. in una
Terracinen. 6. Septembris 1697.*

Ego tamen, salva reverentia debita
tam excelsò Auditorio, aliter sentio;
17 & ita dico, quod si per Summum Pon-
tificem videatur concessa facultas re-
cipiendi gratis à sponte dantibus, ne-
scio cur hoc videatur denegatum, ne
possit recipere, quod gratis datur ab
ipsa Universitate, licet in fine anni, vel
mensis; nam quicquid videtur datum à
Communitate, censetur quasi datum
à singulis uti singulis, quamvis datum
fuerit à Sindico Universitatis, sed me
remitto ad eosdem Eminentissimos Pa-
tres.

ARGUMENTUM.

Clericorum vitæ, & honestati quantùm repugnet usus armorum? Et an ubi Clerici reperti fuerint cum armis prohibitis à Curia laicali, possint eisdem spoliari.

SUMMARIUM.

1 *Arma an, & quæ liceant Clericis deferre*, & n.n. seqq. & n. 15. cum seqq.
2 *Arma Clericorum sunt lachrymæ, atque orationes.*
4 *Delatio armorum jure communi inspecto, leve delictum reputatur, grave tamen est respectu Clericorum*, & n. 5.
6 *Orationibus, ac precibus hostes expugnantur, & respublica propugnatur magis quàm armis.*
7 *Clerici deferentes arma possunt à communione Ecclesiæ interdici, vel aliis pœnis puniri arbitrio Judicis, appellatione postpositâ*, & num. 8.
9 *Appellatio non datur in his quæ concernunt correctionem morum.*
10 *Constitutiones editæ pro Urbe, & statu Ecclesiastico contra deferentes arma, recensentur.*
11 *Pro infligenda pœna ob delationem armorum breviorum, brevitas ipsa concludenter probanda est*, & num. 12.
13 *Arma deferens prohibita, quæ tamen ad offendendum inutilia sint, pœnam ordinariam non incurrit.*
16 *Clerico licitum est arma sumere ad vitæ, sive etiam Bonorum defensionem*, & num. 17.
18 *Clerici deferentes arma prohibita nequeunt per Judices Seculares puniri*, & num. 20.
21 *Sacerdotii, atque imperii divisa est potestas; ideòque Judices laici nequeunt super negotiis Clericorum sese ingerere.*
22 *Inferior nequit in digniorem exercere imperium.*
23 *Ministri laici spoliantes Clericos armis prohibitis, tanquam turbatores Ecclesiasticæ immunitatis, excommunicationis pœnam incurrunt.*
24 *Monitum pro Ecclesiasticis Judicibus circa delationem armorum Clericis prohibendam.*

DISCEPTATIO VI.

Quantùm repugnet honestati Clericorum, eos arma offensiva deferre, demonstrat *Textus in cap. Clerici*
1 *il primo hoc titulo*; undè ex *Concilio Pictavien.* habetur, posse eos pro dela-
2 tione armorum excomunicari, *ibique Canonistæ communiter*. Etenim arma Clericorum sunt lacrymæ, & orationes, ad *Text. in cap. fin. 36. dist. cap. porrò 16. quæst. 3. cap. conveniat cap. non pia 23. quæst. 8. Carol. de Graff. de effect. Cleric. effectu 20. num. 4. Gisbertus Ichevican. de Ecclesiasticorum vita lib. 3. cap. 55. Bellett. disq. Cleric. parte 1. tit. de disciplin. Cleric. §. 18. n. 9. Decian. tract. crim. lib. 7. cap. 3. n. 23. Covar. pract. cap. 33. num. 7., & lib. 2. var. resol. cap. 20. circa finem.*

Imò Clericis interdictus est usus cujuscunque generis armorum, ad *Text.*
3 *in Clem. 1. hoc titulo, Decian. tractat. crim. lib. 8. cap. 3. num. 23. Menoch. de arbitr. Judic. casu 394. num. 31.* latè *Farinac. quæst. 108. num. 21. Massin. de confisc. bonorum quæst. 8. num. 46. Ursellus in Exam. apum conclus. 143. n. 35. Sperell. decis. 122. num. 1.*

Et licèt delatio armorum, inspecto jure communi, leve delictum repute-
4 tur, ut notat *Bart. in l. levia num. 9. ff. de accusat. Decianus tract. crimin. lib. 8. cap. 4. n. 21. Farinac. quæst. 28. num. 66.*

In Clericis verò grave crimen est, cùm eorum arma sint orationes, & la-
5 crymæ, ut diximus: hinc Moyses non accedebat ad bella, neque pugnabat contra inimicos, sed orationes Deo fun-
6 debat & donec ille orabat, vincebat Populus ejus, *c. si quis 36. dist. ex Exod. 17.* Hinc Constantinus, & Constans Imperatores dixerunt, Rempublicam magis Religionibus, & orationibus, quàm officiis; & labore corporis, vel sudore contineri, *cap. in qualibet Civitate 23. quæst. 8.*

Propterea, uti diximus, Clericus
7 arma deferens, etiam excommunicari po-

potest, *cap.2. de vita, & honest. Cleric.* ubi *Abbas Panorm. num.9. Barbosa num.3. Card. in Clem.1. §. Præfatæ de statu Monach. Joseph. Ludovic. decis. Perus.35. Vivius decis.287. Bellett. disquisit. Cleric. part.2. tit. de pœnis Cleric.* §.50. *sub num.1. Carth. decis.70. num.54.*

Imò contra Clericum arma deferentem procedi potest pœna arbitraria,
8 habita ratione ad qualitatem personæ, ad genus armorum, & scandalum datum, & tanquam contemptorem sacrorum Canonum, & Ecclesiasticæ Sanctitatis prophanatorem, & proprii gradus violatorem, juxta *Textum in cap. quicunque 23. quæst.8. cap. in audientia de sentent. excomm.* concordat *Trid. sess.22. cap.1. de Reform.*

Adeò ut executio pœnarum, quibus Clericus hac de causa mulctandus venit,
9 per appellationem impediri nequeat, cum ea suspendere non valeat illa, quæ ad morum correctionem pertinent, ad dispositа per *Tridentin. dicto cap.1.* facit *Textus in cap. ad nostram de appellat. Barbosa ad Tridentin. dicto cap.1. num. 6., & voto decis. lib. 1. voto 4. num.73.*

Undè in Urbe, & Statu Ecclesiastico, attenta *Constitutione Pii IV. l.* 49.
10 *& S. Pii V. la* 145. pro delatione, vel retentione archibusetti brevioris mensuræ duorum palmorum, non minus Clerici, quàm laici, omnesque alii cujuscunque dignitatis, & præeminentiæ puniuntur gravissimis pœnis, etiam criminis læsæ majestatis, & rebellionis, ac insuper Excommunicationis latæ sententiæ: *Guazzin. de Confisc. bonorum conclus.13. ampliat.38. num.1. Farinac. quæst.108. num.52. Bellett. disquisit. Cleric. part.2. tit. de pœnis Cleric.* §.50. *num.5.*

Ut sit locus pœnæ parvorum archibusettorum, de qua supra, requiritur
11 quod pro parte Fisci per concludentes probationes parvitas ipsa sit probata; ita *Bertasol. cons.461. num.10. lib.1. Guazzin. de Confisc. bonorum conclus.3. ampliat.88. num.15.* & ad defensam reorum *def. 4. cap. 8. num.3. Farinaccius quæst.108. n.54. Andreol. controv.426. num.22.*

Undè si testes deponant de brevitate
12 mensuræ cum dictione *in circa*, eo quia hujusmodi dictio *in circa* habet latitudinem, & sic inducit dubietatem, non probant, ita *Guazzin. de ampliat.88. num.16. & d. cap.8. num.3. Farinac. quæst.108. num.54. Andreol. supr. num.23.*

Locum verò non habet pœna contra deferentes archibusettum de quo suprà,
13 ubicunque illud fuerit inutile, & non aptum ad offendendum, *Guazzin. dicta ampliat. 88. num.18. & dicto cap.8. num.4.* & *Doctores* passim.

Sicuti, ubi quis arma desert ligata, itaut cum illis neminem offendere pos-
14 sit; nam pariter hoc casu excusatur à pœnis latis à Jure contra deferentes arma, *Clarus quæst.82. num.78. Farinac. suprà num.83.* & *Nos* latè *alibi, ubi de delictis.*

Armorum usus licèt Clericis interdictus sit juribus, de quibus supra, in
15 quampluribus verò videtur eisdem permissus: hinc ubi Clerici per loca periculosa iter facere debent, ad terrorem latronum, poterunt de licentia Ordinarii arma deferre; videntur enim hoc facere necessitate coacti, *Glossa in cap.2. hoc titulo,* ubi *Barbosa num.5. & ibi Abbas num.8. Menoch. de arbitr. casu 394. num.58. Decian. tract. crimin. lib.8. cap.3. num.34. Farinac. qu.108. num.110. Bellett. disquis. Cleric.* §.18. *num.15. Carolus de Graff. de effect. Cleric. effectu 20. num.13. Ugolin. de potest. Episc. cap.13.* §.12.

An verò liceat indistinctè Clericis, ad eorum defensionem arma sumere, vi-
16 dere est: & dicimus, quòd, ubi Clericus non potest aliter mortem evitare, valeat occidere aggressorem suum, nec ullam irregularitatem incurrit; nam potiùs aggressor videtur se ipsum occidere, quàm ab aggresso occidi, ut probatur ex *Text. in cap. si furiosus de homicidio:* & ideò nullum peccatum incurrit: hinc *Joannes de Lignano in tractatu de justo bello*, inquit quòd si
17 Clericus celebrans invaditur, justè valet dimittere celebrationem, & si, defendendo se, occidit aggressorem, potest incontinenti redire ad Altare, & Sacrificium prosequi: vide quæ *Nos* latè sub

tè sub *titulo de homicidio ad defensam commisso*.

Hoc idem videtur dicendum, ubi agitur de defensione propriorum bono-
18 rum; nam licèt Clericus videatur directè arma sumere pro defensione bonorum, videtur nihilominus indirectè sumere illa pro defensione suæ personæ; undè occidendo eum, qui bona ipsius Clerici auferre vult, non dicitur reus culpæ. Vide quæ *Nos* latè *dict. tractatu de homicidio*, necessitate commisso, & ita ex *Textu in d. cap. 2. de vita, & honest. Clericorum*, ubi *Abbas, & alii*.

Quoad secundùm sequitur, ut videamus, an Clericus ferens arma prohibi-
19 ta, præcipuè si sint proditoria, offensiva, vel aliter jure, aut statuto Principis sæcularis prohibita, possit illis per ministros laicalis Curiæ spoliari: & in hoc variæ sunt Doctorum sententiæ. Quòd possit spoliari absque metu Excommunicationis, docent infrascripti Doctores *Lopez l. 46. tit. 6. part. 1. Covar. var. resol. lib. 2. cap. fin. num. ultimo, & practic. cap. 23. num. 6. Gomez ad legem tauri 45. num. 48. Clarus quæst. 36. num. 26. Plac. in Epitome delict. lib. 1. cap. 8. num. 9. Menoch. de arbitr. casu 394. num. 30. cum sequent. Salzech. ad Diaz cap. 58. Bobadillo in sua politica tom. 1. lib. 1. cap. 13. n. 67.* & alii passim.

Contraria sententia est verior, videlicet, quòd Clericus arma ferens
20 contra laicale statutum, non valeat spoliari eisdem à laicalibus ministris; etenim nulla est jurisdictio, & potestas Judicis laici in Clericos; undè non valent contra illos procedere. Jurisdictiones namque à Deo divisæ sunt, Summo Pontifici assignata fuit potestas, & jurisdictio quo ad Ecclesiasticos, & potestas pariter in laicos, ubi de causis spiritualibus agitur, ut ex *toto titulo*
21 *de foro competenti*, Judici laico in laicos: ita Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem, relatus *in cap. cum ad verum 96. dist. & Gelasius Papa in cap. si Imperator 11. eadem dist.* latè *Sperellus decis. 123. num. 6.* facit *Textus in cap. Ecclesiæ S. Mariæ de Constitutionibus*, ubi *Fagnan.* & alii.

Monstruosum enim esset, ut inferior
22 digniorem negaret, & coerceret, *cap. cum inferior. de major. & obedientia*, ubi Canonistæ: vide quæ nos latè sub *titulo de Immunitate Ecclesiastica*, sive locali, sive personali aut reali, ubi an statuta laicorum valeant ligare Clericos, & personas Ecclesiasticas.

Posito igitur quòd Clerici non ligantur statutis laicorum interdicentibus
23 usum armorum; inde sequitur quòd ubi ministri laicalis Curiæ eos invenerint cum armis prohibitis, spoliare non possunt, citra pœnam censurarum, *Genuensis in praxi cap. 92. num. 6. Marta de Jurisdictione part. 4. casu 17. Bellett. disq. Cleric. de favore Cleric. §. 2. n. 38. Barbosa de Jure Eccles. lib. 1. cap. 40. num. 140. Sperell. decis. 124. num. 8. Sacra Congreg. Immunitatis in una Adiacen. 18. Martii 1631. ad dubium 2.* ubi proposito dubio, an Curia sæcularis possit absque auctoritate Episcopi à Clericis arma prohibita deferentibus auferre, respondit, non posse, & in altera *Nullius Abbatiæ S. Vincentii in Volturno 26. Februarii 1695. lib. 1. decis. Vallemani*.

Judices Ecclesiastici, puta Ordinarii locorum, ad effugienda omnia in con-
24 venientia, debent promulgare aliud Edictum, interdicentes eorum subditis usum armorum sub pœnis &c. Ac committendo pariter ministris laicalis Curiæ capturam illorum, quatenus eos invenerint cum armis prohibitis: quo casu erunt liberi ab omni molestia, cum hoc tamen, quòd ducant eos ad Carceres nomine Episcopi: consilium hoc est *Antonii de Butrio in cap. cum non ad homine num. 31. de Judiciis*, quem sequutus fuit *Sperellus decis. 124. num. 67.*

AR-

ARGUMENTUM.

Clericorum vitæ, & honestati quantùm repugnet, eos ludere, ubi quinam dicatur Ludus prohibitus, quænam sit illius enormitas. Clerici lusores quibus pœnis erunt puniendi; ibique de pœnis contra retinentes Ludum? Victus an possit repetere pecuniam amissam? Contractus facti in Ludo an sint nulli?

SUMMARIUM.

1 *Lusores plerumque blasfematores etiam evadunt.*

2 *Clericis ludere aleis, vel taxillis prohibitum est*, & num.11.

3 *Ludus alearum interdicitur etiam jure civili.*

4 *Causæ, propter quas Ludus prohibetur, remissivè.*

5 *Ludus prohibiti recensentur*, & n.6.

7 *Ludo prohibito nedum ludere non licet, sed neque illi interesse.*
Declara, ut num.11.

8 *Ludentes Ludo prohibito quas pœnas incurrant*, & num.11. *juncto* n.17. cum seq.
Et quas ii, qui falsis aleis Ludunt ibid.

10 *Ludentes Ludo prohibito repelluntur à testimonio perhibendo.*

12 *Regularibus prohibitus est Ludus.*

13 *Clericis ludere permissum est Ludis non prohibitis, & quomodo*, n.14. & seqq.

21 *Ludum retinens quibus pœnis subjiciatur*, & num.22. cum seq.
Et quid de jure Regni Neapoli cautum fuerit contra retinentes Ludum, num.24. & seq.

26 *Pecunias amissas in Ludo illicito num, & cui repetere liceat*, & num.28. & seq.
Et quanto tempore actio pro repetitione præscribatur.

27 *Actio non datur pro solutione pecuniæ, amissæ in Ludo.*

30 *Ludentes cum filiofamil. servo, vel Religioso, pecuniæ victæ quasi fures reputantur.*

32 *Lusores juxta Pragmaticam Regni Neapolis qua pœna puniantur*, & num. 33.

34 *Contractus facti in Ludo prohibito irriti sunt*, & num.35. & seqq.

39 *Promissio solvendi facta in Ludo prohibito, qu movis in Scripturam redacta, obligationem non inducit.*

DISCEPTATIO VII.

Ludi usus detestabilis est propter plura, & infinita mala, quæ ex Ludo proveniunt; lusores enim ut plurimum
1 sunt blasphematores, ad *Text. in l. alearum usus, C. de Relig. & sumpt. funerum, l. solent, ff. de aleator. Clarus* §. *Ludus*; mala quæ ex ludo proveniunt quamplura sunt, quæ his versibus continentur:

Ludus enim genuit trepidum certamen, & iram
Ira truces inimicitias, & funebre bellum.

Et melius *Hostiensis in Summa de Excess. Prælat. num.5.* his versibus:

Hæc, cum taxillis ludendo, crimina fiunt:
Ecclesiæ spretus, usuraque, sive rapina,
Scandala, vel nugæ, blasphemiæ, seu faciendi furta doctrina.
Violentia, crimina falsi, & mortis causa deceptio.
Perditioque temporis, & desiderium corruptio, junges
Istis prædictis adulatio, vitaque turpis.

Undè non immeritò interdictum vi-
2 detur Clericis ludere ad aleas, & taxillos, ad *Text. in cap. Clerici il 2. de vita, & honestate Clericorum, cap. cum inter dilectos de Excess. Prælat. Abbas, Barbosa, & alii ad citatos. Textus*: concordat *Tridentin. sess.22. de Reformat. cap.1., & sess.24. pariter de Reformat. cap.12.*, de *Grass. de effect. Cleric. effectu 22. Farinacc. quæst. crim.109.n.92. Squillante de oblig. Cleric. part.2. n.45. Ugolin. de potest. Episc. cap.13. num.2.* ubi subdit, hoc procedere in omnibus Clericis, qui Ordine sacro initiati sunt, vel in minoribus Ordinibus, si Beneficium

cium habeant Ecclesiasticum, *Roderi. cus à Cunha in Comment. cap. 1. num. 1. & seq. 35. dist.*

De jure pariter Cæsareo videtur in-
3 terdictus usus Ludi alearum ad *Text. in l. alearum usus, C. de Relig. & sumpt. funerum*; Ludus enim nobis prohibetur non solum illicitus, scilicet qui in sola fortuna, vel sorte consistit, sed etiam ille Ludus, qui habet mixturam, & fortunæ, & ingenii, qualis est Ludus taxillorum, & chartarum, *Clar. supr. n. 2.*

Quamplures enumerantur causæ, propter quas de jure videtur prohibitus
4 Ludus: novem verò causas, decem, & septem crimina, & viginti, & unum peccatum assignat, *Raynald. observ. crim. cap. 30. §. 1. num. 4. Pappia de Jure Regni lib. 5. tit. 47. de Ludo.*

Inter Ludos prohibitos primum locum obtinet Ludus chartarum; Ludus
5 enim hic omnibus notus est, eodemque Ludo sub diversis speciebus, ac varietatibus, seu modis ludendi, omnes quasi ludunt, ludunt tàm mares, quàm fœminæ, tàm nobiles, quàm ignobiles; unde Ludus iste cum consistat in fortuna, & ingenio, ab utroque jure damnatus est, ut demonstravimus per *Text. in d. cap. Clerici hoc titulo, l. 1. ac toto titulo, ff. de alearum usu, Pignatell. consult. Canonic. tom. 6. cons. 93. Farinacc. quæst. 109. num. 7. & 13.* & ita ex juribus nostri Regni.

Secundum locum tenet Ludus alearum, qui vulgò dicitur *à Tavoliero*, seu
6 *Sbaraglino*; cum adhuc dicatur Ludus consistens in ingenio, & fortuna; hic quidem Ludus pariter est prohibitus tàm à jure Canonico, quàm civili, ad *Text. in d. cap. Clerici, Auth. interdicimus, C. de Episc. & Clericis, Farinacc. supr. num. 10. & 14.*

Tanta autem est vis hujus prohibitionis, ut non solùm de jure veniant pu-
7 niendi lusores, sed etiam Ludo prohibito interessentes, ad *Text. in l. fin. C. de Relig. & sumpt. funerum*, ibi = *Atque inspicere* = *Auth. interdicimus C. de Episcop. & Clericis*, & ex *d. cap. Clerici*, ibi = *Nec hujusmodi Ludis intersint* = *Raynald. sup. num. 60. & 63. Novar. ad Pragmaticam sextam nostri Regni de aleatoribus num. 12.*

De jure Canonico ludentes Ludo
8 prohibito, si à Ludo non desistant, possunt excommunicari, ad *Text. in cap. Episcopus 35. dist. Farinac. suprà n. 59. Menoch. de arbitr. Judic. casu 399. n. 6.* ubi alii *Doctores*.

Ludens falsis chartis, scilicet qui illas falsificavit, tenetur restituere totum illud, quod in Ludo indebitè acquisivit,
9 & in pœnam puniri potest Judicis arbitrio, juxta facti, & personarum qualitatem, *Puteus de Ludo num. 45. Caccialupus de Ludo n. 62. Raynald. d. cap. 30. §. 6. num. 60.*

Lusores qui supra, ultra pœnas prædictas, quotiescumque consuetudinem
10 habent ludendi in Ludis prohibitis, repellendi erunt à munere ferendi testimonium, *Pignatell. consult. Canon. tom. 6. cons. 93. n. 26. Novar. ad Pragmaticam primam de Lusoribus, Raynald. dicto cap. 30. §. 1. num. 53.*

Redeundo ad Clericos lusores Ludo de quo suprà, istis signanter interdictus
11 est Ludus alearum, & taxillorum, nec interdicta videtur aliis interessentia in Ludo ipso, ad *Textum in d. cap. Clerici 12. de vita, & honest. Cleric.*, *Trident. sess. 22. cap. 1.*, & *sess. 24. cap. 12.* utrobique *de Reform. Pignatell. sup. dicta consult. 93. Farinacc. suprà quæst. 109. num. 92. Bertachinus vot. 11.*

Hoc idem videtur dicendum de Re-
12 gularibus, qui uti mortui in Mundo, debent stare soli, & tristes in Monasterio, *cap. placuit 16. quæst. 1. l. Deo nobis, C. de Episc. & Clericis.*

Clericis, de quibus suprà, interdictum est tantùm ludere Ludis prohibi-
13 tis; nam Ludis non prohibitis ludere, & recreationis causâ, hoc eis de jure non venit denegatum; ludere tamen de-
14 bent Ludo non prohibito clam, & non palam, *Summa Sylvestrina V. Ludus n. 2. Summa Angelica V. Ludus n. 2. Farinac. sup. n. 99.* & alii *Doctores*.

Neque ludere debent, ubi adsunt
15 Laici, illos admittendo, cum ludunt, *Vivius com. opin. 467. n. 4. Farinac. sup. num. 100.*

Eoque magis admittere non debent
16 ad Ludum mulieres, præsertim juvenes, & formosas, ratione scandali, vel periculi, *Vivius sup. n. 3. Farinacc. n. 1.*

In

In locis, ubi non est in observantia dispositio Sacrorum Canonum com-
17 mendantium Clericis, imò prohibentium eisdem, ne ludant Ludis prohibitis, potest Ordinarius loci eis prohibere, ne ludant etiam sub excommunicationis pœna, ut ex *Sacra Congreg. Concil. in una Civitatis Plebis* 10. *Novembris* 1646. *lib.*18. *Decret. fol.*224. & alibi.

Hoc quidem justè sancitum videtur; nam Clerici, cum in sortem Domini vo-
18 cati sint, studiis sacrarum litterarum vacare debent. Facit *Tridentin. dicto cap.*1. *de Reformat.* ubi quoad pœnas Clericorum Lusorum, confirmat pœnas aliàs sancitas à Summis Pontificibus, & Sacris Conciliis, tribuendo etiam Ordinariis locorum facultatem imponendi etiam majores pœnas illorum arbitrio.

Clericus, ubi fuerit publicus Aleator, ipso facto repellitur à promotio-
19 ne, non autem privatur Beneficio obtento, nisi præcedat monitio: & non valet dici aleator publicus, ubi tantùm
20 paucis vicibus lusit, ita de mente *Text. in cap. Episcopus* 35. *dist. Abbas Panormit. in d. cap. Clerici il* 2. *n.*12. *de vita, & honest. Cleric. Diaz in praxi crimin. Canon.* ubi de aleatoribus, *Menoch. de arbitr. Judic. casu* 399. *n.*19.

Ludum retinens causâ lucri habendi, in pœnam tanti criminis, domus, in
21 qua luditur, Fisco venit applicanda, ad *Text. in l. fin.* §. *Sed istam, C. de Relig. & sumpt. funerum, Raynald. sup. c.*30. §. 1. *num.*23.

Et id, quatenus is, qui ludum retinet, fuerit injuriis, vel verberibus affectus
22 in domo in qua luditur, verberans excusatur à pœna, *Raynald. sup. num.*24. ubi *Doctores*.

Furtum factum illi, qui domi suæ Ludum retinet, impunibile est, *l.*1. *ff.*
23 *de aleæ usu*, dummodo factum fuerit tempore Ludi, *Menoch. de arbitr. casu* 399. *num.*23., *Farinacc. quæst.*109. *num.*41. *& seq.*

De jure nostri Regni per *Pragmaticam decimamtertiam sub titulo de aleatoribus*, retinens Ludum domi, si erit
24 nobilis relegatur per triennium; si verò ignobilis, damnatur ad triremes per triennium; si fuerit mulier, mittitur
25 in exilium per triennium. Quod quidem crimen per *Pragmaticam octavam de aleatoribus* probari potest per tres testes singulares.

Ludus, ubicumque fuerit prohibitus, & illicitus, amittens pecunias in illo il-
26 las repetere valet à victore, *Glossa in l. fin. ff. de aleatoribus l. fin. C. de Relig. & sumpt. funerum, cap. Clerici il* 2. *de vita, & honest. Clericorum*, ubi *Abbas num.*13. *cap. Episcopus* 35. *dist. Menoch. de arbitr. Judic. casu* 399., *Puteus de ludo n.*20.

Eoque magis locum habet supradicta conclusio, ubi pecunia nondum fue-
27 rit soluta; nam victor non valet agere contra victum, ut habetur ex *d. l. fin.* §. *commodis, C. de Relig. & sumpt. funerum, Albanus in l.*1. §. *si rapinam, ff. de aleæ lusu*.

Si ille, qui pecunias amisit in Ludo, fuerit filiusfamilias, sive Ludus fuerit
28 licitus, sive illicitus, quod idem videtur dicendum de servo, ejus pater, vel ejus dominus respectivè, habet actionem ad repetendum amissum adversùs victorem, ut ex *d.* §. *commodis*, *Glossa in d. cap. Clerici*, ibique *Abbas Panormit. n.*13. *Farinacc. quæst. crimin.*109. *num.* 177. Idem locum habet in Reli-
29 gioso, ut ex *d. Glossa*, *& Abbate s p.* Imò ludentes cum filiisfamilias, Servis,
30 Religiosis, & similibus, non solùm non lucrifaciunt sibi ipsis, sed etiam committunt furtum, *B ld. in l. advocationis num.*2. *C. de condict. ob causam datam*, *Caccialupus de Ludo num.*39. Adversùs
31 repetitionem pecuniæ amissæ in Ludo de quo suprà, non datur præscriptio, nisi annorum decem, *Glossa in dicto cap. Clerici, d.* §. *commodis*, *Farinacc. sup. num.*193. *Caccialupus sup. num.*42.

Lusores alearum, scilicet chartarum, de jure nostri Regni, amittentes ultra
32 ducatos decem in uno die solari, scilicet infra cursum horarum vigintiquatuor, tenentur restituere victo illud plus ducatorum decem, ut ex *Pragmatica secunda de aleatoribus*, ubi *Rovitus, & Novarius*. Neapoli verò, & per ejus
33 districtũ, Villici ludentes Ludis prohibitis puniri possunt pœna trium ictuum funis, *Novar. ad Pragmaticam tertiam*

*de aleatoribus coll.*4. Cessat verò hujusmodi pœna, ubi Villicus fuerit dives, *Novar. suprà num.*3. *Riccius decis.*19. *part.*2.

Demum est videndum, an contractus facti in Ludo prohibito, puta alearum,
34 seu chartarum, sint validi: & negativè respondendum videtur, ad *Textum in l. quibus, ff. de aleæ usu, l. alearum usus C. de Relig. & sumpt. funer. Farinacc. d. quæst.*109. *num.*203. *Tappia de Jure Regni lib.*5. *titul.*47. *Raynald. observ. crimin. cap.*30.§.7. *num.*4. *Rota recent. part.*18. *decis.*553. *num.*1.

Undè non valent fieri fidejussiones;
35 & quatenus data fuerit fidei jussio, fidejussor non tenetur servare promissa, *Farinacc. suprà num.*206.

Non valent fieri venditiones inter
36 ipsos lusores; nam aliter venditio est nulla, *Bart. in l. si quis, ff. pro emptione, Farinacc. suprà num.*207.

Non valet fieri transactio super pecu-
37 nia amissa in Ludo, *Abbas suprà n.*16. *Farinacc. suprà n.*212. *Puteus de Ludo num.*21.

Non valent fieri improntantiæ pecuniarum inter ipsos collusores; nam ali-
38 ter qui pecuniam mutuo recepit non tenetur ad restitutionem, dummodo recepta fuerit in Ludo, *Gloss. in l.*1. §.*quod autem, ff. de aleæ usu, Puteus de Ludo num.*15. 17. & 45. *Raynald. d. cap.*30. §.7. *num.*1.

Quando luditur Ludo prohibito, pecuniâ creditâ, licèt collusor promittat
39 solvere, toties quoties amiserit, talis tamen promissio non est servanda, licet fecerit scripturam, solutionem promittendo, *l.*4. §. *si quis, ff. de doli except. l. ult. C. de aleatoribus, Caecialupus de Ludo num.*34. *Puteus de Ludo num.*21. *Paulus Christin. decis.*200. facit *Pragmatica nostri Regni la prima de aleatoribus*, ubi *Novarius*.

ARGUMENTUM.

Clericorum vitæ, & honestati quantùm repugnet crapula, & ebrietas? quæ crapula, quæ ebrietas eisdem interdicta videtur? quibus pœnis erunt puniendi hujusmodi Clerici?

SUMMARIUM.

1 *Clerici debent abstinere à crapula, atque ebrietate, & redditur ratio,* num.2. & seq.
6 *Clericorum usus vini qualis esse debeat,* & num. 7.
8 *Moniales vitare debent vinum tanquam ipsis valdè noxium.*
9 *Crapula quid sit: quid ebrietas: quinam earum effectus,* & nn. seqq.
12 *Ebrius quatenus quis dicatur.*
13 *Clerici se temperare debent vino: Vinum autem non temperantes an, & qualiter peccent,* num.14. & seq.
17 *Clericus ebriosus, sive crapulosus, mulctari potest pœna suspensionis, prævia tamen monitione; minimè verò privari debet Beneficio,* & n.18. cum seqq.

DISCEPTATIO VIII.

Clericorum vitæ, & honestati quantùm repugnet crapula, & ebrietas, nobis est hìc demonstrandum. Et nulli
1 dubium est, quòd attentâ dispositione Juris, ad *Text. in cap. à crapula, hoc titulo*, Clerici abstinere tenentur à crapula, & ebrietate, ubi *Canonistæ*.

Ratio hujusmodi prohibitionis est, quia ebrietas inducit exilium mentis,
2 & præbet incentivum libidinis, ut ex *d. Capitulo*, illa dissipat sensum, obturat auditum, onerat cerebrum, infirmat nervos, resolvit viscera, balbutit linguam, confundit intellectum, enervat & fœdat corpus, omnia membra debilitat, exhaurit substantiam, secreta pandit, risus excitat, ad *Text. in cap.* 1. 44. *dist.* ubi *Canonistæ communiter*.

Undè meritò *Apostol. ad Ephesios* 5.
3 ita exclamat: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*. Concordat illud *Proverb.*

verb.20. ibi = *Luxuriosa res est*, *vinum*,
& contumeliosa ebrietas: *qui cum his
immiscetur non erit Sapiens*. Facit il-
lud *D. Bernardi de contemptu Mundi*,
ubi ita inquit: *Quid turpius ebrioso*, *cui
fœtor in ore*, *tremor in corpore*, *qui pro-
mit stulta*, *pandit occulta*, *cui mens alie-
natur*, *facies transmutatur*: *ibi nullus
sensus*, *ubi regnat ebrietas*.

Hinc Clericus vinolentus damnatur
4 ab Apostolo, & veteri lege, ad *Text.
in cap. vinolentum* 35. *dist.*, ubi *Docto-
res*. Nec Clerici debent bibere ultra
tertiam vicem, ad *Text. in cap. quando*
44. *dist.* ibi = *Et maximè ultra tertiam
vicem poculum non contingant*.

Undè *Lucius Apulejus Florid.* 1. ita
5 inquit: *Primum crater ad sitim perti-
net*, *secundum ad hilaritatem*, *tertium
ad voluptatem*, *quartum ad insaniam*.

Quare *Navarrus in Manuali cap.* 25.
num. 111. damnat Clericos bibentes ul-
6 tra tertiam vicem, quod ita prius sensit
*Abbas ad Text. in dicto cap. à Crapula
num*.2., sed hoc intellige, nisi natura-
lis appetitus ultra non exigat.

Sed meliùs cum *Mariano Soccino per
Text. in cap. si constiterit num*. 19. *de
7 Excusat*. dicimus spectandam esse quali-
tatem personæ & temporis, & omnia ad
sobrietatem, & necessitatem reducenda.

Moniales verò debent fugere vi-
8 num tamquam venenum, ad *Text. in
cap. carnem de consecrat. dist*.5. & *Do-
ctores passim*.

Diximus *ex præcitato capitulo*, Cleri-
co esse abstinendum à crapula, & ebrie-
9 tate; hic nota, aliud esse crapulam, aliud
ebrietatem: ut quidem crapula sit ex-
cessus cibi, seu immoderata voracitas,
& ingluvies, qua stomachus prægrava-
tur, ad *Text. in cap. ne tales de conse-
crat. dist*.5.

Et dicitur crapula quasi cruda epu-
la, quia homines ità voraciter epulan-
10 tes, perfectè non digerunt, sed mate-
riam indigestam emittunt, *cap. sint ti-
bi*, *cap. ne tales de consecrat. dist*.5. *Ab-
bas in dicto cap. à crapula supra num*.1.

Ebrietas verò est excessus vini, &
11 immoderata potatio, ut *Glossa*, *Abbas*,
& alii *ad citatum Text. in cap. à crapu-
la*. Ebrius enim valet dici, qui ultra
tertiam vicem in prandio, vel cœna bi-
bit, ad *Text. in cap. quoniam* 44. *dist.*,
ubi *Doctores*.

Aristoteles verò *in Problemat.* di-
stinguit crapulam ab ebrietate in eo,
12 quod ebrietas unà cum mente adimit,
& sensum doloris; crapula verò, con-
stante animo, caput affligat. Undè *Di-
vus Augustinus lib*. 10. *confess. cap*. 31.
ante medium *tom*.1. inquit ita: *Ebrie-
tas longè est à me*; *misereberis*, *ne ap-
propinquat mihi*, *crapula autem non-
numquam surrepsit servo tuo*.

Clerici igitur de quibus suprà, tem-
13 perare se debent vino, ad *Text. in di-
cto cap. à crapula*, ibi = *Undè vinum sibi
temperent*, *& se vino*. Hinc videre est,
an bibentes vinum sine aqua, absque
14 justa causa peccent, & affirmativè vi-
detur respondendum, ea ratione, quia
faciunt contra dispositionem *d. Text*.

An verò peccent venialiter, vel mor-
taliter? & circa præsens dubium variæ
15 sunt Doctorum sententiæ; nonnulli
enim putant, ita bibentes vinum sine
aqua peccare tantùm venialiter, ea ra-
tione, quia *supracitatus Textus à crapu-
la* tantùm consulit, non præcipit, ex
quo nullus cibus, vel potus secundùm
se est illicitus, licèt per accidens fieri
possit illicitus, attenta conditione bi-
bentis; quia de facili læditur vino, vel
quia speciali voto obligatur à vini absti-
nentia, & quandoque à consortio, ut si
quis scandalizaretur: hoc enim inten-
dit *Apost. ad Roman.* ibi = *Bonum est
non manducare carnem*, *& non bibere
vinum*, *in quo frater tuus scandaliza-
tur*, & ita *D. Thomas* 2.2. *quæst*.149.

Alii verò tenent, bibere vinum ad
ebrietatem esse mortale, ex quo supra-
16 citatus *Textus in d. cap. à crapula*, lo-
quitur præceptivè non consultivè, ibi =
à crapula, *& ebrietate omnes Clerici di-
ligenter abstineant*, *undè vinum sibi tem-
perent*, *& se vino*. Quod autem impe-
ratur, necesse est fieri, ad *Text. in cap.
fin*. §. *quod præcipitur* 14. *quæst*.1. ubi
Canonistæ.

Facit illud *D. Augustini ad Text. in
cap. unum horarium* §. *nunc autem* 25.
dist. dicentis, ebrietatem esse peccatum
mortale, si illa sit assidua; quem locum
reverenter glossat *Divus Thomas* 2. 2.
quæst.150. *art*.2. *in respons. ad primum*

dicens, assiduitatem facere, ut ebrietas sit peccatum mortale, non propter solam iterationem actus, sed quia non potest esse, ut homo assiduo inebrietur, quin sciens, & volens ebrietatem incurrat; dum multoties experitur fortitudinem vini, & hilaritatem suam ad ebrietatem, latè *Fagnan. in d. cap. à crapula*, & priùs *Abbas*, *& alii*.

Remanet ut videamus, an Clericus crapulosus, & ebriosus possit puniri à
17 suo Judice, & qua pœna puniri valeat: & nulli dubium est, quod valeat suspendi à suo officio, vel beneficio, nisi commonitus ab illo; abstinuerit, ad *Text. in d. cap. à crapula de vita, & honest. Cleric.*, ubi *Fagnan. num.23.*, & plenius *Fel. in cap. inter ceteras num.5. de Rescriptis*.

Pœna verò prædicta, locum habet
18 tantum ubi monitus, non desistit, ut ex *d. Text.* ubi *Abbas num.4.*

Hinc Judex in tali casu tantùm valet illum suspendere, vel ab officio, vel à
19 beneficio, non autem privare eum beneficio, ut docet *Sacra Rota recentior. part.15. decis.31. num.7.*

ARGUMENTUM.

Clericorum vitæ, & honestati quantum repugnet delicta committere. Delicta verò committentes quibus pœnis erunt puniendi, & quatenus, atque pro quibus criminibus erunt degradandi, & Curiæ laicali tradendi.

SUMMARIUM.

1 *Ab humana fragilitate Clericos non liberat ipsorum dignitas.*

2 *Clericus propter hæresim quam pœnam incurrat*, & num.5. cum seq.

3 *Clericus Curiæ seculari tradendus non est ante degradationem.*

4 *Clericus solâ primâ tonsurâ initiatus num degradandus sit.*

7 *Clericus, qui post hæresim resipiscit, qualiter pœnam ultimi supplicii evadat*, & num.8. & seq.

10 *Clericus labens in hæresim an pœnam privationis Officiorum, ac Beneficiorum incurrat ipso jure*, & n.11. & seqq.

13 *Clerici falsarii pœna exponitur, sive per se, sive per alium falsitatem committat*, & num.14. cum seq.

18 *Clericus reus criminis homicidii quâ pœna puniendus sit*, & num.20. cum seqq.

19 *Loco pœnę detrusionis in Monasterium, hodie subrogata est pœna carceris, vel triremium.*

22 *De pœna Clerici ob assassinium.*

23 *Propter assassinium nequit Judex laicus contra Clericum procedere ante sententiam declaratoriam Judicis Ecclesiastici.*

24 *Jurisdictio qualificata exerceri potest, tunc, quando qualitas concludenter probata sit.*

25 *Judex Ecclesiasticus dicitur competens in causis Clericorum.*

26 *Clericus carceratus per satellites Judicis laici propter assassinium, remittendus est ad Judicem Ecclesiasticum, donec ab eo prodeat declaratio admissi criminis*, & num.27. cum seq.

29 *Judex laicus nequit etiam in casibus permissis procedere contra Clericum, nisi post sententiam declaratoriam Judicis Ecclesiastici.*
Et redditur ratio, num.30.

31 *Ad pœnam degradationis, ratione criminis impositam, Judex Ecclesiasticus cautè procedere debet, & consulto priùs Papa, vel Sacra Congreg. Immunitatis.*

32 *Contra Clericum usurarium quænam pœna statuta sit*, & n.33. cum seq.

35 *Pœna Clerici furtum committentis quęnam sit*, & num.36. cum seq.

38 *Quænam Clerici simoniaci, & qualiter de simonia constare debeat*, n.39.

40 *Clericus diffamatus de simonia instituendus non est ad Beneficium.*

41 *Clerici fornicatoris pœna recensetur*, & num.42. cum seq.

45 *Clericus fornicator an sit suspensus etiam quoad alios; itaut Divina ab eo audire, vel Sacramenta suscipere non liceat*, & num.46.

47 *Clericus fornicator non incurrit irregularitatem.*

48 *Clericus copulam habens cum Moniali privatur suis Beneficiis, atque in Mo-*

Monasterium ad perpetuò ibi agendam pœnitentiam detruditur.

Ecclesiastica tamen immunitate privatus non remanet; ideò ad Ecclesiam confugiens, ab eo extrahi nequit, num.49.

50 *De pœna Clerici sodomitæ, & an is gaudeat immunitate locali*, n.51. & seq.

54 *Quæ sit pœna Clerici adulteri*, & n.55.

Quæ Clerici incestuosi, num.56.

Rursus quâ pœnâ plectendus sit Clericus, qui stuprum commiserit, num.57. & seq

Item quomodo puniatur Clericus Concubinarius, num.59. & 60. cum seq.

Quomodo Clericus, qui raptum commisit, num.62.

63 *Crimen raptus admissum à Clerico, eum efficit infamem cum perpetua inhabilitate ad obtinendas dignitates*.

64 *Quænam pœnæ sint statutæ contra Clericum ob lenocinium, sive ab ortum procurantem, vel incendium*, & num.65. cum seq.

68 *Incendiarius tenetur omnia damna reficere; quatenus tamen ad Ecclesiam confugerit, gaudet immunitate*, num.69.

DISCEPTATIO IX.

Licet Clericorum dignitas maxima sit, ob characterem Ordinis, quo deco-
1 rantur, non tamen Ordo iste operatur quin ipsi sint sicut cœteri homines, fragiles, ac mortales, vasa lutea portantes: ac proindè non eximuntur à naturali fragilitate; itaut nequeant committere delicta: undè meritò breviter in hac Disceptatione aliquid dicemus, & demonstrabimus quibus pœnis erunt puniendi, quatenus aliquod delictum ex infra dicendis commiserint: & *primò* quid circa hæresim.

Hæresis crimen ubi Clericus commiserit, in pœnam tanti sceleris, pe-
2 racta actuali degradatione, tradendus erit sæculari Curiæ, ut pœnam subeat sui erroris, ad *Text. in cap. ad abolendam de hæreticis*, ubi *Fagnan. n.14., cap. super eo, cap. accusatus eodem tit. in 6*. Dixi: *Peracta actuali degradatione*; etenim ante degradationem
3 non est tradendus laicali Curiæ, ad *Text. in d. cap. ad abolendam* ibi = *Totius Ecclesiastici Ordinis prærogativa nudetur, & sic omni officio, & Beneficio spoliatus Ecclesiastico*. Videre est,
4 an solâ primâ Clericali tonsurâ insignitus, sit degradandus, in casu, quo in hæresim inciderit: & affirmativè dicit *Fagnanus in cap. cum contingat de ætate, & qualitate num.62.* concordat *Text. in cap. degradatio de pœnis in 6.* ibi = *Degradationem continuet usque ad primam vestem, quæ datur in Collatione Tonsuræ* = Idem *Fagnan. in cap. cum non ab homine num.69. de Judiciis*, & alibi passim. *Delbene de S. Inquisit. dub.162. Carena de S. Inquisit. part.3. tit.11. num.57. Farinacc. quæst. crimin.189. num.11.*

Degradatio verò prædicta tunc locum habet, quotiescumque Clericus
5 ob hujusmodi crimen tradendus erit laicali Curiæ; nam quatenus damnandus erit in perpetuum carcerem, vel ad triremes, solùm deponitur, *Pegn. in suo Directorio part.3. tom.45. Delbene suprà num.2.*

Etenim non semper de crimine hæresis infectus traditur Curiæ sæculari, sed
6 tantùm, ubi fuerit relapsus, secùs ubi non fuerit relapsus, & velit se corrigere; nam hoc secundo casu, detrudendus erit in carcerem ad peragendam pœnitentiam, vel in perpetuum, vel ad tempus, prout ministris SS. Inquisitionis visum fuerit *Panimolla decis.14. annot.1. num.19. & 20. Bordon. in manuali sect.14.*

Ad hoc ut Clericus hæreticus, (sive laicus ille fuerit) ad Catholicam Fi-
7 dem rediens effugiat pœnam ultimi supplicii, quatuor copulativè requiruntur. *Primò*, ut incontinenti abjuret errorem suum. *Secundò*, ut sponte id faciat, ad *Text. in d. cap. ad abolendam*, ibi = *Sponte redire* = *Tertiò*, ut abjuret publicè. *Quartò*, ut de peccato condignè satisfaciat per pœnitentiam sibi indicendam ad *Text. in d. cap. ad abolendam*, ubi *Fagnan. & 15. & 16.* concordat *Text. in cap. commissi de hæreticis in 6.*

Ne-

Neque valet dici, attentis Regulis juris communis, quòd qui semel crimen
8 commisit, debet judicialiter puniri, & condemnari, etiamsi pœniteret; quia per hujusmodi pœnitentiam in foro humano, & judiciali, nocens esse non desit, ad *Text. in l. qui ea mente ff. de pœnis*. Nam Ecclesia, cum sit mater benigna, non videtur claudere gremium redeuntibus; ac proindè volens mitiùs agere in hac parte, ordinavit, ut illico post lapsum in hæresim ad unitatem Ecclesiæ sponte Redeuntes, & errorem ut supra abjurantes, & satisfactionem exibentes, ad misericordiam recipiantur, & impositâ pœnitentiâ salutari salvetur ejus vi-
9 ta, nec permittatur occidi per brachium seculare, ut de continua praxi hujus Supremi Tribunalis SS. Inquisitionis de Urbe.

Dixi supra cum *Text. in d. cap. ad abolendam*, Clericos, sive Ecclesiasti-
10 cos quoscumque propter hoc crimen, esse spoliatos omni officio, & Ecclesiastico Beneficio: Hinc sequitur videre, an sint ipso jure privati Beneficiis ipsis; an verò sint privandi per sententiam. Et dicimus esse privatos ipso jure; ponderando verba præcitati *Textus in cap. ad abolendam* ibi = *Et sic omni officio, & Beneficio spoliatus Ecclesiastico*; nam verbum *spoliatus* executionem importat, & sic denotat privationem ipso jure, ut notat *Anton. de Butrio in cap. fin. num.15. de Postulando, & in cap. conquerente de restitut. spoliat.* Facit *Textus in cap. cum secundùm de hære-*
11 *ticis in 6.* per quòd patet bona hæreticorum esse confiscata ipso jure. Et ultra alia jura facit *Constitutio S. Pii V.*
12 quæ incipit *cum ex Apostolatus*, qua perpetuò reservantur dispositioni Apostolicæ Beneficia vacantia propter hæresim, & sic supponit hæreticos esse privatos ipso jure, ut rectè observat *Penia in Directorio Inquisition. part.3. scol.162.*

Falsitatis crimen in literis Aposto-
13 licis ubi Clericus commiserit, in pœnam tanti sceleris incurrit in censuras latas in *Bulla Cœnæ Domini*, nec non venit ipso jure privatus omnibus officiis, & Ecclesiasticis Beneficiis, venit pariter degradandus, & post quam fuerit degradatus tradendus laicali Curiæ, ut condignam luat pœnam: *cap. ad falsariorum de crimine falsi* ibi = *Ut Clerici, qui falsarii fuerint de præbensis, omnibus officiis, & Beneficiis Ecclesiasticis perpetuò, sint privati: ita quòd qui per se falsitatis vitium exercuerint, post quam per Ecclesiasticum Judicem fuerint degradati, sæculari potestati tradantur, secundùm Constitutiones legitimas puniendi, per quam, & laici, qui fuerint de falsitate convicti legitimè puniantur*, ubi *Fagnan. n.2. & 38. cum duobus sequentibus*, & ita ex *Constitutione Innocentii X. in ordine Bullarii novi la 51.* §. *Panimolla decis.76.*

Sed hìc insurgit dubium, numquid hac pœna degradationis, & traditionis Curiæ sæculari puniendus sit Clericus, qui falsificat literas Apostolicas per alium; an verò ille tantùm qui falsificat illas per se ipsum, & *Hostiensis ad citatum Textum in cap. ad falsariorum* dicit, pœnas prædictas habere locum
14 tam contra illum, qui falsificat literas per se ipsum, quàm per alium, ut videre est *apud eumdem n.6.*, & ita docet *Joannes Andr. ad eumdem Textum*; fulti auctoritate *Textus in cap. qui per alium de Regulis Juris in 6.* & ita tenet *Butrius, Ancharanus, Soccin. & alii ad citatum Textum*.

Attamen huic opinioni valdè obstat litera *Textus in d. cap. ad falsariorum*, dum loquendo de Clericis dicit ibi = *qui per se falsitatis vitium exercuerint*: licèt in *versiculo præced.* generaliter præmiserit de committentibus falsitatem per se, vel per alios, infligendo pœnam excommunicationis: deinde in *versiculo statuentes*, dum imponit aliam pœnam Clericis, simpliciter loquitur de falsariis: ita & hæc quoque secunda pœna, locum habet in falsificantibus tàm per se, quàm per alios: sed tandem in *versiculo ita quod*, dum subjungit gravissimam pœnam degradationis actualis, & traditionis Curiæ sæculari non repetit illa verba *per se, vel alios*, ut fecit in prima pœna, nec loquitur simpliciter, ut fecit in secunda, sed expressè dicit, *qui per se &c.* ergo in hoc tertio casu videtur absolutè excludere falsifican-

ſificantes per alios: alioquin ad quid
hæc diverſitas loquendi: undè pœna
talium Clericorum, qui per alios falſi-
ficant, ultra excommunicationem, &
privationem officiorum, & beneficio-
rum, videtur dependere à diſpoſitione
aliorum jurium, *Soccinus*, *Hoſtienſis*,
& alii, *ad d. Text. ad falſariorum*, &
ſignanter *Fagnan. num.* 43.

Clericus verò utens falſis literis
Apoſtolicis, quibus pœnis erit punien-
15 dus, ſequitur ut videamus: & certum
eſt officiis, & beneficiis eſſe privatum,
ad *Text. in d. cap. ad falſariorum* ibi:
*Qui verò ſub nomine noſtro literis falſis
utuntur*, *ſi Clerici fuerint*, *officiis*, *&
Beneficiis Eccleſiaſticis ſpolia tur*, ubi
Fagnan. num. 50. licet veniat privan-
dus per ſententiam docet, *Innocent. Ho-
ſtienſis*, *Joannes Andreas*, *Card. & alii
relati à Fagnano ſupra num.*47.

Nomine literarum Apoſtolicarum de
quibus ſuprà, non comprehenduntur
16 litteræ Sacræ Congregationis, ut do-
cet *Raynald. obſerv. crimin. ſupplem.*2.
*ad cap.*18. *num.*9. ubi ait, neque jura
17 de falſificantibus literas Apoſtolicas lo-
quentia, neque citatam Conſtitutionem
Innocentii X. ſermonem habuiſſe de fal-
ſificantibus literas Sacræ Congregatio-
nis, & ita de quodam Plagen. Diœce-
ſis docet *Raynald. ſupra n.*13. qui cum
falſificaſſet litteras Sacræ Congregatio-
nis anno 1692. non fuit punitus tam-
quam falſarius literarum Apoſtolica-
rum; ſed tantùm uti falſitatis auctor.
Nec ubi falſificant literas Nuncii, vel
Epiſcopi, *Fagnan. ſuprà num.*24.

Homicidii deliberati crimen ubi Cle-
ricus commiſerit, in pœnam tanti ſce-
18 leris, gravi pœna erit puniendus: un-
dè meritò efficitur Irregularis; venit
etiam deponendus ab omni officio, &
beneficio, ac detrudendus in arctum
Monaſterium, ut ibi patrati criminis
pœnam condignam luat, ad *Text. in
cap. cum non ab homine de Judic.*, ubi
*Fagnan. n.*14. *cap. tuæ de pœnis*, *cap.
inquiſitionis de accuſation. cap. ſicut
dignum de homicidio*, ubi *Clarus* §. *ho-
micidium*, *Faber Montelon. Lucrenſis
in praxi part.*4. *Chartar. deciſ.crim.*66.
*num.*35.

Dixi: *Poſt depoſitionem eſſe detru-
dendum in Monaſterium*, ſcias hodie,
19 parum eſſe in uſu pœnam iſtam, ſed lo-
co Monaſterii, detruduntur in carce-
rem, vel tranſ ittuntur ad triremes,
vel in perpetuum, vel ad tempus, at-
tentis circumſtantiis delicti, *Farinacc.
quæſt.*119. *num.* 55. *Guazzin. def.* 39.
*cap.*1.*num.*3. *&* 4. *Vermigliol. conſ.*68.
*num.*8.

Privandus quoque venit ſuis benefi-
ciis, necnon redditur inhabilis ad alia
20 obtinenda, ita quod nec poſt peractam
pœnitentiam afficiatur habilis ad illa,
(niſi ex diſpenſatione Papæ) nec mini-
ſtrare poteſt in ordinibus ſuſceptis, ac
in officiis, ad *Text. in d. cap. ſicut di-
gnum*, ubi *Fagnan. num.*1. apud quem
reperimus, reſolutum fuiſſe à Sac.Con-
greg. Concil. Canonicum ob homici-
dium deliberatum non poſſe cum aliis
Canonicis canere in Choro; unde, ut
dixi, Clericus homicida non videtur
miniſtrare poſſe in officiis abſque Apo-
ſtolica diſpenſatione, ut ſtatuit *Innocen.
in cap.cum in noſtris de conceſſ. præben-
dæ*, ubi *Abbas num.*22. *Trid. ſeſſ.* 14.
*cap.*7. *de Reform. Farinacc. quæſt.*119.
*num.*56. *Bellett. diſqu. Cleric. part.*2.
tit. de pœnæ Cleric. §.23. *num* 1.

An autem Clericus homicida, de quo
ſuprà, dicatur privatus ipſo jure ſuis be-
21 neficiis, an veniat privandus: & dici-
mus, opus eſſe, ut per Judicis ſenten-
tiam privetur, cum non dicatur ipſo ju-
re privatus, *Farinacc. ſuprà num.*65.
*Garz. de Benefic. part.*11. *cap.*10. *n.*39.
ac proindè facit fructus ſuos, uſquequo
non privetur, *Farinacc. ſuprà num.*69.
*Garz. ſuprà num.*48. *& ſeq.* Et *Nos* la-
tiùs *tit. de Beneficiis*.

Aſſaſſinii crimen ubi Clericus com-
miſerit, quia grave crimen committit,
22 pariter gravi pœna erit puniendus; ac
proindè ſtatim dicitur privatus ipſo ju-
re omnibus ſuis Beneficiis, Eccleſiaſti-
ciſve officiis, necnon poſt quam fuerit
degradatus, Curiæ ſæculari tradendus
erit, ut condignam pœnam luat, ad
*Text. in cap. pro humani de homicidio
in 6. cap. cum non ab homine de Judic.*,
ubi *Fagnan. num.*36. *cum ſeq. Farinacc.
quæſt.*123. *n.*62. *Raynald. obſerv. crim.
cap.*1. §.1. *num.*188.

Dixi: *Poſtquam fuerit degradatus*,
ete-

etenim Judex laicus nullum jus habet
23 contra Clericum assassinum, nisi priùs concludenter constet esse talem, per
24 sententiam sui Judicis: etenim de qualitate, quæ tribuit jurisdictionem, ante omnia constare debet, ad *Text. in l.2. l. si quis, ff. de Judiciis, Fagnan. in cap. contingit n.23. de Sent. excommun. de Marinis resol. quotid. cap.51. num.5. de Luca ad Franch. decis.688. num.12. Raynald. obser. crim. cap.7. §.1. n.191. cum sequent.*

Constare autem non potest, nisi per declarationem sui Judicis Ordinarii, &
25 sic Judicis Ecclesiastici, cum ipse tantùm dicatur competens, *cap. cum secundum de hæreticis, Raynald. sup. n.193. Sac. Congreg. Immunitatis in una Neapolitana 26. Martii 1629. lib.1. Decret. Paulutii.*

Inde sequitur, quòd, ubi Clericus fuerit carceratus à Satellitibus laicis,
26 uti suspectus de crimine assassinii, remittendus erit ad Judicem suum, non obstante notorietate criminis: ratio est clara, quia Clericus habet regulam, ac juris assistentiam pro se, super omnimoda exemptione à laicali potestate, ad *Text. in cap. continua, cap. si quisquam, cap. Clericum, cap. volumus 11. quæst.1. cap. si diligenti de foro competenti*, & *Nos* latiùs *de Immunitate, & Libertate Ecclesiastica.*

Neque obstat *Textus in cap. pro humani de homicidio in 6.*, ubi dispositum
27 existit, Clericum assassinum ipso facto incurrere depositionis sententiam ab Ordine, Officio, & Beneficio, ita ut nullatenus alia sententia adversùs eumdem requiratur. Etenim licèt non re-
28 quiratur sententia declaratoria incursus pœnarum, requiritur nihilominus declaratoria, quod talis dicatur reus assassinii, ut ex *d. cap. pro humani* ibi = *Postquam probabilibus argumentis constiterit, aliquod scelus tam execrabile commisisse.*

Declaratoria igitur Judicis Ecclesiastici pernecesse præcedere debet, ad ef-
29 fectum ut Judex laicus super Clericum jurisdictionem acquirat, ita *Farinacc. quæst.123. n.65. Delbene de Immunit. Ecclesiast. cap.6. dub.5. sect.2. num.4. Marta de Jurisdict. cap.129. num.17. Raynald. observ. crim. cap.7. §.1. n.194. cum sequent.* ubi *Doctores*.

Et hoc non sine ratione, nam aliàs sequeretur absurdum, quod Clericus
30 ex sola accusatione, & imputatione criminis hujusmodi, amitteret Clericale privilegium, & remaneret suppositus jurisdictioni Judicis laici, contra disposita per sacros Canones.

Sequuta declaratoria, puta, Clericum esse assassinum, non ex hoc statim debet consignari Judici laico, nisi priùs
31 factâ formali degradatione: etenim Clericus, quodcumque grave scelus committat, non desinit esse Clericus ratione characteris in anima impressi: Imò Judex Ecclesiasticus antequam deveniat ad ipsam degradationem, tenetur consulere Papam, vel Sacram Congregationem Immunitatis, & non aliter procedere, *Diaz in praxi crimin. Canon. cap.91. aliàs 96. Clarus quæst.36. num.30. Chartar. decis. crim.66. Guazz. n. def.39. cap.1. num.6. Panimolla decis.72. num.17. Raynald. suprà n.299.* & *Nos* latiùs *sub titulo de homicidio.*

Usurarum crimen, ubi Clericus commiserit, gravi pœna est plectendus; cri-
32 men enim hoc gravissimum est; undè, attentâ illius gravitate, usurarii manifesti non possunt Ordinibus sacris insigniri, neque ad officia, & beneficia sacra promoveri, ad *Text. in cap. infames 6. quæst.1. Vivian. de Jurepatronatus lib.6. cap.5. num.110. Lattan. de usuris quæst.100. num.29. Barbosa de Episc. alleg.43. num.3.*

Imò Clericus usurarius, ubi convictus, vel confessus fuerit de hujusmodi
33 crimine, valet suspendi ab officio, & beneficio, ad *Text. in cap. præterea de usuris*, ubi *Canonistæ*

Et ulteriùs, si post Canonicam monitionem, adhuc perseveraverit in exercitio usurarum, excommunicari potest, ad *Text. in d. cap. præterea.* Sed ubi
34 Clericus non fuerit manifestus usurarius, sed tantum constet, plures usuras commisisse, hoc casu tantùm venit deponendus, ad *Text. in cap.1. de usuris*, ubi *Canonistæ* communiter, & *Nos* latiùs sub *titulo de usuris.*

Furti crimen ubi Clericus commiserit, qua pœna sit puniendus, videre est: Et di-

Et dicimus quòd, ubicumque furtum
35 non fuerit manifestum, sed tantùm de illo Clericus diffamatus, aliquâ tantùm levi pœna erit puniendus per modum pœnitentiæ, ad *Text. in cap. fin. de furtis*, *Fagnan. in cap. cum non ab homine n.14. de Judiciis*.

Quoties verò furtum ab eo commissum fuerit manifestum, & grave, ac de
36 furto ipso fuerit confessus, vel convictus, locum habet depositionis pœna, imò detrudendus erit in Monasterium ad agendum ibi pœnitentiam, ad *Text. in cap. tuæ de pœnis*, ubi *Canonistæ*, *Bellett. disquis. Clerical. part.2. tit. de pœnis Cleric. §.42. num.1. Chartar. decis. crim.11. num.11. Menoch. de arbitr. casu 195. n.22.*, ubi habetur, quòd de jure Canonico Clerici fures deponuntur, & sic depositi, quatenus fuerint incorrigibiles, excommunicari possunt, & contumacia crescente anathematizari, & in contumacia perseverantes, etiam Curiæ seculari tradi possint, *Farinacc. quæst.167. num.9.*

37 Et insuper Beneficiis privari, *Chart. sup. n.11.*, ubi *Farinacc.* Loco detrusionis in Monasterium, de qua suprà, successit damnatio ad triremes: ac proindè ubi furtum fuerit grave, & manifestum, Clericus de illo confessus, vel convictus, damnari potest ad triremes, *Barginus decis.21. n.1. part.5.*, ubi *Doctores*, & *Nos* latè sub *tit. de furtis*.

Simoniæ crimen ubi Clericus commiserit, in pœnam tanti sceleris ipso ju-
38 re privatur omnibus Beneficiis simoniacè obtentis, ad *Text. in cap. insinuatur de simonia*, ubi *Canonistæ*, *Redoanus de simonia part.4. cap.11. num.10.* Concordat *Constitutio S. Pii V. cum primum*, & altera *Sixti V. Sanctum, & salubre*.

Ut de ipsa simonia Clericus damnari possit, opus est quod de ipsa legitimè
39 confessus, vel convictus fuerit; etenim cum agatur de privatione Beneficii, videtur agi de re maxima; ac proindè leves probationes non sufficiunt, *Card. de Luca de Benefic. disc.70. n.4. & 5.*

Diffamatus verò de simoniaca præsentatione non erit instituendus; nam
40 sola diffamatio, habens aliquam probabilitatem sufficit, ne præsentatus instituatur ab Episcopo: ita *Card. de Luca d. disc.70. n.2. Rota in recent. part.12. decis.301. 305. 366.* Vide quæ *Nos* latè sub *titulo de Simonia*.

Fornicationis crimen ubi Clericus commiserit, quia, multum congruit ho-
41 nestati Clericorum, se ipsos abstinere à sordibus, & immunditiis: proindè ubi ille fuerit de hujusmodi delicto confessus, vel convictus, pariter erit condigna pœna puniendus, servatis circumstantiis facti, loci, & personarum; etenim quandoque locum habet pœna suspensionis, quandoque privationis Beneficiorum, quandoque carceris, quandoque exilii, quandoque mulctæ, &
42 similium: hoc unum est, pœnam ipsam infligendam esse Judicis arbitrariam, ita *Bellett. disquisit. Cleric. part.2. de pœnis Cleric. §.2. n.7. Farinac. qu.136. num.17. Fagnan. in cap. quæsitum de cohabitatione Cleric. & mulierum à n.7. & sequentibus*.

Dixi suprà, quandoque locum habere suspensionis pœnam, hinc est videre an
43 Clericus fornicarius sit suspensus quo ad se, & dic breviter, illum esse suspensum, sicut quilibet alius existens in peccato mortali, ad *Text. in cap. ultimo de cohabitatione Clericorum, & mulierum*: Undè gravissimè peccat celebrando, ad *Text. in cap. quotidiè de consecrat. dist.2. cap. de homine de celebrat. Miss.*

Hæc tamen suspensio quoad se, non est censura Ecclesiastica, de qua loqui-
44 tur *Textus in cap. quærenti de V. S. ac toto titulo de Clerico excommunicato ministrante*; atque ideo, celebrando, irregularitatem non incurrit, cum hoc non sit in Jure expressum, ad *Text. in cap. is, qui de sent. excomm. in 6.* ubi *Glossa vers. in jure*.

Suspensus an sit quoad alios Clericus ipse fornicator, itaut audientes ab
45 eo Divina, vel percipientes Ecclesiastica Sacramenta peccent, videre est? Et pro solutione hujus dubii, opus est, ut adhibeatur sequens distinctio. Vel Clericus fornicarius est occultus, seu toleratus, & non est suspensus quoad alios: aut est notorius notorietate Juris, & tunc est suspensus quoad alios; & ideò licitum non est ab eo audire sa-

crum: & aliter facientes peccant. Sed dubium est, quid si sit notorium notorietate facti, ex quo palam habetur pro publico concubinario; & in hoc duæ sunt principaliter opiniones. Quidam enim putant esse à talibus abstinendum, ut ex *Abbate in cap. vestra de cohabitatione Cleric. & mulierum*. Alii verò credunt, monitionem esse necessariam ad effectum de quo supra, ita *Hugo Laurentius*, *& Archidiaconus in cap. nullus 32. dist. Joannes de Lignano*, *& Card. in d. cap. vestra*.

Sed quidquid sit de jure antiquo, hodie res caret difficultate, attenta *Con-*
46 *stitutione Martini V.* quæ incipit *ad evitanda*, in Concilio Constantiensi edita, qui ad evitanda scandala, & multa pericula, quæ conscientiis timoratis contingere possunt, indulsit, ut nemo deinceps à communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, vel extra teneatur abstinere, vel aliquem vitare prætextu excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, nisi à Judice specialiter, & nominatim fuerint denunciati. Itaque Clericus notorius fornicarius notorietate facti, seu per operis evidentiam hodie dicitur toleratus, nec ante denunciationem est suspensus quoad alios, quantum ad hoc, ut non liceat cum eo communicare in Divinis, ex perceptione Sacramentorum.

Indè sequitur, quod ubi non fuerit suspensus per Judicis sententiam, adhuc
47 si celebret post fornicationem etiam publicam, irregularitatem non incurrit. *Innocent. in cap. si celebrat de Clerico excomm. ministrante* latè *Fagnan. in cap. quæsitum de cohabit. Cleric. & mulierum à num. 7. & sequentibus*, ubi latè.

Carnalis copulæ cum Moniali crimen ubi Clericus commiserit, quia grave
48 scelus committit, adhuc gravi pœna plectendus erit. Pœna igitur est, ut detrudatur in Monasterium, postquam fuerit suis Beneficiis privatus, ad *Text. in cap. si qua Monachorum 27. quæst. 1. Conradus in rubrica de Sacrilegio n. 5. Bajard. ad Clarum §. fornicatio num. 18. Farinac. quæst. 147. n. 26. & 27.* undè de tempore Innocentii XI. anno 1686. fuit quidam Episcopus ob tale crimen suâ Ecclesiâ privatus, ut refert *Raynaldus obs. crim. supplen. 7. ad cap. 34. num. 150. & sequent. Pignatell. consult. Canon. tom. 7. cons. 38.* ubi *n. 9.* quamplura alia refert exempla similia, *Card. de Luca de Benefic. dist. 71. n. 3.*

Clericus verò ubi tale crimen commiserit, si confugerit ad Ecclesiam,
49 adhuc gaudet privilegio, ne possit extrahi, *Sacra Congreg. Immunit. in una Hyeracen. 19. Decembris 1690. lib. Dec. Martelli fol. 699.*

Sodomiæ crimen ubi Clericus commiserit, quia execrandum scelus com-
50 mittit, pariter gravissimis pœnis erit puniendus: ac proindè suis Beneficiis, ubi priùs fuerit privatus, erit deponendus, & in Monasterium detrudendus, ad *Textum in cap. Clerici de excessibus Prælatorum*, *Fagnan. in cap. cum non ab homine de Judic. n. 89. Bellett. disquisit. Cleric. part. 2. tit. de pœnis Cleric. §. 11. n. 6.* facit *Constitut. Leonis X.* quæ incipit *Supernæ §. 35.* Necnon *Constitutio S. Pii V. in ordine Bullarii novi la 72.*

Ex qua Constitutione habetur, Clericos, sive Seculares, sive Regulares,
51 hujusmodi criminis reos, fore privandos omnibus officiis, sive beneficiis, ac dignitatibus Ecclesiasticis: imò ibi mandat esse tradendos potestati seculari, postquam fuerint degradati, cujus Constitutionis verba hæc sunt: *Omnes, & quoscumque Presbyteros, & alios Clericos Seculares, & Regulares cujuscumque gradus, & dignitatis tam durum nefas exercentes, omni privilegio Clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico, præsentis Canonis auctoritate privamus, ita quod per Judicem Ecclesiasticum degradati, statim potestati seculari tradantur. Farinacc. qu. 148. num. 28.* ubi *Doctores*.

Pœnâ istâ quando damnari potest Clericus sodomita, est videndum, sci-
52 licet an statim unico secuto actu sodomitico, an ubi pluries hoc crimen egerit: & certum est plures actus requiri attenta *Constitutione Piana*, de qua suprà, ibi: *tam durum nefas exercentes*, quæ verba denotant pluralitatem actuū requiri, ita *Genuensis in praxi cap. 82.*

Bar-

*Barbosa de Episc. alleg.*44. *num.*25. *Lopez ad Diaz, ubi de Sodomia, Raynald. observ. crimin. cap.*21. §.1. *num.*69. Licèt alii dicant, etiam unicum actum sodomiticum sufficere, moti ea ratione, quia in dispositione generali verbum exercere, verificatur in unico actu, ad *Textum in* §. *item lex dubia Institut. de publicis Judiciis, Marta de Jurisdict. part.*2. *cap.*16. *n.*3. *Fagnan. in cap. ad falsariorum num.*27. & 28. *de crimine falsi, Raynald. observ. crim. suprà dicto* §. 1. *num.*71., ubi *num.*79. dicit, & concludit, requiri plures actus.

Crimen hoc licèt sit gravissimum, & detestabile, & magis in Clericis, Ec-
53 clesiasticisve personis: attamen, ubi Clericus confugerit ad Ecclesiam, non ex hoc quod scelus sit maximum ab illa extrahi valet absque incursu censurarum, ut ex pluribus resolutionibus Sacræ Congregationis Immunitatis habetur, signanter in una *Mediolanen.* 20. *Martii* 1662. *lib. Dec. Roeci, Asculana* 21. *Martii* 1673. *lib.*1. *Dec. Altoviti, Nullius Orbitelli* 25. *Januarii* 1689. *lib. Decret. Martelli, Cariaten.* 28. *Septembris* 1694. *lib.*1. *Dec. Vallem. Anglonen.* 2. *Junii* 1699. *lib.*2. *Decr. Vallem.* Confugiati verò in Ecclesia, licèt gaudeant Immunitate prædicta, nihilominus damnari possunt in pœnam extraordinariam, annuente Sanctissimo, ut de illo *Cariaten.*, qui fuit damnatus in exilium à tota Diœcesi, & Provincia *sub die* 29. *Maji* 1696., & in *d. Anglonen.*, licèt fuerit declaratum gaudere, nihilominus fuit damnatus ad triremes per quinquennium, *eadem Sac. Congreg. Immunitat.* 2. *Martii* 1700., *ut in lib.*2. *Decret. Vallem.*

Adulterii crimen, ubi Clericus commiserit, quia grave scelus commisisse videtur, gravi quoque pœnâ plectendus
54 erit; etenim qui hoc crimen committit, tria mala facit: dat malum exemplum, & ratione mali exempli præbet scandalum Populo: Vituperat officium Clericale, & dat occasionem peccandi aliis, ita *Decianus tract. crimin. lib.*6. *cap.*21. *num.* 6. per *Text. in cap. si mala* 2. *qu.*5. *cap. significasti de adult. Barbosa ad Trid. sess.*25. *de Reform. cap.*4. *num.*4. Clericus igitur adulter, attenta Juris dispositione, ubi fuerit confessus, vel convictus, deponitur ab officio, & beneficio, & in Monasterium detruditur pro toto tempore vitæ, ad pœnitentiam agendam, ad *Text. in cap. si quis Clericus, cap. Romanus* 81. *dist. Clarus* §. *adulterium num.*7. *Decianus tract. crimin. lib.*6. *cap.*23. *n.*14. *Farinacc. qu.*141. *n.*29. *Panimolla decis.*24. *n.*7., & *decis.*52. *num.*11. *Chartarius decis. crimin.* 79. *n.*30.

Sed quidquid sit de Jure antiquo sacrorum Canonum, hodie tantus rigor
55 recessit ab aulis, & Judex procedere potest contra Clericos adulteros ad pœnam sibi arbitrariam, juxta facti, & personarum qualitatem, *Farinacc. suprà num.*72. *Panimolla decis.*24. *n.*17. *Menoch. de arbitr. Judic. casu* 419. *n.*66., & *Doctores passim.*

Incestus crimen ubi Clericus commiserit, grave flagitium committit; ac proindè gravi pœna erit puniendus.
56 Pœna igitur, qua puniendus erit Clericus incestuosus, est depositio ab officio, & beneficio, & ultra depositionem, mancipandus erit in carceribus, *Diaz in praxi crim. Canonica. V. Incestus*, ubi *Lopez, Decian. tract. crim. lib.*6. *cap.* 23. *num.*13. *Menoch. de arbitrio Judic. casu* 502. *num.*102. *Bellett. disq. Cleric. part.*2. *tit. de pœnis Cleric.* §.7. *num.* 5. *Panimolla decis.* 51. *num.*22. *Laurent. Matten. Sanz de re crimin. controv.* 50. *n.*7. Undè incestuosi, attenta gravitate hujus criminis, neque salutandi, neque osculandi erunt, ad *Text. in cap. incestuosi* 25. *qu.*8.

Stupri crimen ubi Clericus commiserit, quia grave scelus committit, gra-
57 vi quoque pœna venit puniendus: pœna igitur stupri in Clerico est depositio ab officio, ut scribit *Abbas, & Marianus Soccinus, ac Fagnan. in cap. pervenit de adult. n.*9. *Abbas in cap. at si Clerici de Judiciis, Chartar. decis. crimin.*49. *num.*62.

Tenetur quoque dotare stupratam, & ulteriùs puniri potest aliqua alia pœ-
58 na arbitrio Judicis, puta exilii, suspensionis, vel mulctæ, *Menoch. de arbitr. Judic. casu* 288. *num.*6. *Bojard. ad Clarum* §. *stuprum n.*10. *Farinacc. qu.* 147. *n.*65. & 107. Si verò per vim stupraverit

rit illam, ratione violentiæ illatæ adhuc majori pœna plectendus erit, undè detrudendus erit in carcerem, juxta adnotata à *Farinacc. quæst.* 147. *num.* 68.

Concubinatus criminis Clericus ubi reus fuerit, ratione scandali, quod af-
59 fert populo, in pœnam tanti criminis, pœna depositionis puniendus erit: ad *Text. in cap. si quis autem*, *& cap. decernimus* 28. *dist. Fagnan. in cap. quæsitum de cohabit. Cleric. & mulierum*, *Farinacc. quæst.* 138. *num.* 37.

Imò ubi fuerit reus hujusmodi criminis, suspendi potest ab officio, & Be-
60 neficio, *cap. nullus*, *cap. præter* 32. *dist. Clarus* §. *fornicatio num.* 6. *Garz. de benefic. part.* 7. *cap.* 14. *num.* 11. *&* 15. erit etiam ipso jure excommunicatus, *Clem.* 1. *de eo sanguin. & affinit. Farinacc. suprà num.* 42. *&* 59. Insuper privari quoque valet Beneficiis attenta *Bulla Leonis X. in ordine Bullarii novi la* 16. Licèt, attenta dispositione *Tridentini sess.* 25. *cap.* 14. *de Reformat.* Episcopus non debet ad hujusmodi pœnarum comminationem procedere, nisi
61 præcedente trina monitione, ac servatis omnibus in dicta Tridentina Synodo præscriptis: *Panimolla decis.* 59. *per totam*.

Raptus crimen ubi Clericus commiserit, in pœnam tanti sceleris deponi
62 potest ab officio, & beneficio: ad *Text. in cap. eos*, *cap. raptores*, *cap. de puellis*, *cap. nullus* 36. *quæst.* 2. *Decianus tract. crim. lib.* 8. *cap.* 12. *num.* 13. *Farinacc. quæst.* 145. *num.* 19. *Chartar. decis. crimin.* 79. *num.* 29. *Fagnan. in cap. cum non ab homine num.* 64. *de Judiciis*, *Panimolla decis.* 62. *num.* 2. *Antonell. de Regimine Eccles. lib.* 6. *cap.* 31. *num.* 7.

Imò etiam efficitur infamis, ac proinde inhabilis ad Dignitates obtinen-
63 das, secutâ tamen Judicis sententiâ, *Farinacc. quæst.* 145. *num.* 21. *Barbosa ad Tridentin. sess.* 24. *cap.* 6. *num.* 13. *de Reformat.*

Lenocinii crimen ubi Clericus commiserit, tamquam causa mali, & pe-
64 tra scandali, puniri potest pœnâ Judicis arbitrariâ, puta exilii, suspensionis, carceris, & similium: *Bellett. disquisit. Cleric. part.* 2. *tit. de pœnis Cleric.* §. 9. *num.* 2. *Panimolla decis.* 81. *num.* 17. Damnatus verò ubi fuerit de crimine hoc, ratione infamiæ contractæ, efficitur irregularis, *Ricciull. de Jure personarum lib.* 4. *cap.* 10. *n.* 10.

Abortus crimen ubi Clericus commiserit, poculum abortionis præben-
65 do, si fœtus erat animatus, efficitur irregularis, sequuto abortu, ac morte illius, cum non aliter censendus sit, ac verus homicidia, ad *Text. in cap. sicut ex literarum de homicidio*, *ubi Hostiensis*, *& alii Canonistæ*: locum etiam habet depositionis pœna, ac detrusio-
66 nis in Monasterium; licèt loco dictæ pœnæ detrusionis condamnari possit ad triremes in perpetuum, vel ad tempus arbitrio Judicis, *Farinacc. quæst.* 119. *num.* 55. Dixi: *si fœtus erat animatus*: etenim, si non erat animatus, dicta pœnam minimè procedit: *Text. in cap. sicut ex litterarum de homicido*, *cap. aliquando* 32. *quæst.* 2. ubi *D. Augustinus* ita inquit: *Non est homicidia*, *qui abortum procurat*, *antequam anima corpori sit infusa*.

Incendii crimen ubi Clericus commiserit, quoniam illud gravissimum
67 est, ac perniciosissimum reputatur, gravi quoque pęna puniendus erit Clericus incendiarius. Incendium igitur ubi fuerit dolo paratum, incendiarius ipse potest declarari excommunicatus; si verò non fuerit magnum, locum habet contra ipsum depositionis pœna à Beneficiis, & ubi fuerit paruum, in pœnam criminis locum habet suspensio tantùm, & aliàs pro criminis qualitate arbitraria pœna contra eundem irroganda venit: *Barbos. in rubr. de incendiar. part.* 1. *cap.* 22. *num.* 4. *Bonifac. de Vitalin. in tit. de incendiar. num.* 4. *Farinacc. quæst.* 110. *sub num.* 15.

Tenetur ipse incendiarius, sive Clericus, sive laicus fuerit, ex dispositione
68 utriusque juris ad reficienda omnia damna, & interesse illatum, præcipuè si dolo incendium commiserit, ad *Text. in l. qui ædes ff. de incendio*, *cap. si quis duorum de injuriis*, *& damno dato*, *Farinacc. d. quæst.* 110. *Raynald. obs. crimin. cap.* 13. §. 2. *num.* 39. *Rocca disput.* 115. *Panimolla decis.* 55. *annot.* 1.

Incendii crimen licèt gravissimum sit,

fit, nihilominus incendiarius, ubi ad
69 Ecclesiam confugerit, gaudet illius immunitate, itaut citra pœnam censurarum extrahi nequeat, *Sac. Cong. Immunit. in unu Ferrarien.* 13. *Maji* 1692.

ARGUMENTUM.

Clericorum vitæ, & honestati quantum repugnet negotiationem exercere, ubi quotuplex sit? quæ negotiatio videatur Clericis *interdicta? Negotiatio licita, an aliquando possit fieri illicita, demonstrabimus.*

SUMMARIUM.

1 *Negotii, sive negotiationis ethymologia expenditur.*

2 *Negotiatio definitur quoad sui essentiam.*

3 *Negotiatio quotuplex sit*, & num. 5.

4 *Appellatione secularis negotii quænam veniant.*

Clerici cognoscere nequeunt causas, ubi intret pœna sanguinis, ibid.

5 *Mercatura alia Œconomica, alia politica, alia lucrativa dicitur, singulæque species explicantur.*

6 *Negotiatio lucrativa duplici modo considerátur*, & num. 7.

8 *Negotiatio tum quæ dicitur politica, tum etiam, quæ Œconomica nuncupatur, Clericis permissa est*, & num. 9. cum seqq.

12 *Victualia Clericorum, quæ aliò transferuntur, ibi vendenda, sunt à vectigalibus immunia.*

13 *Clerico num, & quatenus liceat furnum aperire pro panizando frumento in suis bonis recollecto*, & num. 14.

15 *Clerici possunt retinere tabernam pro vedendo vino recollecto in suis territ beneficialibus, seu patrimonialibus.*

Declara, dummodo id faciant per alios, ibid.

Neque hujusmodi Clerici tenentur solvere gabellam, num. 16.

Et quatenus in dicta venditione fraudem fieri prætendatur, cognitio prætensæ fraudis spectat ad Judicem Ecclesiasticum, ibid.

17 *Clericis permissum est propria prædia colere, atque agriculturam exercere, nec non arti sericæ incumbere, utendo foliis suarum arborum*, & n. 18.

19 *Clericis an & quatenus permissum sit exercere mercaturam animalium.*

20 *Negotiatio lucrativa quomodo licita esse possit Clericis*, & num. 30.

21 *Labor manualis licitus est Clericis, quatenus ad honestum finem dirigatur*, & num. 22. cum seqq.

26 *Negotiatio lucrativa, quæ lucri causâ exercetur, interdicta est Clericis: quod exemplificatur*, n. 27. & seq.

31 *Negotiatio, quæ alias licita esset, ex pluribus effici potest illicita, nimirum propter pravum finem, sive ex tempore, sive ex loco, vel persona, ex damno Reipublicæ, vel ex consortio.*

DISCEPTATIO X.

AD normam nostri tituli Decretalium: *Ne Clerici, vel Monachi negotiis Secularibus se immisceant*; sunt nobis hic quamplura examinanda, & quoad primum, undè nomen *negotium*, seu *negotiatio*? Et breviter cum *Divo Isidoro lib.* 18. *Ethymol. cap.* 15. negotium di-
1 ctum est quasi negans otium, ut refertur *in cap. forus* §. *negotium de verb. signific.* undè ex ipsa vi nominis importat privationem otii, & significat actum omnem, cui otium repugnat; nam negotiationes numquam in otio existunt.

Sequitur, ut videamus, quid sit negotiatio: & illa in genere sumpta sic
2 definitur: *est actus humanus practicus, qui vulgò exercitium dicitur*, secundùm *Sylvestrum in Summa, verb. negotium*. Specialiter verò, ut nunc principaliter intendimus, est *commutatio, vel permutatio lucrativa*, idest ad lucrum ordinata, ut idem *Sylvester suprà*: nec differunt inter se negotium, & negotiatio, secundùm eum, nisi tamquam concretum, & abstractum, sicut justum, & justitia, æquum, & æquitas; undè negotium, & negotiatio promiscuè usurpantur, ad *Text. in l.* 3. *ff. de negotiis gestis*, aliàs tamen negotium in causis, negotiatio in commerciis dicitur, ad *Text. in d. cap. forus* §. *negotium*.

Quotuplex sit negotiatio, sequitur, ut

ut videamus,& pluribus modis illa con-
3 siderari potest. Negotiatio, primò modo considerata, est triplex. Prima est mundialis, & scelesta, & ideo cavenda. Secunda spiritualis, & honesta, & ideo exercenda. Tertia temporalis, & modesta, & idcò permittenda, ita *Divus Antoninus in 2. parte tit. 1. cap. 16. ante §. 1. vers. 2.*

Secundò modo consideratur negotiatio uti negotium seculare, id, quod pertinet ad hanc materiam *de negotio, Clericis, & Monachis interdicto*; Negotio seculare, dicitur tribus modis: & *pri-*
4 *mò* dicitur seculare negotium quilibet actus secularium rerum, de quibus *Text. sub hoc titulo*, & *Nos infrà*; & ab his, si sint illicita, & turpia proculdubiò Clerici abstinere debent. *Secundò*, negotium seculare dicitur judicium de rebus secularibus, & hoc tractare possunt Clerici inter ipsos Clericos tantùm, *cap. sicut enim §. ex his 11. quæst. Tertiò*, dicitur seculare negotium, quod est secularium hominum &, inter seculares, & ex his negotiis aliqua sunt criminalia, aliqua civilia; criminalia, ubi agitur de sanguine, sunt Clericis interdicta, *cap. sententiam*, ubi *Canonistæ hoc titulo*. Ex civilibus verò aliqua spectant ad forum Ecclesiæ tantùm, uti sunt causæ Ecclesiasticæ: aliqua sunt merè laicalia, & illorum cognitio spectat ad Judicem laicum, & in his Clerici se immiscere non valent, nisi in casibus, de quibus *Textus in cap. cum sit generale, cap. ex tenore de foro competenti*, & *Nos eodem tit. de foro competente suis locis*.

Tertiò modo consideratur negotiatio, seu negotium, pro exercitio Mer-
5 catoris, seu Negotiatoris, & ista negotiatio triplici pariter modo considerari valet; etenim alia dicitur Œconomica, alia Politica, alia Lucrativa, & de hoc genere negotiationis, est hìc agendum, & quænam ex his tribus speciebus negotii, seu negotiationis, sit Clericis interdicta, nobis est demonstrandum. Œconomica est, ubicumque aliquis rem emit pro sustentatione sui, suæque familiæ, vel negotiando traficat bona sua benefici alia, vel patrimonialia, ut *Nos infrà*. Politica, si exerceatur causâ, vel intentione succurrendi publicis populi necessitatibus, nullo accepto lucro in re empta. Lucrativa, ubi quis aliquid emit, ut rem emptam suo tempore cariùs ven-
6 dat; quæ lucrativa negotiatio dupliciter considerari potest, primò modo quando emptor rem, quam emit, artificio, vel industria mutat, & meliorat; ideoque cariùs vendit, & hæc nomen artificii meretur, non veri negotii. Secundò modo, quando quis emit aliquam
7 rem, ut illam cariùs vendat, nullo artificio adhibito, ac nulla adhibita melioratione.

Positis his, sequitur, ut videamus, quæ negotiatio ex his tribus videatur Clericis interdicta; & de Politica, nulli dubium est, eam non solùm non esse Clericis interdictam, sed laudabilem; etenim licitum videtur Clericis
8 emere frumentum, vel quid simile, ut tempore egestatis illi possint subvenire pauperibus, illud eisdem dando pro eodem pretio, cum hoc videatur reduci potiùs ad officium charitatis, quàm ad speciem negotiationis: undè ad hunc effectum in nonnullis locis, ut mihi notum est, sunt erecta nonnulla Loca montium annonæ, quæ ad pium usum sunt destinata, ne tempore egestatis pauperes fame pereant.

Œconomica pariter permissa videtur Clericis, undè quisque Clericus citra
9 pœnam emere valet, quæ sibi, suæque familiæ necessaria erunt, & si aliquid superfit, quo non indigeat vendere, ad *Text. in cap. Clericus 91. dist.* juncto *cap. sequenti: Scaccia de commercio, & cambiis §. 1. quæst. 7. Redoan. de Spoliis Eccles. part. 2. num. 49. Genuensis in praxi cap. 62. Antonell. de Jurib. Cleric. part. 1. cap. 2. num. 15. D. Thomas 2. 2. quæst. 77. art. 4.*

Hinc videtur posse Clericos, citra pœnam negotiationis, emere anima-
10 lia, ut illa pascant in eorum bonis Ecclesiasticis, vel patrimonialibus, & post quam grandiora, vel pinguiora fuerint effecta, illa vendere, *Molina de justitia, & jure tract. 1. disput. 342. num. 14. de Grassis de effect. Cleric. eff. 6. num. 18. Fagnan. in cap. multa num. 31. & 35. hoc titulo, Antonell. de Juribus Cleric. part. 1. cap. 7. num. 11. Card. de Luca de Credito disc. 18. num. 2. Sacra Congreg*

greg. Immunitatis in una Auximana 9. *Septembris* 1671. *lib*.1. *Decret. Altoviti*.

Ita quoque eisdem videtur permissum, citra pœnam, vendere vinum,
11 oleum, frumentum, vel quid simile, collectum in propriis bonis, cum hoc videatur pertinere ad Œconomicam negotiationem, *Genuensis in praxi cap*.62. *n*.7. *Barbosa de potestate Episc. alleg*.13. *num*.10. & 11.

Quod locum sibi vindicat, etiamsi aliò hæc asportari faciant, ut ibi ca-
12 rius vendant; quo casu non solùm erunt liberi à pœna, sed etiam liberi ab onere vectigalium. Ratio est, quia transmissio bonorum exceptorum non mutat substantiam libertatis, *Bonacin.de Censuris in Bulla Cœnæ Domini disp*.1. *quæst*.19. *punct*.2. §.3. *num*.6. *Fagnan. in cap. cum pridem num*.110. *de pœnis*, *Sacra Congreg. Immunit. in d. Auximana*, & in altera *Bituntina* 18. *Junii* 1673.

Permissum quoque videtur Clericis, ut possint aperire furnum citra pœnam
13 negotiationis, pro panizando frumento collecto in eorum bonis beneficialibus, vel patrimonialibus, vel aliò iure eisdem competentibus, *Sacra Congreg. Immunitatis in una Civitatis Plebis* 9. *Septembris* 1679. & 20. *Februarii* 1680. *lib*.4. *Decret. Altoviti*.

In casu tamen prædicto, ubi Appaltator panis venalis, se offert emere fru-
14 mentum Clericorum pretio currenti cum augumento vigesimæ: hoc casu non possunt ipsi Clerici aperire furnum citra pœnam negotiationis, *Sac.Congreg. Immunitatis in una Faventina* 20. *Martii* 1695. *lib*.1. *Decret. Vallemani*, *Camerinen*. 12. *Januarii* 1699. *lib*.2. *Decret. Vallemani*.

Similiter citra pœnam negotiationis eisdem videtur permissum, ut possint retinere tabernam, & minutatim vinum
15 collectum ex eorum bonis beneficialibus, vel patrimonialibus vendere, dummodo officium tabernarii non gerant per se ipsos, sed per alium; nam aliter esset contra decorem status Clericalis hoc agere, *Sacra Congreg. Immunitatis in d. Auximana* 15. *Julii* 1673. *lib*. 1. *Decret. Altoviti*.

Undè fit, ut Clerici, ac cęteri Ecclesiastici vendentes vinum recollectum in
16 propriis bonis, licet minutatim in eorum domo, non tenentur ad gabellam: & cognitio fraudum, quæ desuper fieri posset, spectat ad Judicem Ecclesiasticū, *Sacra Congreg. Immunitatis in una Nolana* 26. *Januarii* 1644. *Theatina* 15. *Martii* 1661. *Faventina* 25. *Januarii* 1677. *Auximana* 2. *Aprilis* 1680. *lib*.2. *Decret. Altoviti*.

Possunt etiam, citra pęnam negotiationis, excolere ęorum prædia, ac in
17 bonis propriis, & non conductis artem agriculturæ per se, vel per alios exercere, *Fagnan. in d. cap. multa, num*.45. *hoc titulo*.

Sicuti pariter possunt, citra pęnam negotiationis vel per se, vel per alios,
18 absque detrimento proprii officii, arti sericæ operam dare cum foliis arborum in propriis bonis patrimonialibus, vel beneficialibus existentium, *Sacra Congreg. Immunitatis in una Neocastren*. 9. *Junii* 1637. *lib*.3. *Decret. Paulutii*, *Fagnan. suprà num*.41.

Ad hanc materiam faciunt nonnullæ
19 resolutiones *Sacræ Congreg. Concil. in una Neocastren. Terræ Maidæ*, ubi, instantibus Presbyteris, & Clericis. Primò: *An liceat terras patrimoniales, & beneficiales per laicos colere*. Secundò: *An pro necessario culturæ usu possint emere boves, & alia animalia, & fętus illorum vendere*. Tertiò: *An ii, qui in propriis bonis habent quercus, & castaneas, quorum fructibus sues vescuntur, possint sues emere, eosque alere, & pro familiæ sustentatione vendere*. Quartò: *An iidem Clerici cum filiis suarum arborum possint in propriis ædibus arti sericæ operam dare, vel idem opus alteri ad medietatem committere*, ut in illis partibus fieri consuevit.

Ad primum, Sac. Cōngreg. censuit, *licere Clericis, agros beneficiorum, & patrimoniorum suorum operâ laicorum colere, absque reatu illicitæ negotiationis*. Ad secundum, *posse similiter Clericos pro ejusdem culturæ usu boves, & alia animalia necessaria coemere, illorum fętus justo pretio, atque honesta ratione vendere, nec propterea eos prohibitæ negotiationis prætextu vexari posse, aut debe-*

debere. Ad tertium, *itidem posse*, *pro sua*, *& suæ familiæ sustentatione*, *dummodo tamen in emendis*, *alendis*, *seu distrahendis suibus nihil sordidum*, *aut indecens ordini Clericali exerceant*. Ad quartum, *licere Clerico arborum in propriis bonis existentium folia alieni laico concedere eo pacto*, *ut lucrum quod ex bombicibus proveniet*, *inter utrumq; dividatur*: *ac pariter eidem licere*, *eorumdem arborum folia per se ipsum absque officii sui detrimento*, *ac pro sua*, *& familiæ suæ sustentatione arti sericæ operum dare*, *dum tamen in artificio hujusmodi non adhibeat personas suspectas*; *& quoad hoc Episcopi licentiam*, *quæ gratis detur*, *obtineat*.

Demum de lucrativa primò modo considerata, remanet ut aliquid dica-
20 mus. Lucrativa, primò modo considerata, licita est tàm Clericis, quàm Monachis: undè si quis emit aliquàm rem quem postea suo labore, & industria in aliam formam reducit, non dicitur negotiari, quia in emptione rei melioratæ, non cadit negotiatio, sed artificium; negotiatoris igitur nomen non meretur Clericus, vel Monachus, qui rem emptam in aliam formam redigit, *Redoanus de Spolio quæst. 2. n.15. Genuensis in praxi cap.62. n.15. & 17. Bellett. disq. Cleric. tit. de emptione Cleric. §.4. num.6. Panimolla decis.71. num.35.*, *Antonell. de juribus Cleric. part.1. cap. 7. num.4.* concordat *Text. in cap. si sciens 88. dist.*, ubi dicitur, quicumque rem comparat, non ut ipsam rem integram, & immutatam vendat, sed ut materia sibi sit inde aliquid operandi, ille non est negotiator; qui autem comparat rem, ut illam ipsam integram, & immutatam dando, lucretur, ille fit mercator, qui de templo Dei ejicitur, *Fagnan. in dicto cap. multa post num.23.*

Sed altiùs materiam ipsam exordiendo, ex mente *D. Thomæ 2.2. quæst. 187.*
21 *art.3.* dicimus, laborem manualem ad quatuor ordinari. Primò, ad victum quærendum, undè primo homini dictum fuit: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. *Genes.1.* concordat illud *Psal.127. Labores manum tuarum quia manducabis*: facit illud *Actor.20. Ea*, *quæ mihi opus erant*, *ministraverunt manus istæ*: undè error Enthusiastiarum dicentium, nullum laborem manum Monachis esse licitum, etiam causa sustentandæ vitæ, damnatur à *D. Augustino in libro de operibus Monach.*

Secundò, labor manualis ordinatur Clericis, & Monachis, ad tollendum
22 otium, ex quo multa mala oriuntur: undè dicitur *Eccles. 33. Mitte servum tuum in operationem*, *ne vacet*, *multam enim malitiam docuit otiosum*: facit ad hunc sensum illud *D. Hieronymi ad Rusticum Monachum de vivendi forma*, ubi ita inquit: *Fiscellam texe junco*, *canistrum lentis plecte viminibus*, *ut semper te diabolus inveniat occupatum*, ad *Text. in cap. numquam de consecrat. dist.5.*

Tertiò, labor manualis ordinatur ad concupiscentiæ refrenationem in quan-
23 tum per hoc maceratur corpus, undè ex *2. ad Corinth.6.* habetur: *In laboribus*, *in jejuniis*, *in vigiliis*, *in castitate frigore*, *& nuditate*. Proptereaque in Monasteriis Ægypti nullus suscipiebatur, qui nesciebat operare, & laborare, non tam propter victum lucrandum, quàm ne vagaret otiosis cogitationibus, ut ex *dicto cap. numquam de consecrat. dist. 5.*

Quartò, labor manualis ordinatur Clericis, & Monachis ad eleemosynas
24 faciendas, undè dicitur ad *Ephesios 4.*, *Qui furabatur jam non furetur*, *magis autem laborat operando manibus suis*, *quod bonum est*, *ut habeat undè tribuat necessitatem patienti*, & ad hunc finem labor manualis, scilicèt artificium Clericis est permissum, & ita agendo negotiari non dicuntur, si hoc ordinatur ad bonum. Et hodie in Diœcesi Hispalensi
25 Monasteria Eremi de Tardon Ordinis S. Basilii servant hoc laudabile Institutum, vivendi ex labore manuum suarum, de quibus *Clemens VIII. in suis literis sub datum Tusculi die 23. Septembris 1603. Pontificatus sui anno 12.*

Demum est videndum de lucrativa negotiatione, secundò modo considera-
26 ta, videlicet quæ fit lucri causâ, nullo adhibito artificio: & nulli dubium videtur, hujusmodi speciem negotiationis esse Clericis Ecclesiasticisve personis interdictam; nam licèt negotiatio lucrati-

va

va sit Laicis permissa, Clericis verò interdicta videtur, ad *Text. in cap. fornicari* 88.*dist.* ibi = *Antequam quis Ecclesiasticus fiat, licet ei negotiari, facto jam non licet*: facit Textus *in dicto cap. ejiciens* 88.*dist.* ibi = *Qui autem comparat rem, ut illum ipsam integram, & immutatam dando lucretur, ille est mercator, qui de Templo Dei ejicitur*: ibique *Doctores*.

Undè fit quod emens frumentum, ut illud vendat suo tempore cariori pre-
27 tio, negotiari dicitur, vel ubi emit equum animo locandi illum; his enim, & similibus casibus, quia Clericus lucri causâ fecisse videtur, uti negotiator debitis pœnis afficiendus erit, ut *nos infra disc*.4. Jura enim clamant, Clericum negotiatorem uti pestem esse aufugiendum, *cap. negotiatorem* 88.*dist*.

Pariter interdictum videtur Clericis pecuniam ad cambium dare, cum
28 inter species negotiationis illicitæ connumeretur cambium, ut ex *Sacra Rota recent. part*.14. *decis*.251. *num*.6.

Conducere quoque bona laicorum interdictum videtur Clericis, ac ita agentes nomen negotiatoris merentur: *Pacion. de Locato, & conducto cap*.10. *num*.6. & contractus est nullus, *Pacion. ibidem num*.69.

Conducere verò possunt Clerici citra pœnam bona Ecclesiarum, vel Ec-
29 clesiasticorum, *Pacion. suprà num*.70. *Pignatell. cons. Canon. tom*.4. *cons*.114. *Sacra Congreg. Episcop. & Regul. in una Terracinen*. 15. *Januarii* 1649. *Fagn. in cap. multa cap*.43. *hoc titulo*. Ubi habetur, eos posse conducere bona laicorum, concurrente præcisâ
30 necessitate, sicuti eis videtur licitum negotiari per alium, concurrente extremâ necessitate ipsius Clerici nullum exercitium habentis, ex quo sustentari possit, salvâ ipsius honestate, *Rota recent. part*.14. *decis*.173. *num*.9.

Demum est videndum, an negotiatio, quæ de jure est licita, aliquando
31 possit fieri illicita, & ex quampluribus demonstrabimus posse illicitam fieri: & Primò, ex causa, seu fine, cum scilicet fit ob avaritiam, ideſt improbam cupiditatem divitiarum, vel alium malum finem: & tunc est peccatum mortale, seu veniale respectu finis, ad *Textum in cap. quicunque* 14. *quæst*.4. *Sylvester, verb. negotiatio num*.2.

Secundò, ex tempore, puta in Dominicis, & festivis diebus de præcepto,
32 in quibus non est licita negotiatio, uti opus servile, ad *Text. in cap*.1. *& finali de feriis*, ubi *Doctores*.

Quod tamen fallit in nundinis, quæ fiunt Superiore sciente, & tolerante
33 dummodo per hoc Divina non amittantur, *Sylvester suprà eodem num*.2.

Tertiò, ex loco, ut in Ecclesia, in qua nec judicandum est, nec negotian-
34 dum; undè & Christus Dominus Noster ementes, & vendentes ejecit de templo, *Joannis* 2. facit *Text. in cap. & hoc* 16. *quæst*.8. *cap*.2. *de Immunit. in* 6. ibi = *Cessent in Ecclesiis, earumque cœmeteriis negotiationes, & præcipuè nundinarum*, *Sylvester suprà dicto num*.2.

Quartò, ex persona, puta si negotiationem exerceat Clericus, & à po-
35 tiori si Religiosus, ad *Text. in cap. fornicari*, juncto *cap. negotiatorem Clericum* 88.*dist*. & *Nos* latè, *tam suprà, quam in sequentibus*.

Quintò, ubicunque damnosa fuerit Reipublicæ, licèt favorabilis negotian-
36 ti: exemplum ubi quis emit totum frumentum, aut omnes merces, ut coactis aliis à se emere vendat, suo arbitratu, *Sylvester dicto num*.2. concordat *Text. in l. unica C. de monopoliis*, & *Doctores* de monopoliis loquentes. Potest quis verò tempore fertilitatis multa vi-
37 ctualia emere, ut tempore ægestatis abundet, exemplo Joseph in terra Ægypti, *Genesis* 41.

Sextò, fit illicita ex consortio: undè qui cum negotiatore, quem scit ma-
38 læ conscientiæ esse, societatem inivit, tenetur eam dissolvere, si commodè potest: aliàs probare debet, se non intendere de illicitis lucris participare, *cap. facientes* 82.*dist*. *Sylvester suprà num*.2.

ARGUMENTUM.

Quibus Clericis videatur interdicta negotiatio prohibita à sacris Canonibus, ubi an licita sit Clericis in minoribus non habentibus Beneficium, vel Ecclesiasticum Officium? An illam possint exercere per interpositam personam?

SUMMARIUM.

1 *Negotium seculare in duplici sensu accipitur.*

2 *Negotiatio consistens in mercatura, laicis permissa, an, & quibus Clericis prohibeatur*, & num.3. & seq. & num.16.

5 *Clerici in minoribus quatenus nequeant Advocati munus exercere in foro laicali.*

6 *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.*

7 *Dictio* nullum *universalis est.*

8 *Dictio*: quocunque: *non recipit restrictionem ad certas personas.*

9 *Ecclesiasticus quis efficitur per solum Clericatum.*

10 *Bona à Clerico quæsita ex illicita negotiatione subjacent spolio Cameræ Apostolicæ.*

11 *Rationes, ex quibus probibita est Clericis negotiatio, exponuntur*, & n.12. cum seqq.

17 *Negotiationem illicitam num exercere liceat Clericis per interpositam personam*, & num.18. & seq.

18 *Qui per alium facit per seipsum facere videtur.*

DISCEPTATIO X.

§.I.

Quibus Clericis interdicta sit negotiatio Nobis in hac Disceptatione demonstrandum erit. Et dicimus,
1 quod si hoc verbum *negotium sæculare* accipitur in latiori significatione, prout provenit ex carnali concupiscentia, res est extra dubium, quod illud videatur prohibitum tàm Laicis, quàm Clericis, sed maximè Clericis, ad *Text. in cap. multa hoc titulo*, ubi *Abbas n.12.* & *Canonistæ communiter*.

Si verò sumitur negotium, strictè pro commutatione lucrativa, seu mer-
2 catura, quæ quidem permissa est laicis, interdicta verò Ecclesiasticis, ad *Text. in cap. fornicati 88.dist.* ubi *Doctores*.

Hinc, quoad Clericos in sacris Ordinibus constitutos conveniunt omnes
3 Doctores, negotiationem esse prohibitam, ad *Textum in d. cap. multa* ibi: *Ecce talia, & his similia ministris Altaris Domini omninò contradicimus*, ubi *Hostiens. num.7. cap. secundùm eodem titulo, cap. ultimo de vita, & honest. Cleric. Clem.1. eodem titulo.* Facit *Text. in cap. tribus*, juncto *cap. sequenti de consecr. dist.2. cap.1. de postuland. Genuensis in praxi cap.62. num.9. Redoan. de Spoliis Eccles. qu.2. à n.59. ad 100. Pacion. de Locato, & conducto cap.10. num.72. Riccius resol.474. num.4. Rota recent. part.15. decis.209. num.22.*

Quo verò ad Clericos minorum Ordinum, si quidem competens habeant
4 Beneficium, concors est Doctorum sententia, non licere illis illicitam negotiationem, seu mercaturam exercere, ad *Text. in cap. Clerici de postulando* ibi: *In ordinibus quoque minoribus, si stipendiis Ecclesiasticis sustententur*: *Abbas cum Canonistis communiter in d. cap. multa hoc titulo num.12. Joannes Andr. num.4. Butrius num.4.*

Dixi: Si habeant competens Beneficium; etenim, si non habeant compe-
5 tens Beneficium, non possunt verificari illa verba *Textus in d. cap. Clerici*, ibi: *Si stipendiis Ecclesiasticis sustententur*, ubi Clerici in minoribus prohibentur esse Advocati in foro seculari, si habeant congruam sustentationem; ergo à contrario sensu, si non habeant, possunt: undè dicimus, posse Clericum in minoribus non habentem competens Beneficium negotiationem pro sua, suæque familiæ sustentatione exercere, *Rota in una Romana pecuniaria 14. Martii 1712. coram Falconerio*, *§. ast quoad Clericos*, ibi: *Quamvis non desint qui contrariam propugnant senten-*

ten-

tentiam, attamen ex sententia nostri Sacri Auditorii isti non comprehenduntur sub hucusque expressa prohibitione negotiandi, valentq; impunè cambiis negotiari, & mercaturam exercere æque ac laici.

Sed pro contraria sententia faciunt adducta à *Butrio in dicto cap. multa*
6 *num.4. vers. quæro in omnibus*, qui putat, hanc prohibitionem extendi ad Clericos in minoribus, etiam non habentes Beneficium, facit *Text. in cap. negotiatorem* 88. *dist.* ubi indefinitè dicit, Clericum negotiatorem quasi pestem esse fugiendum: si ergo ibi *Text.* loquitur, nulla adhibita distinctione, an velit loqui de Clerico Beneficiato, vel non Beneficiato, in sacris, vel non in sacris, meritò de quolibet Clerico interpretatio sumenda erit; etenim, ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, ut ex *vulgatis*: indè fit, verba illa *Textus in dicto cap. negotiatorem* esse generaliter sumenda de quolibet Clerico, sicuti generaliter loquutus fuit *Textus in dicto cap. multa hoc titulo*, ibi = *Nemo militans Deo implicet se secularibus negotiis*.

Cum supradictis juribus concordat *Textus in cap.* 1. 19. *dist.* ubi indefinitè loquitur, ibi = *Decrevit sancta Synodus, nullum deinceps Clericum possessiones conducere, aut negotiis secularibus se*
7 *immiscere posse*. Dictio autem *nullum*, cum sit universalis negativa, utique non admittit restrictionem ad Clericos Beneficiatos, *Glossa in Clem.* 1. *de præbendis, Romanus consf.* 199. *num.* 2. *Cravetta consf.* 809., & 294. *n.* 5. & *seq.*

Ad hoc idem facit *Text. in cap.* 1. 14. *quæst.* 4. ubi legitur = *Noverint Clerici*
8 *ab omni cujuslibet negotiationis ingenio, vel cupiditate cessandum; quod si cessare noluerint, in quocunque gradu sint positi, mox à Clericalibus officiis abstinere cogantur*: nam dictio illa effrenata *quocunque*, similiter nullam patitur restrictionem, *cap. solitæ de majorit. & obed.* ubi *Glossa Archid. in cap. si tibi absenti. V. quicunque de præbendis*.

Ad idem ponderandus est *Textus in cap. fornicari* 88. *dist.* ubi sic dicitur: *An-*
9 *tequam Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari, facto jam non licet*: sed per solum Clericatum quis efficitur Ecclesiasticus, & de foro Ecclesiæ, licet Beneficium non sit adeptus, meritò eidem negotiari non licet. Pariter ponderanda sunt verba *Tridentin. sess.* 22. *cap.* 1. *de Reform.* ubi Concilium, invocando sanctiones Summorum Pontificum, & Conciliorum de secularibus negotiis fugiendis, loquitur de Clericis, nulla adhibita distinctione inter Clericos, & Clericos; undè sequitur quod Leges loquentes de Clericis comprehendant sive constitutos in majoribus, sive in minoribus ordinibus, sive habentes, sive non habentes Beneficium, sive Ecclesiasticum officium.

Pro hac secunda sententia faciunt verba *Constitutionis Pii IV. Papæ*, quæ
10 incipit *decens esse*, qua declarat, bona quæcunque ex illicita negotiatione acquisita per quosvis Clericos tàm seculares, quàm Regulares, etiam in sacris Ordinibus constitutos, cujuscumque status, ordinis, & conditionis fuerint, tamquam spolia ad Cameram Apostolicam pertinere: pondera illa verba *etiam in sacris*, necnon illa alia verba, *cujuscunque ordinis*, quæ includunt etiam Clericos in minoribus Ordinibus constitutos. Item pondera illa verba, *quoscunque Clericos, cujuscunque status*, quæ non patiuntur restrictionem, sed omnes Clericos comprehendunt.

De rationibus, ob quas Clericis quibuscunque videtur interdicta negotia-
11 tio, sermo habendus est: & quamplures illæ sunt. Prima ratio est, quia illi, cum militent Deo, non debent se implicare negotiis secularibus; juxta interdictum Apostoli: *Nemo militans Deo implicare se debet secularibus negotiis*, & ita ex *d. cap. multa hoc titulo in fine*, quæ verba comprehendunt omnes Clericos generaliter.

Secunda ratio, quia Clerici sunt ex illo genere Christianorum, quod manci-
12 patum divino officio, & contemplationi debitum, ab omni strepitu temporalium occupationum cessare convenit, quæ sunt verba *Textus in cap. duo sunt genera* 12. *quæst.* 1. ubi *Canonistæ*.

Tertia ratio, quia Clerici sunt de corpore Reipublicæ Ecclesiasticæ, non autem

13 tem mundanæ, ad *Text. in cap. fornicari* 88.*dist. l. placet C. de Episc. & Clericis*; ac propterea dedecet eos vacare negotiis mundanæ Reipublicæ, cujus corpori non sunt annexi.

Quarta ratio, quia Clerici à divinis officiis, quibus jugiter vacare debent
14 per secularia negotia distrahuntur, *cap. nunquam, de consecrat. dist.5. cap. Clericos* 91.*dist. cap. fin. de vita, & honestate Cleric.*

Quinta, quia negotiatio, ut plurimum sine mendacio, & perjurio exer-
15 ceri non potest, *cap. ejiciens* 88.*dist. cap. negotium de pœnit. dist.5.* Quam quidem sententiam videtur sequutus *D. Fatinellus ad Bullam Baronum responso* 6. ubi *magistraliter*.

Sed hujusmodi inter se contrariæ sententiæ ita reduci possunt ad concor-
16 diam, quod nempe, prima, habeat locum, ubi Clericus necessitate cogente hoc agit, secunda, ubi avaritiâ hoc agit.

Demum est videndum, an illam exercere valeant Clerici per interpo-
17 sitam personam; & circa præsens dubium nonnulli putant, non posse exerceri per alium, tum quia, qui per alium
18 facit, per se ipsum facere videtur, ex regula juris, *qui per alium in* 6.

Tum quia incommoda, quæ ex negotiatione sequi solent, imputantur
19 ipsi Clerico, qui negotiationis causam præbet, *Molina disput.*342. *n.*10. *Duard. in Bulla Cœnæ lib.*2. *cap.*28. *quæst.*8. *num.*9.

Secunda sententia, cui tamquam probabiliori adhæreo, est asserentium,
20 Clericum, qui per alium negotiatur, nullam incurrere culpam, modò turpis aliqua circumstantia non adsit, qualis est immoderatus affectus ad lucrum: Clericis enim, & Religiosis interdicta solùm videtur personalis negotiatio, ad *Text. in Clem. unica de vita, & honestate Clericorum* ibi = *Personaliter*, concordat *Sacræ Rotæ decisio recent. part.*14.*decis.*173. *num.*8. *&* 9. *& ibidem decis.*251. *num.*7. *Pacionus suprà num.*71.

ARGUMENTUM.

Quibus pœnis erunt puniendi Clerici illicitam negotiationem, seu mercaturam exercentes, demonstrabimus.

SUMMARIUM.

1 *Clerici negotiatores quas pœnas incurrant*, & num.2. cum seqq.

2 *Agens contra legem justam peccatum committit.*

5 *Privilegio fori privatur Clericus illicitæ negotiationi incumbens*, & n.6. *Requiritur tamen trina monitio*, num.7.

7 *Clericus legitimè privatus Clericalibus privilegiis subire debet onus gabellæ, aliaque laicalia onera, quemadmodum laici.*

8 *Pertinentia rei ad Clericum pro immunitate à gabella quatenus probetur per juramentum Clerici.*

9 *Cognitio causæ super exemptione à gabella inter Clericum, & gabellarium spectat ad forum Ecclesiasticum.*

10 *Acquisita per Clericum sive secularem, sive Regularem, ex illicita negotiatione, devolvuntur ad Cameram tanquam spolium*, & num.11.

Ad hujusmodi tamen pœnam incurrendam an unica sufficiat negotiatio, num.12.

13 *In causa spolii cumulativè cognoscere possunt loci Ordinarius, sive Collector Cameræ Apostolicæ; itaut detur locus præventioni: & quomodo uno, vel altero casu pœna applicanda sit*, num.14.

DISCEPTATIO X.

§.2.

Quibus pœnis erunt puniendi Clerici negotiatores, Nobis hic est demonstrandum. Et nulli dubium
1 videtur quòd, ubicunque illi interdictam negotiationem à sacris Canonibus

bus exercent, ac illis à sacris paginis prohibitam, incidunt in pœnas tàm spirituales, quàm temporales: jure enim divino hoc videtur eisdem denegatum, ut ex illo *Apost.2. ad Thimotheum 2.* = *Nemo militans Deo, implicet se negotiis secularibus*: ac proinde, uti facientes contra divinam le-
2 gem, incidunt in peccatum mortale. Ultra autem peccatum quod committunt, valet Ordinarius loci devenire contra hujusmodi Clericos negotiatores ad suspensionem à divinis, ad *Text. in cap. consequens* 88.*dist.* ubi legitur ita = *Noverint ab omni cujuslibet negotiationis ingenio, vel cupiditate cessandum, aut, in quocunque gradu sint positi, mox à Clericalibus officiis abstinere cogantur*.

Pariter possunt hujusmodi Clerici negotiatores excommunicari, ubicun-
3 que ter moniti non cessent illicitam negotiationem exercere, ad *Text. in cap. secundùm instituta ne Clerici, vel Monachi* ibi = *Prohibitione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici causâ lucri negotientur*, ubi *Abbas*, *Barbosa*, *Fagnan. & alii*, *cap. ex litteris*, ubi *Abbas*, *de vita*, *& honest. Cleric. Clementina unica eodem tit. in* 6. concordat *Tridentin. sess.*22. *cap.*1. *de Reform.* & *Doctores passim*.

Immò si post dictam monitionem Clericus perseveraverit in illicitis mer-
4 caturis, & negotiationibus, venit spoliandus Beneficiis & Ecclesiâ, quam possidet, ita *Innocent. in cap. fin. de vita, & honestate Cleric. Redoanus de spolio quæst.*2. *num.*73., ubi *alii Doctores*.

Necnon, ubi fuerit in minoribus ordinibus constitutus, amittit Privile-
5 gium fori, non se abstinendo ab illicitis negotiationibus, *Farinac. quæst.*8. *num.*93. *Diaz in praxi crimin. Canon. cap.*55. *Alex. de Nevo cons.*60. *num.*3. *Redoan. suprà num.*47. 48. *&* 73. latè *Barbosa in dicto cap. final. de vita, & honestat. Clericorum*, & *Doctores passim*, & *Nos* latè *de Clericis, quoad fori privilegium*.

Veritas tamen est, non amittere directè fori Privilegium, itaut circa per-
6 sonam possit cognosci à Judice laico, sed ubicunque ter monitus fuerit, quatenus non desierit negotiationem, seu mercaturam exercere, venit privandus Clericali Privilegio, scilicet exemptione ab oneribus, & tributis; undè ea solvere debet, ut cęteri laici solvunt, ideoque non videtur esse immunis à solutione gabellæ; quo verò ad personam non valet molestari, tamquam immunis à judicio laicalis Curiæ, *Maranta de ordine Judic. part.*4. *n.*86. *Guttierez de gabellis quæst.*93. *Barbosa de Episcop. alleg.*14. *num.*8. *Genuensis in praxi cap.*62. *num.*1. *Sperell. decis.*35. *num.*45. *Antonell. de Juribus Cleric. part.*1. *cap.*2. *num.*14. latè *Panimolls decis.*6. *annotat.*5. *num.*1. *& per totum*.

Locum habet supradicta conclusio, ubi Clericus negotiator fuerit ter mo-
7 nitus, ut ab illicita negotiatione desistat, aliàs non videtur amittere Privilegium, ut valeat cogi ad solvendum gabellas, ac cętera laicalia onera, de quibus suprà, ut docet *Julius Ferrettus de gabellis num.*512. *Diana resol. moral. de Immunit. Eccles. part.*1. *resol.*46. *& part.*3. *tract.*1. *resol.*44. *& part.*4. *tract.*5. *resol.*28. *Panimolla decis.*71. *num.*13. Quidquid in contrarium alii dicant, videlicet, Clericos negotiatores statim ante trinam monitionem teneri ad onus gabellæ, itaut à laicis ministris exigi possit, ut tradit *Prosper de Augustino in addit. ad Quarantam V. vectigal*, *Guttierez de gabellis quæst.*93. *num.*11. *Card. de Luca Miscell. Eccles. disc.*2. *num.*37. *disc.*5. *num.*19. *disc.*8. *num.*9.

Quoties verò adest differentia inter Clericum, & gabellarium, an res sit
8 ipsius Clerici, vel aliena, & an conducatur causâ negotiationis, vel ad proprium usum, standum erit juramento ipsius Clerici, ac deferentis illam, nisi personæ qualitas fuerit suspecta ob malam ejus conditionem, ex quo Clericus ipse sit solitus negotia illicita exercere, vel quod sit convictus de mendacio, ut individuo tenet *Rolandus à Valle cons.*61. *num.*24. *vol.*4. ubi *Doctores*.

In casu verò controversiæ, judicium erit peragendum coram Judice Eccle-
9 sia-

9 ſiuſtico, cum non videatur licitum gabellario propria auctoritate executionem facere citra pœnam cenſurarum, *Bald. in l. de his C. de Epiſcopis, & Clericis, Abbas in cap. qualiter de Judiciis, Rolandus conſ.71. num.25. vol.4. Squillante de Privileg. Cleric. cap.8. dub.1. num.33. Diana part.3. reſol.44. tract.1. de Immunit. Eccleſ. Card. de Luca d. diſc.2. num.38.*

Clericus pro illicita negotiatione non ſolùm venit plectendus ſupradictis
10 pœnis, ſed etiam acquiſita per eumdem ſubjacent ſpolio Eccleſiaſtico: undè bona ipſius ipſo facto devolvuntur ad Reverendam Cameram Apoſtolicam, uti illicitè acquiſita; idcircò hujuſmodi Clerici privari poſſunt bonis ipſis ita acquiſitis, & mortui ſpoliari eiſdem: quod locum ſibi vindicat non ſolùm quoad Clericos ſeculares, ſed etiam quoad Regulares, ut patet ex *Bulla Pii IV.* quæ incipit *Decens eſſe*, in qua ipſe Summus Pontifex Romanus declarat, bona quæcunque ex illicita negotiatione acquiſita, per quoſvis Clericos tam ſeculares, quam Regu-
11 lares, etiam in ſacris Ordinibus conſtitutos, ac cujuſcunque ſtatus, ordinis, & conditionis fuerint, tamquam ſpolia ad Reverendam Cameram Apoſtolicam pertinere, & ita *Redoanus de ſpolio quæſt.2. à num.81. ad 112. Novar. eodem tract. Card. de Luca de cambiis diſc.18.n.7. de Benef.diſc.110.n.17.*

Ex dicta *Pii IV. Conſtitutione* inſurgit videre, an una ſufficiat negotiatio,
12 vel plures requirantur negotiationes, ut locum habeant pœnę, de quibus ſuprà: & licèt attentis verbis ejuſdem unica videatur ſufficere, ibi: *Ex illicita negotiatione*: Communis tamen Doctorum ſententia eſt, quamplures requiri, aliàs non videntur habere locum pœnę, *Redoanus ſuprà num.66. Barboſa de Epiſcop. alleg.13. num.11. Genue ſis in praxi cap.62. num.8.*

Ubicunque agitur de illicita negotiatione probanda, uti prohibita Cle-
13 rico, vel Eccleſiaſtico ubicunque, hoc ſpectat ad Epiſcopum loci Ordinarium, vel ad collectorem generalem Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ, data inter ipſos præventione; itaut ſi in cauſa prævenit Epiſcopus, Collector Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ non valet ſe intromittere in cauſa ipſa, & econtra, *Pignatell. conſ lt. Canonic. tom.6. conſult.79. Sacra Congreg. Epiſcoporum, & Regularium in una Beneventana 4. Maji 1660.*

Ac proindè ſi proceſſus fabricatus fuit à Collectore Apoſtolico, pœna
14 exigenda, venit applicanda Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ: ſi verò confectus fuit ab Ordinario loci, ipſi debetur pœna in uſus pios applicanda, prout ſibi videbitur, *Sacra Congreg. Immunit. in u a Melphiten. 13. Novembris 1668. Pignatell. ſuprà.*

ARGUMENTUM.

Clericorum vitæ, & honeſtati quantum repugnet venationem exercere, ubi quotupliciter ſumi poſſit hoc nomen Venatio? *Quæ venatio eis videtur interdicta? Quibus pœnis erunt puniendi Clerici Venatores? Quid ubi aliquem occiderint venando?*

SUMMARIUM.

1 *Venatio an, & quæ Clericis prohibeatur*, & num.7. & ſeq.
2 *Laicis permiſſum eſt pugnare in bello juſto, minimè verò Clericis.*
3 *Venatio multiplex eſt.*
4 *Adulatores ſunt tanquam venatores, nedum autem adulatio prohibita eſt, ſed & prohibitum eſt aliquid eis elargiri.*
5 *Venatio clamoroſa Laicis licita eſt, Clericis verò prohibetur: & redditur ratio.*
6 *Piſcatio permiſſa eſt etiam Clericis, dummodo non exerceatur tempore prohibito.*
8 *Venatio quibus pœnis Clericis interdicatur*, & num.9.
11 *Venatio de ſui naturâ permiſſa eſt.*
12 *Clericus, urgente neceſſitate, venari non prohibetur.*
13 *Clericus, qui occaſione venationis caſu aliquem occiderit, an irregularitatem incurrat*, & num.14.

DI-

DISCEPTATIO XI.

QUantum repugnet vitæ, & honesta-
ti Clericorum, venationem sequi,
breviter hìc demonstrabimus. Et
1 ad intelligentiam prænotandum vide-
tur, venationem tripliciter sumi posse:
aut loquimur de venatione, quæ fit ho-
minum oppressione, & hujusmodi ve-
natio videtur indistinctè prohibita om-
nibus Clericis, quia ipsi non debent pu-
gnare, etiam contra infideles, ad *Text.
in cap. multa*, *de voto*, *& voti redem-
ptione*, ubi *Doctores*.

Laicis verò videtur licitum in causa
2 belli justi pugnare, ad *Text. in cap. sicut
de jure jurando*, *cap. reprehensibile*, *cap.
in omni 33. quæst.8.*

Quædam est venatio adulatoria, quæ
sæpè committitur ab histrionibus; ipsi
3 namque verbis adulatoriis capiunt ho-
mines, sicuti in venatione capiuntur
bestiæ: & hujusmodi venatio illicita est
omnibus, ad *Text. in cap. Væ qui divi-
nis 11. quæst.3.* ubi *Canonistæ*.

Immò peccatum est dare aliquid istis
4 adulatoribus, & histrionibus, ad *Text.
in cap. qui venatoribus 86.dist.* ubi *DD.*

Quædam est venatio clamorosa, vi-
delicet, quæ fit in sylvis, vel saltibus
5 cum canibus: & ista venatio, licèt vi-
deatur licita laicis, interdicta tamen
videtur Clericis, tum ratione periculi,
quod accidere posset in aliquem occi-
dendo, ut sæpè accidit; tum etiam ne
venatio illos distrahat à divinis Mini-
steriis, ad *Text. in cap.1. 34.dist. cap.1.
& 2. de Clerico venatore*, *cap.1. eodem
tit. in 6. cap. multa de vita*, *& honesta-
te Clericorum*, ubi *Fagnan. n.86. Cle-
ment.1. §. porrò de statu Monach. Me-
noch. de arbitr. Judic casu 416. num.9.
Pignatell. consult. Canon. tom.3. con-
sult.59. & tom.10. consult.15. Panimol-
la decis.41. num.26.* Facit illud *D. Am-
brosii*, relati *in cap. punitis 86.dist.* ibi:
*Primo diluculo non ad Ecclesiam vigi-
lant; non beatorum Martyrum loca san-
cta perquirunt, sed surgentes disponunt
retia, canes producunt, saltus, sylvasque
perlustrant*.

Quædam est venatio, quæ fit cum re-
te, seu laqueo, puta piscando; & hu-
6 jusmodi venatio licita est tàm Clericis,
quàm laicis; dummodò non fiat tem-
pore festivo, quod videtur denegatum
non solùm Clericis, sed etiam laicis,
cum non sit faciendum opus servile hu-
jusmodi diebus festivis in honorem Dei,
ut *Nos latè sub titulo de feriis*. Quòd
piscatio videatur permissa Clericis, pa-
tet ex illo, *Lucæ cap.10. & ult. Mat-
thæi cap.4. Marci cap.1. & alibi*, *cap.
licet de feriis*, *Menoch. casu 413. n.20.*
& *Doctores passim*.

His generaliter positis, sequitur, ut
videamus, quæ venatio interdicta sit
Clericis, & quibus Clericis; & exce-
7 pta ista ultima, qualibet alia videtur
eis à jure Canonico, interdicta, *juri-
bus de quibus suprà*, videlicet per *Text.
in cap.1. hoc titulo*, juncto *cap.1. eodem
tit. in 6. cap. multa de vita*, *& honest.
Clericor. Clem.2. eodem tit. in 6.*

Undè Episcopus venator tribus men-
sibus suspenditur, Presbyter duobus
8 mensibus, Diaconus, & Subdiaconus
suspenditur ab omni officio, ad *Text. in
cap.1. & 2. de Clerico venatore*, ubi
Canonistæ.

Clerici verò in minoribus, eo quia
contra eos nulla videtur statuta pœna,
9 tunc locum habet pœna sui Ordinarii
arbitrio imponenda, ut docet *Menoch.
de arbitr. casu 416. n.9. Diaz in praxi
crim. Canonica cap.61. num.6.*, *Covar.
in cap. peccatum in 2. part. §.8. num.6.
de regulis juris in 6.*

Causa verò recreationis, & congruo
tempore, & ubi non fit frequenter, per-
10 missa videtur Clericis venatio, *Diaz
suprà num.3.*

Siquidem venatio regulariter, quæ
etiam fit in sylvis, & saltibus, occiden-
11 do feras, & aves, de sui natura est per-
missa, ut docet *Angelicus Doctor 2.2.
quæst.64. art.1. Sylvester in Summa.
V. venatio Cassaneus in Cathalogo glo-
riæ Mundi part.11. consid.50. Campa-
nil. divers. juris Canon. rub.11. cap.33.
n.5. Sebastian. Medicus de novat. par.1.
quæst.8. n.17. Laymon Theolog. morali
lib.3. tract.1. cap.5. num.15.*

Sicuti videtur permissa eisdem, ubi
12 venatio fit urgente necessitate, *Bellett.
disquis. Cleric. part.2. §.14. num.3.*, &
Doctores passim.

Non

Non est abs re videre, an Clericus censendus sit irregularis, ubicumque in venando, casu tamen, non dolo, aut culpa, aliquem occidit, putans illum
13 esse feram? Et licet circa præsens dubium variæ sint Doctorum sententiæ, nam pro negativa facit, *Giballinus de Irregularitate cap.*4. *consf.*12. *num.*18., ubi ita legitur: *Quoties enim venationi, sive periculosæ, sive non periculosæ vacans, adhibuerit omnem cautionem, & diligentiam necessariam ad effectum evitandi periculum, ne quis occidatur, atque ita si quem casu occiderit, & involuntariè, atque ideò inculpabiliter occidat, sicut reus non potest haberi illius externi homicidii, ita neque ratione illius incurrit irregularitatem, quæ culpam mortalem exigit, qualis non erit in homicidio merè casuali, sive ex re licita, & non periculosa, sive ex illicita, & periculosa proveniat; quia diligentia, & cautio adhibita omne periculum hic, & nunc absterserat, atque ideò omnem culpam, & omne indirectè voluntarium, licèt sit aliqua anterior in ea venatione, eo quod, vel loco, vel tempore, vel modo sibi prohibito, fiat: sed hujus culpæ ratio non habetur in contrahenda ista irregularitate, quæ ex sola culpa homicidii aliquo modo voluntarii, eaque mortali contrahitur*; hæc *Giballinus suprà*.

Concordat, & facit ad casum pro ex-
14 cludenda irregularitate, illud *Gonzalez in cap. de cætero num.*8. *de homicidio* ibi: *Deindè non manet irregularis Clericus venationi insistens, licèt hominem occidat, credens, esse feram, adhibita omni diligentia, & si venatio illi prohibita sit*, ubi *Concordantes*.

Idem docet *Pignatell. consultat. Canon. tom.*3. *consult.*59. *n.*14. illis verbis: *Neque obstat periculum homicidii, ac proindè irregularitatis; nam dans operam rei licitæ, vel etiam illicitæ, si adhibuit diligentem cautionem, ne deindè aliquid incommodi sequatur, tunc etiam si sequatur mors alicujus, etiam Clerici, non illi imputabitur; quia neque in causa mors illa est ipsi volita, atque adeò nullo modo voluntaria. Neque obstat, quod causa fuerit periculosa, ac proindè mors videatur volita in causa; quia diligentia absterserit periculum: quapropter neque reus erit homicidii, neque tenebitur ad restitutionem, neque erit excommunicatus, neque irregularis. Nam cum non adsit culpa occisionis, non aderit neque excommunicatio, neque irregularitas*: hæc enim cum in pœnam statuta sint, sine culpa non procedunt. Vide, quæ *Nos* latè, ubi *de Irregularitate*.

ARGUMENTUM.

Clericorum vitæ, & honestati quantum repugnet eos in duello pugnare, ubi undè nomen Duellum, *& quid sit? Quibus juribus vetitum sit? Quibus pœnis erunt puniendi rei hujus criminis, sive Clerici, sive Laici fuerint.*

SUMMARIUM.

1 *Duellum sic dicitur, quasi duorum bellum.*

2 *Duellum, quod olim practicabatur ad dirimendas lites in defectum probationum, prohibitum est: & ratio prohibitionis expenditur.*

3 *Pœnæ contra duellantes inflictæ intrant, quatenus duellum sequatur ex proposito, non verò occasionaliter calore iracundiæ.*

Quando autem sequi dicatur calore iracundiæ, num.4.

5 *Pœnæ contra duellantes num locum habeant contra acceptantem duellum, pugnâ non secutâ*, & num.23.

6 *Pœna duellantium cessat, ubi duellum acceptatum non fuerit.*

Et acceptatio esse deberet expressa, num.7.

Rursus ut militet hujusmodi pœna, præcedere debet conventio de certo tempore, & loco duelli, num.8.

9 *Pœnam incurrunt nedum duellantes, verùm etiam consilium, opemque ferentes, & alii, ut latiùs in Constitutione* XI. *Clementi VIII.*, *quæ recensetur*, & num.20. & 24.

An autem puniatur consilium, etiam effectu non secuto, num.21. & 22.

10 *In*

10 *In duello considerantur aliquae actiones magis principaliter, aliquae minus principaliter ad effectum incurrendi poenas*, & num.11. & seq.

13 *Poenae adversùs duellantes procedunt, ubi concurrunt omnes circumstantiae consideratae in Constitutionibus Apostolicis easdem penas infligentibus.*

14 *Poenae recensentur, quae statutae sunt contra Clericos duellantes*, & num.15. & seq. & num.18.

17 *Indecorum est statui Clericorum, quod mendicare cogantur.*

19 *Poenas duelli incurrunt etiam Domini locorum, Magistratus, aliive ejusdem generis Superiores, qui duellum non impediverunt, vel immunitatem elargiti sunt duellantibus, nisi aliqua justa causa excusentur.*

24 *Poenas impositas duellantibus non incurrunt duellum simpliciter ex curiositate inspicientes.*

25 *Quibus casibus duellum licitum esse valeat*, & num.26.

26 *Vitam. honorem, ac bona defendere licet, etiam morte aggressoris.*

DISCEPTATIO XII.

CUm acturi simus de Clericis pugnantibus in duello ad normam nostri tituli Decretalium, priùs nobis visum fuit nonnulla generalia adnotare, quae conveniunt tàm Clericis, quàm Laicis pugnantibus in duello. Adnotandum
1 igitur erit primò, hoc nomen *duellum*, quòd Graeci *monomachiam* appellant, ita dictum est, quasi duorum bellum; est enim duellum singularis pugna à duobus utrinque sponte suscepta.

Antiquitus duellorum usus erat frequentissimus; etenim saepè saepius ad dirimendas lites inter partes fiebat, ubi probationes certae haberi non poterant; attamen hodiè talis usus damnatus extat à Summis Pontificibus, sicuti à *Tridentino sess.25. de Reform. cap.19.*, &
2 non immeritò; etenim per duellum dicitur tentatum divinum Judicium, à duello proveniunt mortes repentinae, animarum perditiones, ac mala plurima in detrimentum humani generis: meritò proindè videtur damnatum per *Bullam Julii II. la 19. Leonis X. Const.31. Pii IV. Constit.21. Gregorii XIII. Constit.78. Clem. VIII. Constit.11.*, & per *Trident. d. cap.19., Barbosa de Episc. alleg.50.num.120. Antonell. de tempore legali lib.1. cap.29.*, ubi gravissimis penis duellantes afficiuntur.

Duellum, ad hoc ut sit punibile penis, de quibus in supradictis juribus, debet fieri ex animo deliberato, & composito: secùs autem si fiat calore iracundię, & orta lite inter duos sit provocatio ad duellum, iidemq; incontinenti ad ali-
3 quem locum accedentes dimicant; quia tunc non est locus pęnis, ut in dictis juribus, ita *Farinac. de homicidio qu.119. num.24. idem cons.9. n.35. Guazzin. de confisc. bonorum conclus.13. ampliat.89. n.6. de Marinis resol.110. n.9. Sanchez in praecept. Decalogi lib.2. cap.39.n.28. Masin. de confisc. bonor. quaest.10.n.19. Diana in Summa, V. Duellum. Antonell. suprà n.5. Grasset. de nece prodit. §.2. sub n.10., & §.8. n.98.*

Duellum dicitur fieri calore iracundiae, quando inter rixam, & duellum
4 non fuerit sequutus actus intermedius, *Ludovicus decis. Lucen.11. circa finem*, ubi dicit in hoc satis versari arbitrium Judicis, quem sequitur *Antonell. dicto cap.29. num.6.*, vel quando pugna sequuta fuit eadem die, qua facta fuit rixa, & contentio, docet *Diana resol. moral. part.6. tract.6. resol.21.*, quem sequitur *Antonell. sup. num.7. Grasset. sup. §.2. num.10. & 11.*

Non est abs re videre, an poenae signanter constitutae contra duellantes
5 per *Bullam Clement. VIII.*, quae incipit *Illius vices*: locum habere possint contra illum, qui acceptavit duellum, licèt non fuerit factus accessus ad locum destinatum, vel quatenus factus fuerit accessus, non fuerit sequuta pugna, & partem affirmativam tenet *noster de Marinis d. resol.110. num.1. & 2.*, ac *Massin. de confisc. bonor. qu.10. n.15.*, utrobique *Doctores*.

Secùs videtur dicendum, non sequuta acceptatione; nam tunc poenae con-
6 tra duellantes non videntur habere locum, ut idem *de Marinis suprà num.4. Massin. suprà num.10. Antonell. suprà num.4. Riccius resol. 52. part.3.* Licèt idem *Riccius d. loco* asserat, non esse lo-

cum pœnis, etiam attenta *Constitutione Clement. VIII. suprà*, ubi non fuit sequuta pugna, *Diana suprà*.

Ut locum habere possint pœnæ contra duellantes latæ in supradictis juri-
7 bus, opus est, ut non solùm concurrat acceptatio duelli, sed quod illa sit expressa; nam generalis, & dubia, facta sub involucro verborum, non sufficit, ut docet *Cyriac. controv.* 101. *n.* 53. *Sanchez in præcept. Decalogi lib.* 2. *cap.* 39. *n.* 10. *Vermigl. consl.* 194. *n.* 7. *Maffin. de confisc. bonorum qu.* 10. *num.* 24. *&* 25. quem sequitur *Antonell. d. cap.* 29. *n.* 4.

Ita pariter, ut præcedat pactio, & conventio de tempore, & loco, quæ
8 debent esse certa, determinata, & particularia, itaut generalia non sufficiant, sicuti docet *Farinacc. consl.* 9. *n.* 35. *Vermigliol. consl.* 194. latè *Maffin. de confisc. bonor. qu.* 10. *n.* 20. *Antonell. d. cap.* 29. *n.* 2. *& seq. Diana suprà V. Duellum num.* 5.

Gravissimis pœnis puniuntur non solùm ipsi principales duellantes, sed
9 etiam alii, vel consulentes, vel auxilium præstantes, aut similes, ut expressè cautum habemus ex citatis Summorum Pontificum Constitutionibus, ac Tridentino Decreto, & tàm de pœnis, quàm personis ipsis patet ex illa *Clementis VIII.*, quæ incipit *Illius vices*, quæ facta fuit ad roborandam, & augendam illam *Gregorii XIII.*, quæ incipit *Ad tollendum*, cujus Clementinæ Constitutionis verba, quoad hanc partem pœnarum, & complicium in delicto sunt quæ sequuntur.

Illius vices, &c. Ex parte Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, excommunicamus, & anathematizamus, maledicimus, & execramur omnes, & quoscumque publicè, & privatim, palàm, vel occultè in quibuscumque locis, modis, & formis, ex causibus sub præsenti nostra, vel aliis prædictis Constitutionibus, ac decreto comprehensis, singulare certamen, quod duellum vulgò dicitur, ex composito ineuntes, necnon id scelus suadentes, aut provocantes, opem, consilium, vel favorem præstantes, equos, arma, & commeatus præbentes, aut concomitantes, vel circa chartulas, seu libellos, litteras, nuncios, aut quæcumque alia scripta hujusmodi quomodolibet peccantes, hujusque delicti socios, de industria spectatores, patrinos, fautores, defensores, quacumque tàm superiùs expressa, quàm alia mundanâ præfulgeant dignitate, itaut singulares etiam personæ cujuslibet Communitatis, Universitatis, Collegii, aut Reipublicæ, quæ hujus criminis participes quoquo modo fuerint, nequaquam excusentur, sed supradictos omnes, eorumque singulos ipso facto absque ulla monitione, Judicis decreto, aut ministerio perpetuis anathematis, excommunicationis majoris, & maledictionis æternæ mucrone percusos, & damnatos harum serie declaramus; & si in ipso conflictu obierint, sepultura Ecclesiastica perpetuo privatos esse volumus. Ipsas verò Civitates, Terras, Oppida, vel Castra, & Loca, in quorum Territoriis id faciant, scientibus, & tacitè, vel expressè permittentibus, aut tolerantibus Dominis, aut Magistratibus, vel Senatu, aut Populo, admissum fuerit, Ecclesiastico supponimus Interdicto, cujus interdicti relaxationem, aut excommunicationis absolutionem, ab alio, quam à Nobis, aut pro tempore existente Romano Pontifice, pœnitentia, & satisfactione congrua peracta, nisi in articulo mortis constituti nequeant obtinere, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum.

Ex dicta *Clementis VIII. Constitutione* colligitur, aliquas actiones in
10 ea prohiberi, alias uti principaliter, & absolutè sine conditione, aliquas verò quasi minus principaliter, & sub conditione. Actiones principaliter absolutè, & sine conditione prohibitæ, sunt pugnare in duello, provocare ad duellum, publicare, affigere, vel intimare libellum provocatorium, ut vulgo dicitur *foglio di disfida*, accedere ad locum duelli; quod videtur desumi ex verbis citatæ Clementinæ constitutionis ibi: *Ad singulare certamen descendat, aut illum provocet*.

Actiones verò quasi minus principaliter, & sub conditione prohibitæ vi-
11 dentur esse omnes aliæ actiones provocatoriæ ad duellum, ut componere libellos, consulere, mandare, ut deferan-

rantur, vel duellum offeratur, commodare arma, & aliæ actiones, quæ exprimuntur in illis verbis, *volentes eos*, usque ad ea *nihilominus*, his positis.

Videre est an excommunicatio, & aliæ pœnæ in dicta Constitutione Cle-
12 mentis incurrantur, statim ac præstita est aliqua actio ex prædictis: & dicimus, quod ubi concurrit aliqua ex his, quæ principaliter ut præmittitur, considerata sunt, pœnæ ipsæ locum habent, ea ratione, quia tunc adest materia absolutè prohibita: Secùs tamen videtur, ubi concurrit aliqua actio ex eis, quæ minus principaliter reputantur; quod videtur colligi ex verbis ejusdem Constitutionis ibi: *Si per eos non steterit*: undè videtur, Constitutionem prædictam non habere locum in his secundis actionibus, cum videantur pœnæ infixæ sub conditione, quatenus sequatur duellum, latè *Peregrinus de duello quæst.* 15. ubi alii Concordantes.

Pœnas igitur, de quibus suprà, ut quis valeat incurrere, opus est, ut
13 servata sint omnia, quæ in dictis Constitutionibus videntur statuta, & signanter, quod statutum habemus per Clementis VIII. Constitutionem; aliter non habent locum: undè, una ex supradictis non concurrentibus, nomen duelli non meretur pugna ipsa; ac proindè attentè notanda sunt verba dictæ Clementinæ Constitutionis.

Sequitur, ut videamus quid dispositum extet de Clerico pugnante in
14 duello: & dicimus, attentâ dispositione Sacrorum Canonum *in cap. porrò hoc titulo*, quod Clericus iniens duellum, sive obtulerit, sive susceperit, deponendus est; poterit tamen cum eo Episcopus dispensare, si mors, vel mutilatio membri non sit indè secuta. Verum hodie, attentis Constitutionibus Apostolicis, de quibus suprà, non effugiunt Clerici eas pœnas, quibus veniunt plectendi laici duellantes; nam aliter oriretur scandalum in populo,
15 forsitan abloquente, quòd Papa punit laicos duellantes, & non castigat Clericos tale scelus committentes.

Clericus, ubi duellum inivit sive per se, sive per alium, undè secuta fue-
16 rit mors, vel mutilatio membri, efficitur irregularis, ut colligitur ex *Text. in cap. Henricus presbyter, hoc titulo*, ubi *Canonistæ* communiter cum *Fagn.* undè non valet ministrare in ordinibus receptis; potest verò cum illo dispensare Episcopus, ut valeat obtinere Beneficium, quod videtur permissum, ne
17 cum dedecore status Clericalis mendicare cogeretur, ut ex *d. Text.* ibique. *Fagnanus* lato calamo: facit illud *Textus in cap. Diaconi* 22. 93. *dist.* ibi: *mendicat infœlix Clericus in plateis, & servili operi mancipatus, publicam à quolibet deposcit eleemosynam.*

Verùm Clericus pugnans in duello, præter excommunicationem, privan-
18 dus erit Beneficiis, & dignitatibus, & officiis Ecclesiasticis, imò efficitur inhabilis ad illa, vel aliâ imposterum obtinenda, ut bene ex *Constitutione Pii IV. la* 21.

Ex supradictis sequitur primò, non solùm ipsos pugnantes in duello,
19 vinculo istius excommunicationis obstringi, verum etiam dominos locorum, Magistratus, Locumtenentes, Duces Militum, aut similes, qui non prohibent, quominus hæc fiant, nisi habeant justam causam permittendi, aut cui post commissum crimen veniam, & impunitatem concedant, ut ex dictis Constitutionibus Apostolicis, signanter ex illa *Clementis VIII. suprà*.

Secundò subjiciuntur iisdem pœnis mandantes, suadentes, consulentes,
20 quolibet modo, etiam ad defensionem proprii honoris, sive provocatio fit contra certam, sive contra incertam personam, vel generatim contra quamcumque, etiamsi postea duellum ab alio non acceptetur, ut benè *Peregrinus de duello quæst.* 5. *num.* 2. & patet ex *d. Constitutione Clementis VIII.*

Consilium verò, aut mandatum an debeat influere, ut consulens, vel
21 mandans censurâ ligetur, idest utrum ad censuram incurrendam opus sit, ut consilium, vel mandatum sit efficax, itaut delictum ex illo mandato, vel consilio aliqua ratione sequatur. Et dicimus sententiam negativam probabiliter sustineri posse, quia licet censura

imposita ob delictum, vel mandatum, regulariter loquendo, non incurratur, nisi consilium, vel mandatum sit efficax, & influat in effectum sub censura
22 prohibitum: hoc tamen fallit, dum consilium, vel mandatum secundùm se, & principaliter, vel quasi principaliter, prohibetur, & punitur excommunicatione, si per consulentem, vel mandantem non stet, quo minus pugna sequatur.

Tertiò sequitur, easdem pœnas incurri ab acceptante libellum disfidæ,
23 statim ac acceptavit illum, ut habetur ex citata Bulla *Clemens VIII. de Marinis resol. quotid.* 110. *num.*2. *& seq.*

Quartò incurrunt easdem pœnas Patrini, socii, spectatores ex proposito
24 assistentes; secùs verò si transeuntes, vel alia causa ibi existens aspiceret duellantes; nam Constitutiones, & signanter illa Clementis, loquitur de spectatore ex proposito, & industria, *Peregrinus suprà num.*37.

Sequitur ut videamus an duellum sit semper illicitum: & per se loquendo,
25 illicitum est. Dantur nihilominus duo casus, in quibus licitum videtur. Primus est, si ex causa publica, scilicet ad Reipublicæ bonum, belli exitum, & securitatem ab hostibus obtinenda, magis expedire Ducibus videatur, ut totum bellum in duellum resolvatur, quale fuit illud inter David, & Goliath 1. *Regum* 17. *Peregrin. de duello qu.*16.

Alter casus est, quando aliquis compellitur, sub vitæ periculo, videli-
26 cet causâ defendendi vitam propriam, & bona propria, vel proprium honorem acceptare duellum; nam quilibet potest consulere propriæ vitæ ac bonis, & honori proprio, etiam cum morte invasoris, undè ex parte provocati dicitur licitum, *Bonacina de excommunicatione disput.* 2. *quæst.* 6. *punct.*1. *num.*18.

ARGUMENTUM.

Quis valeat absolvere ab Excommunicatione incursa causa duelli? Quis possit dispensare cum irregulari causâ prædictâ, vel ad obtinenda Beneficia, vel ad retinenda illa, quatenus habuerit?

SUMMARIUM.

1 *Ab excommunicatione incursa propter duellum solus Papa potest absolvere, neque hac facultate potitur Episcopus erga suos Diœcesanos, nisi in duello occulto*, ut num.2.

2 *Concilio Tridentino non censetur derogatum absque expressa mentione.*

3 *Clericus ob homicidium de suo mandato secutum, efficitur irregularis.*

4 *An valeat Episcopus dispensare cum Clerico homicida, qui pœnitentiam egerit, ut Beneficium valeat obtinere*, & num.5. & seq. & num.9. 13. & 14.

7 *Quod lex misericorditer indulget, dicitur ex gratia concessum.*

8 *Verbum* potest *denotat facultatem non verò præcisam necessitatem.*

9 *Ratione vitandi scandali, seu ad publicam utilitatem quædam tolerantur, quæ aliàs concedenda non essent.*

10 *Papa dispensare potest cum homicida tàm ad Beneficia, quàm ad Ordines suscipiendos, etiam absque causa.*

11 *Papa est suprà jus positivum, ideoque ei potest derogare.*

DISCEBTATIO XII.

§. 1.

Duo sunt examinanda per nos in hac præsenti Disceptatione: primum quis possit absolvere ab excommunica-
1 tione incursa causâ duelli: secundùm quis dispensare valeat cum Clerico duellante in irregularitate incursa etiam causâ prędictâ, saltem ad obtinenda, vel retinenda Beneficia. Et quoad primum, dicimus, esse solius Summi Pon-

Pontificis absolvere ab excommunicatione contracta ob delictum causâ duelli; nam sicut ipse tulit hanc pœnam, ita potest eam auferre; undè non valet alius; etenim Clemens VIII. in sua Constitutione, quæ incipit: *Illius vices*, absolutionem sibi, vel Successoribus suis reservavit impertiendam, cujus verba adnotavimus in præcedenti.

Sed an valeat Episcopus absolvere, quisque respectivè quoad suos subditos
2 videre est. Et regulariter dicimus non posse; potest verò in eo casu, ubicunque delictum fuerit occultum, juxta disposita per *Tridentin. sess.24. cap.6. de Reform.* quo cavetur in delictis occultis posse Episcopum dispensare: cui quidem Privilegio, Episcopis concesso à *Tridentin. loco prædicto*, non videtur derogatum per Clementis VIII. Constitutionem, de qua suprà; cum in ea nulla fiat mentio facultatis Episcoporum, aùt illius Concilii, quæ mentio necessaria videtur, ut illud censeatur revocatum; ita *Peregrinus de duello quæst.37. num.3. Rodriquez tom.1. quæst. regul. quæst.8. art.10. Suarez de pœnit. quæst.30. sect.3. num.14. Sanchez de matrim. disp.26. n.7. lib.3. & lib.8. disp.35.*

Quoad secundùm sequitur, ut videamus, an dispensari possit, & quis dis-
3 pensare valeat cum Clerico irregulari quoad Beneficia, posito ut suprà quòd Clericus per se homicidium, seu duellum non fecerit, sed alter hoc egit de suo mandato, aut causa fuit homicidii; undè effectus fuerit irregularis, quia ei interdictum est in sacris Ordinibus ministrare, juxta disposita per *Textum in cap. Henricus Presbyter hoc titulo*; hinc videre est an cum eo sit benignè annuendum, circa Beneficium obtinendum, undè quis dispensare possit videre est.

Et attenta dispositione *Textus in dicto cap. Henricus*, ubi *Abbas Fagnan.*
4 *& alii*, nulli dubium videtur, posse cum eo misericorditer dispensari circa habendum Beneficium etiam in titulum: ad *Text. in d. cap.* & facit *Text. in cap. Presbyterum* 28. *dist.* ibi = *Cathedram quidem habere, sed ab officio abstinere præcipimus*, ubi *Abbas num.3.* Imò dicunt Doctores, hanc dispensationem esse debitam, adeò ut superior
5 dicatur peccare, si Clericus pœnituit, *cap. studeat* 50. *dist.* juncto *d. cap. Presbyterum*, ubi *Doctores, Abbas d. num.3* Cum non debeat pati superior illum mendicare in magnum dedecus status Clericalis, ad *Textum in cap. diaconi* 93. *dist.* ibi = *Mendicat infelix Clericus in plateis & servili operi mancipatus, publicam à quolibet deposcit eleæmosynam, cap. ad supplicationem de renunciat.* ubi *Doctores*, & ita *Hostiens. in d. cap. Henricus num.6.*

Sententia verò prædicta non placet *Abbati in d. cap. Henricus num.3.* nam
6 ibi dicit, Clericum pro hoc crimine tanquam gravissimo esse perpetuo deponendum, & perpetuò detrudendum in Monasterium ad agendam pœnitentiam, ad *Textum in cap. tuæ de pœnis*, ubi *Doctores*; undè hodie cessat hæc ratio, ne cogatur mendicare, cum in Monasterio ei subministranda sint alimenta, ad *Text. in cap. novimus de verb. signific.* Undè concludit *Abbas ibidem*, hujusmodi dispensationem esse
7 gratiosam, juxta illud dicti *Textus in cap. Henricus* ibi = *Misericorditer*, pro quo etiam facit illud verbum, *poterit*,
8 *in d. cap.* quod est facultatis, *l. sæpe ff. de officio præsidis, l. non quicquid ff. de Judic.*

Mihi placet distinctio allata à *Mariano Soccino in cap. ad audientiam*
9 *num.412. de homicidio*, ubi dicit, dispensationi esse locum, ubicumque concurrit maxima utilitas Ecclesiæ, vel ubi vitaretur magnum scandalum, vel concurreret alia similis urgens causa, & hoc casu locum videtur habere sententia *Hostiensis* de qua suprà, V. G. ut superior cogatur dispensare, & non dispensando peccet. Aut verò subest sola utilitas personæ, ut quia est bonæ conditionis, & lapsu quodam erravit, & multum est contritus, & dolens de suo excessu: & tunc vera est secunda opinio, ut sit in facultate Prælati concedere dispensationem, vel non concedere illam, vide quæ latè disserit *Fagnan. ad citatum Textum in cap. Henricus à num.11. & sequentibus.*

Se-

Sequitur ut videamus quis dispensa-
re possit cum homicida quoad Benefi-
10 cia obtinenda, vel obtenta retinenda;
& de Papa nulla est dubitatio, quod ipse
possit dispensare ad utrumque effectum,
11 & aliter asserere, hæreticum esset; ete-
nim ipse est suprà omne jus humanum
positiuum, *cap. proposuit de concess. præ-
bendæ* quod facere valet, nulla subsi-
12 stente causa, ita *Innocent. in cap. cum
ad Monasterium n.3. de statu Monach.*

Episcopus verò attenta juris commu-
nis dispositione poterat dispensare quo-
13 ad Beneficium simplex, secus quoad
Curatum, ad *Text. in cap. fin. de præ-
bendis*, *Abbas in d. cap. Henricus n.4.
ibique Fagnan. num.16.*

Attamen hodie, attentâ novissima
Constitutione *Tridentin. sess.14. cap.7.*
14 statutam habemus, nullo jure, ho-
micidam posse ad sacros Ordines pro-
moveri, nec Beneficia obtinere Eccle-
siastica; undè videtur correctum jus
antiquum, ut de omnibus *Fagnan. in
cap. Henricus*, & *Nos* latè *de irregula-
ritate*, ibi vide.

De cohabitatione Clericorum, & Mulierum ad lib.3. Decret.1. Clericorum vitæ, & honestati quantum repugnet cohabitare cum Mulieribus, ubi an, & quatenus cohabitare cum illis non videatur prohibitum.

ARGUMENTUM.

Clericorum vitæ, & honestati quantum repugnet cohabitare cum Mulieribus suspectis, & quatenus hoc videatur interdictum à sacris Canonibus? Qua causa hoc interdictum sit?

SUMMARIUM.

1 *Clerici prohibentur suspectas mulie-
res apud se habere, quamvis vincu-
lo sanguinis sibi conjunctas*, & n.2.
cum pluribus seqq. & num.7. & seq.
3 *Mulieres arceantur à ministerio Alta-
ris, ut sic Clerici etiam à periculo ma-
li abstineant.*
5 *Lex ordinatur pro iis quæ frequenter
occurrunt, non verò pro raro con-
tingentibus.*
6 *Bonum consilium est Clericis mulieres
etiam arctissimè conjunctas à se pro-
cul habere, exemplo Divi Augustini.*
9 *Fœminas consanguineas licet Clericis
apud se retinere, ubi nulla subesse
possit suspicio, extraneas verò ne-
quaquam, etiam non suspectas, ra-
tione periculi, quod vitare debent.*
*Itaque non debent Clerici cohabi-
tare cum mulieribus consanguineis
ancillas retinentibus*, num.10.
11 *Mulierum aspectus Clerici vitare de-
bent; multoque magis cum eis coha-
bitare, propter periculum*, & n.12.
& seqq.

DISCEPTATIO XIII.

Quia mulierum consortia reddunt
vitam Clericorum de incontinen-
tia suspectam: meritò *Maganti-
1 num Concilium in cap. inhibendum hoc
titulo, ac Tridentinum sess.25. cap.14.
de Reformat.* damnant usum retinendi
apud se mulieres, de quibus haberi
possit suspicio incontinentiæ, ibi = *Pro-
hibet sancta Synodus quibuscumque
Clericis, ne concubinas, aut aliàs mu-
lieres, de quibus possit haberi suspicio
domi, vel extra detinere, aut cum iis
ullam consuetudinem habere audeant;
alioquin pœnis à sacris Canonibus, vel
statutis Ecclesiarum impositis puniantur. Abbas ad citatum Textum.*

Clerici igitur non debent retinere
mulierem suspectam apud se, etiam
2 si sit mater, vet alia consanguinea,
dummodò sit suspecta de incontinentia;
etenim turpe, ac indignum est, Cle-
ricos versari in sordibus impudicitiæ,
& immundo concubinatu, communi
omnium fidelium offensione, ac summo
dedecore Clericalis militiæ, ut monet
Tridentin. d. cap.14. ubi *Barbosa*, &
alii Doctores.

Imò *ex dicto Concilio Maguntino su-
prà*

prà interdictum videtur Clericis, ne
3 possint ad nittere mulieres ad Altare, vel intra Cancellos, & ut eis ministrent ad Altare; nam Clericus abstinere debet ab eo, quod esse possit causa mali: facit illud *D. Hieronymi ad Eustochium*: *Perniciosus, ac periculosus est feminarum aspectus; non enim decet videre, quòd concupiscere non licèt.*

Dicit enim *Textus in d. cap. inhibendum*: *Sed nec illas, quas Canones con-*
4 *cedunt*. In his enim verbis *Textus* iste dum Clericis interdicit mulierum conversationem, & cohabitationem, earum etiam, quas Canones concedunt, matrem scilicet, sororem, amitam, & alias, quæ omnem submovent suspicionem, videtur ex diametro contrariari *Textui in cap. à nobis* infrà *hoc eodem titulo*, cujus auctor est *Innocent. III.* quatenus Clericis concedit cohabitare posse cum iis, in quas naturale fœdus non sinit cadere posse suspicionem, cujus *Textus* decisio videtur ab antiquioribus constitutionibus emanasse, ut colligitur ex *cap. interdixit* 32. *dist. l. eum qui C. de Episcopis, & Clericis*.

In quibus juribus componendis elaborat *Anasthas. Germon. animadvers.*
5 *juris lib.* 2. *cap.* 8. ubi rejectâ responsione *Glossæ verbo Canones in præsenti* in hæc verba prorupit: *Contingit forsan. paulo antequam ipsa Nannetensis Synodus celebraretur, ut aliquis cum matre, vel consanguinea aliqua sit deprehensus, qui causam recedendi ab antiquis Canonibus, & novam condendi legem præbuit. Verum quoniam bono legislatori semper curæ est occurrere illis*, quæ plerunque *eveniunt, non iis quæ rarò accidunt l. neque ff. de legibus*; *Ideò Innocent. III. antiquioribus inhærens Canonibus, Clericis consulere maluit, ut cum iis habitare possint, à quibus quodammodo nefarias libidinum contumelias, turpitudinesque repellit, item matribus, & consanguineis*; *nam cum mortui Mundo Clerici dicantur, solatii loco est illa cum filiis & fratribus cohabitatiò* argumento *legis jure ff. de jure dotium*. Constitutio *tamen cap.* 1. (quod est Textus in præsenti) *pro consilio ad-*
6 *huc satis commodè retineri posset, cum ipse B. Augustinus feminarum omnium ac cum eis sororis, aut fratris filiæ contubernium, familiaritatemque evitasse dicatur, quippe qui dicere solebat: quamvis propinquæ mulieres suspectæ non essent; tamen quæ ad eas ventiturent posse suspicio em efficere*; hucusque *Anasthas. suprà*. De quorum jurium conciliatione agit etiam *Ugolinus de potest. Episcop. cap.* 13. §. 27.

Clerici igitur, qui habent aliqualem suspicionem, à mulierum conver-
7 satione omninò abstinere debent, quamvis sint matres, sorores, & similes, cum inuenti aliquando fuerint, qui diabolica suggestione vexati, incestus, & stupra commiserint, ut per *Menoch. de præsump. lib.* 5. *præsump.* 17. *num.* 9. *Reginald. in praxi fori pœnit. lib.* 30. *tract.* 3. *num.* 18. *Bellett. disquisit. Cleric. part.* 1 *tit. de disciplina Cleric.* §. 25: *num.* 16. *&* 17. *Navarr. comment.* 4. *de Regular. num.* 65.. Habetur enim ex *Glossa in cap. quorumdam* 34. *dist.* quod
8 quidam Episcopus coram omnibus deosculabatur filiam suam, & manum præbebat in gremium ejus: undè non videtur impossibile, & extra sensum veritatis, ut suspicio incontinentiæ detur, etiam cum conjunctis personis.

Nota cum regula generali, de qua suprà, ut nullam fœminam possit tenere Clericus in domo sua, ex qua possit oriri suspicio copulæ carnalis; ergo potest retinere illam, quæcumque illa fuerit, ubi periculum incontinentiæ non adest; igitur videtur posse retinere etiam fœminam extraneam, ubi non est periculum incontinentiæ, *cap. à nobis hoc titulo*: Nos verò dicimus quod
9 valeat Clericus retinere in domo sua consanguineas, aliàs non suspectas, ac ubi Clericus fuerit bonæ famæ; extraneas verò nullo modo tenere valet, quantumcumque sint bonæ famæ; quia talis commixtio est periculosa, non sic in consanguinea, & hoc sentit *Glossa in cap. volumus* 81. *dist.* facit *Text. in cap. cum omnibus, eadem dist.*

Quamvis, ut suprà, Clericis videatur permissum, ut possint cohabitare cum consanguineis, vel affinibus, quibus non est suspicio incontinentiæ; hæc tamen conclusio non habet locum, ubi-
10 cumque cum illis habitet ancilla, vel pe-

pedissequa; nam licèt non sit suspicio cum matre, vel sorore, aut simili, de ancilla, vel pedissequa multum est dubitandum, eòque magis, ubi illa fuerit jucunda visu, ita *Petrus de Ancharano in d. cap. inhibendum hoc titulo*, ubi *Abbas n. 2. Chartar. decis. 49. n. 23. Panimolla decis. 38. n. 27.*

Quoad secundum, qua de causa interdictum videatur, ne possint cohabitare Clerici cum mulieribus: & ea est, ut periculum incontinentiæ effugiant; nam si periculosus, & perniciosus est fœminarum aspectus; ut inquit *D. Hieronymus ad Eustochium*, quanto magis cohabitare cum illis. Mulieres enim sunt via
11 iniquitatis, & arma Diaboli, quibus faciliùs consuevit fortes viros superare: undè ita exclamat *D. Hieron. ad Ocennum: Quid tibi revera cum fœminis, qui ad altare cum Domino famularis.* Et in eadem epistola inquit: *Non potest toto corde cum Domino ambulare, qui fœminarum accessibus copulatur.*

Ac proindè *D. Augustinus* vigilantissimus custos suæ castitatis, nunquam
12 permisit, ut sua germana soror cum ipso cohabitaret, ut scribit *Possidonius in ejus vita cap. 26.* ibi: *Fœminarum intra domum ejus nulla unquam conversata est, nulla mansit, nec quidem germana*, ut refert *Chartar. decis. crim. 49. n. 16.* ad *Text. in cap. legitur 81. dist.* ubi *Doctores*.

Inquit pariter idem *D. Augustinus ferm. 2. Dominicæ 25. post Festum San-*
13 *ctissimæ Trinitatis, qui est 250. cap. 1. Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam; nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. Undè fratres charissimi ab omnibus Christianis, præcipuè tamen Clericis, vel Monachis, indigna, & inhonesta familiaritas fugienda est: quia sine ulla dubitatione, qui familiaritatem non vult vitare suspectam, citò dilabitur in ruinam: inter omnia Christianorum certamina sola duriora sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, & rara victoria.* Undè meritò dicit *Apostolus 1. ad Corinth. 6. fugite fornicationem*. Hæc *D. Augustinus suprà*.

Ad effectum igitur, ut Clerici teneant se ipsos longè à fornicatione, opus est ut longè se habeant à cohabitatione cum mulieribus, si velint eorum honestatem servare. Undè *D. Thomas*, in gravi castitatis certamine, ut legitur
14 in ejus vita, quadam eum tentante muliercula, quia fugere non poterat de loco, ubi existebat, fugam assumpsit, illam titione fugando; undè victor evasit, qui postea ante imaginem Crucis genibus orans, ibique somno correptus per quietem sentire visus est sibi ab Angelo lumbos constringi, quo ex tempore omnis libidinis sensu caruit.

Refert *D. Antoninus part. 4. tit. 13. §. 2. cap. 3.* quondam Religiosum, fuis-
15 se accusatum de contacta fœminæ manu apud B. Jordanum: & cum ille se excusasset, quòd illa esset quædam pia, & devota mulier; undè non malâ operâ hoc fecisset, ita ei respondit: *Terra bona est, bona, & aqua, si verò commisceantur, putre lutum efficitur*: undè quisquam, signanter Clerici fugere debent conversationem mulierum, & eo magis cohabitationem cum illis. Ad firmandum cor pudicum, solebat dicere quidam Dei servus, sola fuga sufficit.

Hinc conquerente apud Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium quodam presbytero Jacobo in sexagesimo suæ ætatis anno constituto, Episcopum Senogallien. sibi injunxisse, ut famulam ætatis quadraginta anno-
16 rum removeat; eidem Sacræ Congregarioni supplicavit, ut oratorem hac de causa molestari minimè permitteret, *Sac. Congreg. die 15. Februarii 1619.* eumdem Jacobum parere debere respondit. Idem censuit in una *Ferrarien. die 7. Junii ejusdem anni* contra presbyterum Joannem Baptistam Rebellum annorum sexagintaquatuor, & ejus famulam annorum sexagintasex, ut in *Flosculis Nicolis*.

AR-

ARGUMENTUM.

Clericus si de suspecta cohabitatione cum muliere imputatus fuerit, quid servandum, ubi monitus non desierit habitare cum illa: quibus pœnis erit afficiendus: suspensus ex hujusmodi causa quid servare debeat pro obtinenda gratia absolutionis?

SUMMARIUM:

1 *Episcopi cautè procedere debent adversùs Clericos accusatos de inhonesta cohabitatione cum mulieribus, ne diffamentur innocentes*, & num.3.

2 *Ecclesiasticos innocentes diffamare, grave delictum est.*

4 *Praxis traditur procedendi adversùs Clericos cum suspectis mulieribus habitantes, vel consuetudinem habentes*, & num.5.

5 *Pœnæ quænam constitutæ sint adversùs Clericos cum suspectis mulieribus cohabitantes, sive concubinarios*, & num.6. cum seqq. & num.13. & 14.

7 *Forma à lege præscripta, debet ad unguem servari.*

10 *Quænam sit pœna Clerici fornicatoris.*

11 *Pœna præscripta per sacros Canones, ac Concilium Tridentinum adversùs Clericos concubinarios irroganda est, prævia trina monitione*, & num. 22. & seq.

Eædemque monitiones debent esse speciales, num.27.

20 *A decretis super correctione morum non admittitur appellatio suspensiva.*

26 *Pœnæ antiquæ pro delictis carnis hodie de consuetudine mitigatæ sunt, & quare.*

30 *Excommunicatus propter crimen concubinatus, quomodo absolutionem impetrare valeat.*

31 *Absolutio, non expressa circumstantiâ iterati criminis, subreptitia est.*

DISCEPTATIO XIII.

§.1.

Ubicumque Clericus imputatus fuerit de inhonesta cohabitatione cum muliere, non statim Judex devenire debet ad comminationem pœnarum, quæ latæ
1 sunt à sacris Canonibus contra hujusmodi Clericos, ne fama tàm illius, quàm mulieris maculetur: unde priùs considerata qualitate utriusque eum omni bonitate monere debet, ut se longè teneat ab hujusmodi suspecto consortio; eo magis ubi mulier dicto Clerico fuerit sanguine conjuncta, ac priùs peracta tali quali diligenti, sed extrajudiciali informatione: sæpè enim (ut experientia docet) dicitur illud quod verum non est: undè cauti Ordinarii locorum bene perpendere debent quidquid agunt, & ne statim credant denunciationibus forsan malorum hominum, qui maligno spiritu inducti sunt ad hoc agen-
2 dum, parum curantes verba Christi Domini: *noli tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*; nam
3 aliter si ipsi Ordinarii locorum ad simplicem relationem procedunt, malè faciunt, & habent Deum ultorem.

Posito igitur quòd verè Clericus societatem habeat cum muliere, de in-
4 continentia suspecta, ut contra illum Judex Ecclesiasticus devenire valeat ad pœnas Canonicas, debet monere eum, ut illam ejiciat à sua domo, vel ampliùs cum illa mutuam societatem non habeat: quod si ille parere negligat, potest eum Episcopus suspendere ab officio, & beneficio, ad *Text. in cap. decernimus* 28.*dist.* ibi: *Decernimus, ut hi, qui in ordine Subdiaconatus, ut suprà, uxorem duxerint, aut concubinam habuerint, officio, atque Ecclesiastico Beneficio careant*; ideò si à se hujusmodi mulierem non ejecerint, & castè non vixerint, à dignitate graduum sint excludendi, concordat *Textus in cap. sicut ad extirpanda hoc titulo*, ubi *Abbas Panormit. Decian. tract. crimin. lib.6. cap.21. n.7. Farinacc. quæst.*138. *n.*37. *Menoch. de arbitr. Judic. casu* 418. concordat *Constitutio Leonis X. la* 16. con-

concordat *Trident. sess.25. cap.14. de Reform.* ubi *Barbosa*.

Licèt Clericus cohabitans cum suspecta muliere, & sic concubinarius de quo suprà, possit puniri pœna suspensionis ab
6 officio, & beneficio, non ex hoc ligatæ censentur manus Judicis, quin pœnam ipsam minuere valeat, ita *Decian.tract. crim. lib.6. cap.21. Rubrica de concubina Cleric.n.12. Menoch.de arbitr. Judic. casu 289. n.2. & casu 418. num.3. & 5.*

Ex *Trident.* enim habemus *d.cap.14.* quamdam formam præscriptam circa
7 modum procedendi ad pœnas contra Clericos concubinarios, quæ forma servanda erit à Judice Ecclesiastico in puniendis Clericis, hoc malo laborantibus; undè Judex non valet excedere formam ipsam.

Et quod pro hoc crimine Clericus
8 etiam suspendi possit, facit *Text. in cap. fin. 33. dist. cap. Clericos de cohabit. Cleric. & mulierum*, ubi *Abbas*, *Barbosa*, *& alii*, *Decian. lib.6. cap.25. Menoch. de arbitr. Judic. casu 289. n.2. & casu 458. n.1. & seqq. Barbosa ad Trid. d. cap.14. n.16.* & ibi alii *Doctores*.

Imò quod sit ipso jure suspensus ab
9 officio, & beneficio, facit *Text. in cap. nullus, cap. præter 32. dist. Abbas in cap. at si Clerici de Judic. n.35. Clarus §. fornicatio num.6.*, *Garz. de Benefic. part.7. cap.14. num.11. & 15. Bellett. disquis. Cleric. part.2. tit. de pœnis Cleric. §.3. num.1.*

Pariter Clericus concubinarius est excommunicandus, si ter monitus inve-
10 niatur loqui, vel conversari cum fœmina suspecta de fornicatione cum eo, & fœmina canonicè punienda, ad *Text. in cap. si quisquam hoc titulo*, ubi *Abbas*, *Barbosa*, *& alii*.

Ad incurrendam verò excommunicationis pœnam in crimine concubina-
11 tus à Clerico commissi, requiritur trina monitio, de qua *Sayrus in Clavi Regia lib.8. cap.2. n.12. Barbosa suprà num.2.*

Licèt ex *Clementina 1. de Consanguinit. & affinit.* videatur esse ipso jure ex-
12 communicatus, cujus quidem excommunicationis absolutio Episcopo reservatur, ita *Bermond. de concubina in verbo*, *& alios n.3. Decian. tract. crimin. lib.7. cap.21. num. 8.*, *Farinacc. quæst.138. num.42. & 59.*

Sed in materia, de qua agimus, non est recedendum à *Tridentini* dispositione, ut in *d. cap.14.*, ubi dat formam procedendi contra Clericos concubinarios. Primò, quod si à Superioribus
13 moniti, ab ipsis concubinis non abstinerent, tertia parte fructuum quarumcunque pensionum, & Beneficiorum sint ipso facto privati. Secundò, si in eodem delicto cum eadem, vel cum alia fœmina perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantùm omnes fructus beneficiorum amittant, sed suspendantur ab administratione Beneficiorum arbitrio Ordinarii. Tertiò, si ita suspensi cum eisdem versentur, vel eas non expellant, privandi erunt perpetuò omnibus Beneficiis, & Ecclesiasticis pensionibus, atque inhabiles efficiuntur ad obtinenda alia, donec post manifestam vitæ emendationem cum iis visum fuerit dispensandum. Quartò, si postquam eas dimiserint, intermissum consortium audent repetere, erunt excommunicandi, latè *Menoch. de arbitr. casu 418. Zerola in praxi Episcoporum. V. Concubinarii, Riccius coll.857. Suarez de Censuris tom.5. disp. 31. sect. 4. num.10. Sayrus in simili tract. lib.4. cap.15. num.24. Venereo de examine Episcop. lib.4. cap.27. ex num.64.*

Fructuum perceptione ad hoc ut Clericus concubinarius privari possit at-
14 tenta *Tridentini* dispositione *d. cap.14.* opus est, ut præcedant monitiones ab eodem *Tridentino* commendatæ ibi = *Fore privandos tertia parte fructuum, si moniti non se abstinuerint, necnon tertia parte obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque, & pensionum*.

An sub hac lege comprehendantur quotidianæ distributiones, itaut tertia
15 parte illarum privandus sit Clericus concubinarius in casu de quo suprà: & affirmativam sententiam sequuti sunt *Sayrus in Floribus decis. sub titulo de verb. sign. decis.7. Riccius coll.821.*, & *res.307. n.5. Moneta de distribut. quotid. part.3. quæst.10. num.56.*

At si secundæ monitioni non paruerint

rint, sed in eodem delicto perseveraverint, cum eadem, vel alia fœmina, 16 tunc Tridentina Synodus mandat fore, & esse privandos omnibus fructibus Beneficiorum, ac pensionum eo ipso, qui applicandi erunt loco pio, vel fabricæ Ecclesiæ, *Antonell. de Regim. Eccl. lib. 6. cap. 29. n. 3. Thesaur. de pœnis Eccl. verb. concubinatus n. 4.* Si verò in profundum 17 malorum pelagum inciderint, ut non obstantibus his pœnis à fœdissimo concubinatu non arceantur, tunc Beneficiis, portionibus, ac officiis Ecclesiasticis, ac pensionibus quibuscumque perpetuò sunt privandi, ac inhabiles efficiuntur, ad hujusmodi, & similia officia, & Beneficia obtinenda imposterum, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum, ut ex *Trid. d. cap. 14. Lopez ad Diaz, ubi de Clericis concubinariis, Barbosa in cap. sicut hoc titulo num. 2.*

Sed si postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres si- 18 bi adjungere ausi fuerint, præter supradictas pęnas, excommunicationis gladio uti incorrigibiles plectendi erunt, ut habetur ex *Trident. d. cap. 14.*; facit *Text.* ad hoc *in cap. si quisquam de cohabit. Cleric. & mulierum*, necnon pariter *Clem. 1. de consan. & affinitate*.

Undè in pęnam tanti sceleris, executio pęnarum, de quibus suprà, non ve- 19 nit impedienda appellatione, aut exemptione, cum agatur de morum corre- 20 ctione, in qua locum non habet appellatio, ut alias diximus sub *titulo de appellat.*, & ita ex *Trid. d. cap. 14.*

Clericus verò Beneficia Ecclesiastica, aut pensiones ubi non habuerit, juxta delicti, & contumaciæ perseve- 21 rantiam, & qualitatem, ab ipso Episcopo loci Ordinario pęnâ carceris, suspensione, ac inhabilitate ad Beneficia obtinenda, aliisque modis juxtà sacros Canones puniendus erit, ut habetur ex *Trident. d. cap. 14.* ubi *Barbosa*, & *Doctores communiter*.

Ad incurrendas pęnas contra Clericos concubinarios, uti diximus, requi- 22 ritur specialis monitio in personam, cum illa requiratur pro forma, qua non servata actus ipse corruit: itaut monitio generalis facta in Synodo non suffragetur, etsi trinæ monitionis vim obtineat, ita *Genuensis in praxi cap. 30. Riccius in praxi dec. 359. in prima editione, & resol. 307. num. 3. in secunda editione.* Ubi etiam asserit, hujusmodi trinam monitionem requiri tàm attenta dispositione, *Text. in cap. sicut hoc titulo*, quàm *Trident. d. cap. 14. sess. 25.*

Et *n. 4.* refert procedere etiam in Clerico notoriè concubinario, qui pari- 23 ter Beneficiis non erit privandus, nisi trinâ præcedente monitione, undè *S. R. in una Tullen. Monasterii S. Mansueti 27. Januarii 1597. coram Penia* censuit, Clericum concubinarium etiam publicum non esse ipso jure Beneficiis privatum, nec venire privandum, nisi quando post legitimas monitiones indurato animo in concubinatu persistit. Et *n. 5.* 24 habetur monitiones prædictas fieri posse quocumque tempore. Et *n. 6.* docet esse in arbitrio Judicis quod tempus intermittendum sit inter has monitiones. Et *n. 7.* habetur, posse Episcopum con- 25 stituere in carceribus hujusmodi Clericum, quando timetur de fuga, *Garz. de Benefic. part. 11. cap. 10. n. 186. Barbosa in d. cap. sicut hoc titulo num. 6.*

Ad hujusmodi igitur Beneficiorum privationem deveniendum non erit, minusque ad depositionem, nisi præceden- 26 te trina monitione, & maxima contumacia, cum propter carnis fragilitatem de consuetudine mitigatæ sint pœnæ, quæ in primitiva Ecclesia inferebantur, uti advertit, *Decian. tract. crim. lib. 6. cap. 21. num. 30. Menoch. d. casu 418. n. 11. & 12. Vermigliol. cons. crim. 122. n. 4. Barbosa ad Trident. d. cap. 14. n. 7. & 18. Lotter. de Benefic. lib. 3. qu. 33. n. 253. Rota recent. part. 5. decis. 139.*

Tres autem monitiones, ut suprà, juxta disposita per *Trident.*, & *Sacros Canones*, debent esse speciales non au- 27 tem generales, per Edictum, ad effectum, ut Clericus possit dici contumax in paritione mandatorum, & sic Beneficiis privari, *Garz. de Benefic. part. 11. cap. 10. n. 186. Decianus d. cap. 21. n. 30.* facit *Text. in cap. ultimo de vita, & honest. Cleric. Clem. 1. eodem tit. cap. statutum de sent. excomm. in 6. Barbosa in*

*cap. sicut de cohabit. Cleric. & mulier. num.*4. & ad *Trid. d. cap.*14. *n.*7. *&* 9. *Genuensis in praxi cap.*30. *Riccius decis.*359.

Quale verò debeat esse tempus inter unam, & alteram monitionem, remit-
28 titur arbitrio Judicis, cujus arbitrium debet esse discretum, *Garz. d. num.*186. *Barbosa ad Trident. suprà n.*10.

Clericus, qui simul cohabitat cum muliere inhonesta, & sic concubinarius,
29 non solùm privandus erit Beneficiis, ubi pertinax fuerit, sed ubi per sententiam fuerit condemnatus, tamquam infamis incapax efficitur ad obtinenda alia Beneficia imposterum, ut patet ex *suprà citata Constitutione Leonis X.* §. *& nihilominus*, ubi habetur, Clericos concubinarios non posse obtinere Beneficia, Dignitates, & Officia, antequam cum eis fuerit dispensatum, facit *Trident. d. cap.*14. ibi: *Atque inhabiles, & indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, & officiis imposterum reddantur*, ubi *Barbosa num.*19. *Farinacc. quæst.*138. *n.*87. *Decian. d. cap.*21. *n.*14. *&* 22.

Posito quod Clericus suspensus fuerit ab officio causa, de qua suprà, pro obti-
30 nenda gratia absolutionis, debet recurrere ad Papam, ei narrando seriem facti; nam aliter gratia absolutionis erit nulla, ad *Text. in cap. super eo hoc titulo*, ibique *Abbas*, *Barbosa*, *& alii*, *Vivian. in rationabil. lib.*3. *Juris Pontificii*, *Alagona in Compendio Juris Canonici pag.*360. *Anton. August. coll.*1. *decret. lib.*3. *tit.*2. *cap.*8.

Etenim venia Principis impetrata,
31 non factâ mentione de crimine jam iterato, subreptitia dicitur, ideoque nulla, *Covar. var. resol. lib.*1. *cap.*20. *n.*8., *Gomez tom.*3. *var. cap.*13. *num.*38. *Menoch. de arbitr. casu* 203. *& num.* 32., *Max. de probat. conclus.*838. *n.*8. *Farinacc. part.*6. *num.*49. *Garz. de Benefic. part.*8. *cap.*3. *n.*28. *Cened. ad Decret. collect.*34. *num.*4.

ARGUMENTUM.

A Clerico cohabitante cum muliere inhonesta an licitè audiantur Divina, & percipi valeant Sacramenta: Ubi quid Juris, si crimen hoc fuerit notorium: quid, ubi secùs? Ubi an notorius concubinarius celebrando, vel ministrando in officio incurrat Irregularitatem?

SUMMARIUM.

1 *Missam à Sacerdote concubinario, an, & quatenus liceat audire, vel Sacramenta recipere*, & n.2. & n.4. & seq.

3 *Missam audire à publico concubinario prohibitum est ad eum finem, ut is ad pœnitentiam redigatur.*

5 *Missam validè celebrat, aliaque Sacramenta perficit etiam Sacerdos concubinarius, ac ratio redditur*, num.6. & seq.

8 *Clericus fornicator an suspensus sit, quoad se, ne valeat citra peccatum Sacramenta ministrare, an quoad alios* num.9. & seqq. & num. 21.

9 *Irregularitas non incurritur, nisi in casibus in jure expressis*, & n.25.

Et quando per modum sententiæ suspensio irrogatur in ipso Canone, num. 26.

17 *Crimen fornicationis quando publicum, quando è contra occultum dicatur, remissivè.*

18 *Clericus notorius concubinarius, an celebrando efficiatur irregularis*, & n.19. cum seqq. & n.24.

22 *Idem est aliquid directè fieri, sive æquipollentibus verbis.*

DISCEPTATIO XIII.

§. 2.

PRæclara est hujus materiæ Disceptatio, ad removenda dubia, quæ in dies oriri possunt, & ad sedendas conscientias scrupulosas circa dubium, an licitè quis audire possit Missam à Clerico fornicario, vel ab eo Sacramenta reci-

recipere. Et antequam deveniamus ad decisionem casus, notandum est, delictum aliquando dici Notorium, aliquando verò non notorium, sed occultum.

Et, attentâ dispositione sacrorum Canonum, nulli dubium est Missam non
1 esse audiendam à Sacerdote publicè concubinario, de cujus concubinatu per evidentiam constet, ad *Text. in cap. præter hoc 32. dist.* ibi = *Præcipiendo mandamus, ut nullus missam audiat Presbyteri, quem indubitanter scit concubinam habere*: concordat *Text. in cap. vestra de cohabitat. Cleric. & mulierum*, ibique Canonistæ communiter, ubi *Lucius III.* Papa mandat, ut nullus audiat Missam Sacerdotis, quem scit indubitanter concubinam habere.

Verba enim imperativi modi æquipollere videntur verbis præceptivis, ut
2 ad citatum *Textum Lucii* docet *Butr. num.3. Abbas num.2. not.2.* & *D. Joannes à Capistr. num.2.* & clarè ex *citato Text. in d. cap. præter hoc* ibi = *Præcipiendo mandamus*.

Ratio hujusmodi prohibitionis desumitur ex *eodem cap. vestra*, videlicet
3 ut ad fructum pœnitentiæ trahantur hujusmodi Clerici concubinarii, cum viderint fideles, ab ipsis nolle Missam audire, nec sacramenta suscipere.

In secundò tamen casu, videlicèt ubi crimen hoc non est notorium, & per
4 evidentiam facti non constet de ipso fornicario concubitu, vel toleratur, ab eo licitè divina mysteria audiri possunt, ac Sacramenta Ecclesiastica recipi, ad *Textum in d. cap. vestra* ibi = *Sine dubitatione itaque teneatis, quòd à Clericis, & Presbyteris quamquam fornicariis, quamdiù tolerantur, nec habent operis evidentiam, licitè divina mysteria audiantur, & alia recipiantur Sacramenta Ecclesiastica*.

Sed ne decipiaris amice lector, forsan dicendo: sacri Canones prohibent,
5 ne quis Missam audiat à Sacerdote notoriè fornicario, neque ab eo recipiat Sacramenta, ergo sacrificium non facit, ergo nulliter Sacramenta administrat; dico enim cum *eodem Lucio Papa suprà*, quòd licèt Sacerdos sit pollutus quoad se, nihilominus ex sua pollutione sancta coinquinari non possunt, ibi = *Non potest aliquis, quantumcunque pollutus fuerit, divina polluere Sacramenta, quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt; qualiscumque enim Sacerdos sit, quæ sancta sunt, coinquinari non possunt. Sumite ergo ab omni Sacerdote Christi mysteria; quia omnia in Christi fide purgantur*, ubi *Canonistæ communiter*. Concordat *Tridentin. sess.22. cap.2. de Sacrificio Missæ* ibi = *Et hæc quidem munda illa oblatio est, quæ nulla indignitate, vel malitiâ offerentium inquinari potest*.

Hoc idem tenent omnes Theologi post *Angelicum Doctorem in 3. part-*
6 *quæst.82. art.6.* Transeunt enim Sacramenta per Sacerdotes, sicuti transit aqua per lapideos canales, quæ nihil germinat super lapide, nec contaminatur, ut in *cap. si justus fuerit 1. qu.1. Abbas in d. cap. vestra num.4.*

Undè *D. Augustinus* relatus in *cap. intra catholicam, eadem causa, & quæst.* ita inquit: *Intra catholicam Ecclesiam in Mysterio Corporis, & Sanguinis Domini, nihil à bono majus, nihil à malo minus perficitur Sacerdote; quia non in meritò consecrationis, sed in verbo perficitur Creatoris, & virtute Spiritus Sancti*.

Quod egregiè explicat *Scot. in Quodlibeto 20. §. de secundò* in hæc verba: *Sacerdos quantum ad virtutem Sacrificii, est merè instrumentum, quia organum inanimatum; licèt enim sic organum vivum, quantum ad meritum personale in celebrando, quia sic mereri est ejus, in quantum in se vivit vita gratiæ: tamen quantum ad illud bonum, quod debetur virtute Sacrificii, est organum præcisè ratione Ordinis, & æque provenit effectus iste virtute sacrificii, etiamsi minister in se non vivat vitâ gratiæ*.

Concordat *Textus in cap. fin. 15. qu. ultima* ibi = *Non potest aliquis, quantumcunque pollutus, Sacramenta divina polluere, quæ purgatoria quarumcunque contagionum existunt, nec potest solis radius per cloacas, & latrinas transiens, aliquid exindè contaminationis atrahere. Proindè, qualiscumque Sacerdos sit, quæ sancta sunt, coinquinare*

nare non potest, idcircò ab eo usquequo judicio Episcoporum reprobetur communio percipienda est; quoniam mali, bona administrando, se tantummodo lædunt & cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis verò lumen in tenebris administrat; & unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Sumite ergo intrepidi ab omni Sacerdote.

Neque obstare videtur *Textus in cap. sic populus* 1. *quæst.*1. ibi: *Quam-*
7 *vis enim sancta videantur specie sui, quæ offeruntur à talibus; tamen quia facta sunt ab eo, qui pollutus in anima est, omnia polluentur*, & *Text. in cap. multi eadem causa, & quæst.* ibi: *Polluimus itaque panem, idest Corpus Christi, quando indigni accedimus ad Altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus.*

Nam responderi potest, Sacramenta non ex hoc pollui, sed qui indignè ministrat, vel indignè Sacramenta suscipit, videtur polluere se ipsum: etenim Sacramenta recipiunt vim, & virtutem immediatè à Deo, ita *Abbas in citato Textu in cap. vestra num.*2. Minister ergo, sive bonus, sive malus fuerit, quia ipse Christi personam repræsentat, validè conficit Sacramenta, quamvis illicitè hoc fiat. Nota aurea verba *D. Joannis Chrisostomi homilia* 60. *ad populum Antiochenum* ibi: *Verum, & tu laice, cum Sacerdotem videris offerentem, ne ut Sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manum invisibiliter extensam.*

Ex supradictis quæstio oritur primò, an Clericus fornicarius sit suspensus
8 quoad se? Et dicimus esse suspensum; undè gravissimè peccat celebrando, ad *Text. in cap. quotidie de consec. dist.*2. *cap. de homine de celebrat. missarum*, *Abbas in cap. vestra num.*4. *hoc titulo*, ubi reddit rationem, videlicèt ob separationem à Deo per peccatum. Hæc autem suspensio, quoad se non est censura Ecclesiastica, de qua loquitur *Text. in cap. quærenti de verb. signific.* ac toto *titulo de Clerico excomm. ministrante*, ut *Nos* infra.

Ideò celebrando irregularitatem
9 non incurrit, cum hoc non sit in jure expressum *cap. is, qui de sentent. excommunic. in* 6.

Secundò, an Clericus fornicarius sit suspensus quoad alios, itaut audientes
10 Missam ab illo, vel ab eo percipientes Sacramenta peccent. Et pro solutione hujus dubii, distinguendum est: aut iste talis est notorius fornicator notorietate Juris, videlicèt per spontaneam confessionem factam in judicio, vel per Judicis sententiam; & tunc est suspensus etiam quoad alios; undè audientes Sacrum ab illo, vel ab eodem recipientes Sacramenta, peccant mortaliter, uti facientes contra Ecclesiæ præceptum, ut ex præcitato *Textu*, juncto *cap. quæsitum hoc eodem titulo*, ubi *Abbas*, *Fagnan. & alii utrobique.*

Aut est occultus, & toleratus: & hoc casu non est suspensus quoad alios,
11 licèt sit suspensus quoad se: & audientes Missam ab illo, aut ab eodem recipientes Sacramenta, non peccant, ad literam *Text. in dicto cap. vestra*, juncto *cap. quæsitum hoc titulo*, ubi *Abbas, Fagnan. & alii Canonistæ.*

Sed quid juris, ubi agitur de notoria fornicatione, notorietate facti, ut quia Clericus habet publicè, & palam concu-
12 binam in domo, nec fuit in judicio confessus, nec per sententiam Judicis condemnatus: & in hoc sunt principaliter duæ opiniones; quidam enim, quos tacito nomine refert *Abbas in d. cap. nostra num.*6. tenent, sine aliqua monitione esse à talibus abstinendum, ut multi videntur sentire, *in cap. si qui* 81. *dist.*, *& in cap. si celebrat de Clerico excomm. minist.* vide *Hostiensem*, *Joan. Andr. & alios relatos à Fagnan. in d. cap. vestra num.*16.

Alii verò putant, præcedere debere monitionem; nam aliter populus non
13 videtur habere indubitatam scientiam de concubinatu, ut sacri Canones requirunt; dum poterit Clericus aliquam excusationem adducere, cum monitus fuerit, quæ forsan dilueret omnem suspicionem, ut de omnibus *Abbas in d. cap. vestra num.*6.

Sed tu concilia cum dicto *Abbate suprà d. n.*6. *vers. sed cogitavi*, videlicet: aut fornicatio est adeò notoria, ut nullam habeat dubitationem, sicuti videmus

14 mus in pluribus Clericis, qui tenent ita publicè concubinas, ſicuti uxores, & publicè nutriunt filios, ita quod neque ipſi hoc audeant diffiteri: & tunc eſt omninò à talibus abſtinendum, ſine alia monitione, & pro hac facit *Textus in d. cap. veſtra*, ibi = *Nec habeat operis evidentiam*, & meliùs *in cap. tua*, juncto *cap. quæſitum hoc eodem titulo de cohabit. Cleric. & mulierum*, ubi *Abbas*, *Fagnan. in d. cap. veſtra n.16.* ubi non tantùm requiritur, quòd factum ſit notorium, ſed etiam additur, ut nulla poſſit tergiverſatione celari.

Si verò fornicatio non habeat illam operis evidentiam, ſed poteſt probabiliter tergiverſari, puta quia concubina
15 habitet cum matre Clerici, vel habeatur uti matris pediſſequa, aut ſimili cauſa, tunc procedit contraria opinio, ut expectetur monitio, & ejuſdem monitionis contemptus, & hanc eſſe mentem juris docet *Abbas ſup. n.6. Fagn. d. n.16.*

Controverſia præcedens hodie videtur ſublata per Conſtitutionem *Martini V. Ad evitanda*, in Concilio Conſtantienſi emanata, de qua *D. Antoninus*, *& alii Doctores, de qua nos ſub titulo de Cenſuris Eccleſ.*, quæ ad evitanda ſcandala, & multa pericula, quæ conſcientiis timoratis contingere poſſent, indulſit, ut nemo deinceps à com-
16 munione alicujus in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuſcumque Divinis, vel extra teneatur abſtinere, vel aliquem vitare prætextu excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, niſi à Judice ſpecialiter, & nominatim fuerint denunciati, vel in ſententiam *Canonis, ſi quis ſuadente diabolo*, adeò conſtiterit incidiſſe, ut nulla poſſit tergiverſatione celari. Vide quæ *Nos* latè *ſub d. titulo de Cenſuris*.

Diximus ſuprà, non eſſe audiendam Miſſam, vel non eſſe recipienda Sacramenta à Clerico concubinario notorio, & ſecus ſit ab occulto, vel tolerato: hinc
17 videre eſt, quando crimen fornicationis dicatur notorium, vel occultum juxta diſpoſita per *Textum in d. cap. veſtra*: at quia de materia hac latè diximus ſub *titulo de probationibus num. 9.* ideo ad illam me remitto.

Demum eſt videndum, an Clericus concubinarius notorius, qui per ſententiam ita declaratus fuit, celebrando, efficiatur irregularis: & circa præſens dubium quamplures opinati fuere, quod ubi per Judicis ſententiam fuerit declaratus talis, tunc celebrando irre-
18 gularitatem incurrat, ea ratione quia ſuſpenſi ab homine celebrando irregulares fiunt, *ad text. in cap. 2. cap. latrones, cap. poſtulaſti cap. ſi celebrat. de Clerico excomm. miniſtr.*, & *Nos* ſuis locis ſub propria ſede infra.

Hujuſmodi enim Clerici nunquam debent celebrare, niſi priùs obtenta
19 abſolutione a Judice competente, argumento *cap. præsbyter. 3. q. 4.*

Quoties verò fuerit notorius concubinarius per operis evidentiam, tunc duæ ſunt Doctorum principales ſententiæ: prima eſt illorum, qui affirmant, notorium concubinarium, vel fornicatorem publicum, eſſe ſuſpenſum ipſo jure ſuſpenſione directa; & ideò, cele-
20 brando, irregularitatem contrahere, cujus auctores ſunt *Hoſtienſis in cap. ſi celebrat. 32. diſt. n.4.* ubi inquit, ſimoniacos, & notorios fornicatores eſſe ab officio ſuſpenſo propter crimen; ideoque ſi celebrant irregularitatem incurrere, quia quantumcunque pœnitentiam agant, nunquam celebrare debent, quouſque cum eis per S. Sedem Apoſtolicam fuerit diſpenſatum, *cap. tanta de Simonia*, *& cum Hoſtienſi* concordant ibi *Calderin. Henric.*, *Borchus nu. 14.*, *Joannes Andreas in cap. cum æterni de re judic. in 6. Felin. in cap. dilectus de accuſ. Diaz in praxi crim. can. cap. 73. Theſaurus de pœnis Eccleſ. V. Concubinatus n.3. Farinac. quæſt. 138. nu. 55. & ſequentibus.*

Et pro hac ſententia adducitur primò *textus in cap. quæſitum de cohabitatione Cleric. & mulierum*, ex quo habetur, notorium fornicatorem eſſe ſuſpenſum quo ad ſe, & quo ad alios, & ſic ſuſpenſione directa, quæ dirigitur in ipſum Clericum concubinarium, non
21 tantùm in alios, qui prohibentur ab eo audire ſacrum, ac ſacramenta recipere. ſecundum *Antonium de Butrio in d. cap. quæſitum n.9.* Et conſequenter ſi celebrat, efficitur irregularis, juxta diſpo-
ſita

ſita per *textum in cap.* 1. *de re judicata*
in 6.

Secundò, adducitur *Textus in cap.*
præter hoc 32.diſt. ubi dicitur: *Ex par-*
te Dei Omnipotentis, & auctoritate
Beatorum Apoſtolum Petri, & Pauli,
præcipimus, & omninò interdicimus,
ut Miſſas non cantet, nec Evangelium,
aut Epiſtolam ad Miſſam legat &c. ibi-
que *Doctores.*

Nam ut inquit *Abbas in d. cap.veſtra*
n. 7. nulla apparet differentia inter hæc
verba *ſuſpendo ab officio*, & *interdico ti-*
bi officium, ſed per prima verba infligi-
tur ſuſpenſio directa ipſo jure quoad ip-
ſum Clericum; adeòut ſic celebrans effi-
citur irregularis, juxta *textum in dict.*
*cap.*1. *de re judicata in 6.*, juncto *cap.* 1.
de ſent. excom. in 6.

Ergo, & per ſecunda verba, quia non
refert, quid ex æquipollentibus fiat,
22 *cap. licet ex quadam de teſtibus.* Ad
idem facit *textus in cap. ſi qui ſunt* 81.
diſt. ubi ita legitur: *Si qui ſunt presby-*
teri, Diaconi, vel Subdiaconi, qui in cri-
mine fornicationis jaceant, interdicimus
eis ex parte Dei Omnipotentis, & S.Pe-
tri auctoritate Eccleſiæ introitum &c.

Tertiò adducitur §. *Verum, in fine*
verſ.prohibentur,poſt dictum capitulum
præter hoc 32. *diſt.*, ubi ſimiliter pro-
batur, notorium concubinarium eſſe
ſuſpenſum ipſo jure quoad ſe, & quo-
ad alios, nec ibi adjiciuntur illa verba:
ſicuti quilibet exiſtens in peccato morta-
li; ergo celebrando efficitur irregula-
ris; nam, ut notat *Hoſtienſis in cap.tan-*
ta num.2. de Simonia, Clericus propter
aliquod crimen ſuſpenſus, quoad ſe, &
quoad alios, etiam poſt peractam pœni-
23 tentiam celebrare non poteſt, *Doctores*
relati a Covarr. in Clem. ſi furioſus §.1.
n. 5. *de homicidio.*

Attamen verior, & probabilior ſen-
tentia eſt, Clericum concubinarium no-
torium notorietate facti, non eſſe ipſo
jure ſuſpenſum, ſuſpenſione directa, nec
ideò, ſi celebret, irregularitatem in-
24 currere, & uti veriorem hanc noviſ-
ſimam opinionem amplectitur *Innoc. in*
cap. ſi celebret de Clerico excommunica-
to miniſtrante, ubi ait, notorium forni-
catorem, & concubinarium, non eſſe
ſuſpenſum principaliter a Canone, ſed
a Deo, quod ex eo apparet, quia quam
citò pœnitet, licitè celebrat, ad *Text.in*
cap. quæſitum hoc titulo ibi: *priuſquam*
pœnituerint. Quod ideo ſi ab homine,
ſcilicet a ſuo Ordinario non fuerit ſuſ-
penſus, legitimis præcedentibus moni-
tionibus, nullam incurrit irregularita-
tem celebrando, vel Eccleſiaſticum offi-
cium exercendo, *Covar. in d. Clem. ſi*
furioſus ubi dicit, primam opinionem,
licet communem, tamen ſibi nimis du-
ram videri, & ſe non auſurum ſecundùm
eam judicare quemquam irregularem
eſſe.

Hujus ſecundæ opinionis præcipuum
fundamentum eſt, quia irregularitas
non contrahitur, niſi in caſibus expreſ-
25 ſis in jure; undè qui dicit aliquem irre-
gularem, dare debet caſum juris, ad *text.*
in cap. is, qui de ſent. excomm. in 6. Ho-
*ſtienſis in cap. ſi quis præsbyter nu.*4. *de*
Clerico excom.miniſtr. Idem in cap.quod
*translationem nu.*3. *de tempor. ordinat.*
ubi ita inquit: *Ego de facili neminem ir-*
regularem judicarem, niſi jus expreſſum,
ad tale judicium me compellat, Ancha-
*ran. in d. cap.veſtra n.*12. ubi poſt *Vin-*
centium ait, ſuſpenſum propter crimen,
tunc demum irregularitatem incurrere,
cum Canon hoc exprimit: At nullibi
reperitur expreſſum in jure, ut notorius
fornicator, ut miniſtrans in ordine irre-
gularitatem incurrat ergo, &c.

Nec relevat, ſi dicas, id cautum eſſe
ſatis, cùm notorius fornicator per evi-
dentiam facti ſit ſuſpenſus quoad ſe, &
quoad alios, ut habetur ex *Textu in*
cap. quæſitum hoc titulo, & in *d.* §. *ve-*
26 *rum* 32.*diſt.* Quoniam, ut reſpondent
Doctores, & in ſpecie *Cardin. in d.cap.*
*veſtra, hoc titulo num.*1., ſuſpenſus à Ca-
none tunc dicitur incurrere irregulari-
tatem, quando per modum ſententiæ
ſuſpenſio irrogatur in ipſo Canone, ſi-
cuti in *cap.*1. *de re judic. in 6.* & in *cap.*
is, cui de ſentent. excommunic. eodem
lib.6. utrobique *Doctores.* At non ſic
eſt in Clerico fornicario, qui non per
modum ſententiæ, ſed enunciativè vi-
detur ſuſpenſus in Canone, ad *Textum*
in d. cap. veſtra, juncto *cap. quæſitum*
hoc titulo, ergo non ſit irregularis cele-
brando, argumento *d. cap.is, qui de ſen-*
tent. excomm. in 6.

Præ-

Præterea, ut ponderat *Imola in d. cap.* 1. *de Judiciis n.*27., notorius for-
27 nicator non est suspensus simpliciter, & absolutè, sed quamdiù non pœnituerit, ad *Text. in d. cap. quæsitum*, ubi *Barbosa*, *& alii Doctores* ibi = *Priusquam pœnituerit*, concordat *Text. in cap. si qui sunt* 81.*dist.* ibi = *Interdicimus eis Ecclesiæ introitum, usque dum pœniteant, & emendent*: undè iste talis Clericus, sicuti ipso facto suspenditur, ita ipso facto restituitur ejus officium: & ita *Doctores* communiter, ac pro acriori sententia, apud *Fagnanum in d. cap. quæsitum*, ubi lato calamo, à quo hæc desumpsi, quæ nos latè *de Irregularitate*.

ARGUMENTUM.

De Clericis, quoad privilegium Canonis. Ubi quinam veniant sub hoc nomine Clericorum? Quando quis dicatur manus violentas injicere in Clericum? In quibus casibus veniat percussor excusandus à pœnis? demum à quo erit absolvendus?

SUMMARIUM.

1 *Percussor Clerici incurrit censuras Canonis*: Si quis suadente Diabolo.

Clericorum autem appellatione veniunt hìc tum Clerici seculares, tum Regulares, n.2. & n.8.

Atque etiam Novitii, Conversi, & Oblati, n.9. cum seq.

3 *Dispositio Canonis*: Si quis suadente *procedit etiam respectu Clerici solà primâ tonsurâ initiati, & quamvis careat requisitis* Concilii Tridentini sess.23. cap.6. de Reformat. n.4.

Amplia insuper, etiamsi Clericus irregularis existat, vel censuris innodatus, n.5.

Item procedit etiam in degradato verbaliter tantùm, n.6.

7 *Percutiens Clericum conjugatum an, & quatenus incurrat excommunicationem Canonis*: Si quis suadente.

Num eamdem pœnam incurrat percutiens Equitem Hierosolymitanum, Calatravæ, & similes, n.11.

Quid autem de percutiente Eremitam, seu Clericum silvaticum nuncupat. n.12. & seq.

14 *Clerici, quos silvaticos vocant, gaudent privilegio fori, non verò Canonis.*

15 *Manus violentas quinam dicantur injicere in Clericos ad effectum incurrendi pœnam Canonis*: Si quis suadente, & n.16. cum pluribus seqq.

19 *Laicus, qui Clericum detinet sub custodia, incurrit censuras Canonis*: Si quis suadente, *à quibus absolvendus non est, nisi Clerico pristinæ libertati restituto, eidemque refectis omnibus expensis.*

25 *Monialis, quæ sibi abortum procuravit, non incurrit censuras Canonis*: Si quis suadente.

33 *Ratihabitio æquiparatur mandato.*

37 *Percussor Clerici quibus casibus excusetur à censuris Canonis*: Si quis suadente, & n.38. cum seqq.

57 *Clericum percutiens à quonam debeat absolutionem impetrare*, & num.58. cum seqq.

69 *Inops dicitur etiam qui juxta suum statum indigere videtur.*

78 *Percussio levis effici potest gravis ratione loci, seu personæ.*

81 *Percussio quatenus atrox dijudicari debeat*, n.82. & seq.

86 *Absolutio percutienti Clericum conceditur cum conditione satisfaciendi Partem.*

Quod si injuria irrogata fuerit Religioso, satisfaciendus est Superior localis, ibid.

DISCEPTATIO XIV.

Positis his, quæ diximus suprà ad materiam de vita, & honestate Clericorum, sequitur, ut aliquid dicamus de privilegiis, quibus Clerici fruuntur, & in hoc de privilegio Canonis, quod in alio non consistit, quàm quod percutiens Clericum ipsum incidat in censuras latas ab *Innocent.II. in cap. si quis suadente Diabolo* 17. *quæst.*4., à quibus
1 censuris percussores ipsi, ubi percussio erit gravis, ab alio non possunt absolvi, quàm à Romano Pontifice, vel ab Episcopo, ubi fuerit levis, vel alia concur-

rat legitima causa, ut latiùs *Nos* in hac
eadem Disceptatione, & alibi passim.
His positis,

Quinam veniant sub hoc nomine *Clericorum*, primo loco videre est: sub hoc
2 nomine comprehenduntur non solùm
Clerici Seculares, quocumque ordine
illi fuerint insigniti, sed etiam Regulares cujuscumque ordinis, & instituti
illi fuerint, *Doctores* communiter, *Carolus de Grassis de effect. Cleric. effect. 6. n. 68. Squillante de Privileg. Cleric. c. 6. n. 5. Pax Jordan. lib. 11. tit. 6. n. 1. & seqq. Antonell. de Juribus Cleric. lib. 1. part. 1. cap. 3. n. 3.*

Supradicta conclusio locum habet
etiam in Clerico primâ tantùm tonsurâ
3 initiato, vel in minoribus ordinibus
constituto, *Fagnan. in cap. cum contingat num. 82., & 112. de foro competenti.*

Et licet Clericus in minoribus non
servando ea, quæ disposita sunt per *Tridentin. sess. 23. cap. 6. de Reform.* censeatur privatus fori privilegio; quia
4 cum per dictum Tridentinum nihil fuerit innovatum circa Canonis privilegium; meritò licèt Clericus non servaverit ea, adhuc debet gaudere privilegio prædicto Canonis, retenta dispositione juris communis, *Squillante sup. n. 11. Barbosa de Episc. alleg. 12. n. 32. Clarus quæst. 36. n. 19.*

Sed quid, ubi Clericus fuerit Irregularis, excommunicatus, suspensus, vel
interdictus, an si fuerit percussor incidat in censuras, de quibus suprà, & *affirmativè* respondendum videtur; ete-
5 nim per irregularitatem, excommunicationem &c. non definit esse Clericus,
sed tantùm remanet impeditus ab exercitio ordinum, retinet verò ordinem,
ratione cujus inducta est immunitas, ad *Textum in cap. dictum 81. dist. Clarus quæst. 77. Squillante suprà nu. 13. Pax Jordan. lib. 11. tit. 3. n. 27., de Grassis effectu 9. num. 120.* Degradatus pariter
6 verbaliter tantùm gaudet privilegio
prædicto, ad *Textum in cap. degradatio de pœnis in 6. Clarus suprà num. 10. Squillante suprà n. 14. Sayrus de Censuris lib. 3. cap. 26. n. 8. & 9. Barbosa alleg. 110. n. 3.*

Non solum Clerici cęlibes gaudent
privilegio, de quo suprà, ne possint ci-
7 tra pęnam censurarum dolo percuti, sed
etiam ubi quis percutit Clericum conjugatum, dummodo servaverit ea, quæ præscripta videntur à *Bonifacio VIII. in cap. unico de Clericis conjugatis in 6. Clarus sup. n. 7. Sayrus sup. n. 4. Pax Jordan. sup. n. 25.*

Regulares quoque veniunt sub hoc
nomine Clericorum, cujuscumque ordinis, aut instituti illi fuerint, ac proin-
8 dè, ubi quis percutit aliquem Regularem, incidit in censuras, *Doctores* communiter apud *Squill. super d. cap. 6. n. 4. Sperellus decis. 45. à num. 59.* Nomine Regularium veniunt etiam Novitii; etenim licèt hi non dicantur veri Religiosi, nihilominus, cum sint in via ad professionem, censentur comprehensi sub dispositione Canonis prædicti, ad *Text. in cap. Religioso de sent. excom. in 6. Sperell. decis. 16. n. 16., & decis. 21. num. 19.*

Conversi Religiosorum, quia veri
9 Religiosi sunt, gaudent privilegio prædicto, ut docet *Navarr. in manuali cap. 27. num. 79.*

Oblati pariter regularium gaudent
10 privilegio de quo supra: *Sperellus decis. 2. num. 98., & decis. 31. nu. 17., & decis. 45. n. 61., Suarez de censuris tom. 5. disput. 28. sect. 1. a num. 19. Barbosa alleg. 12. n. 38. Pax Jord. sup. lib. 11. tit. 3. n. 13.* Undè percutiens Oblatum incidit in censuras: *Sacra Congr. Immunitatis in una Anglonen. 8. Julii 1690.*

Equites Hierosolymitani cum isti dicantur veri Regulares, gaudent privilegio de quo supra, *de Grassis eff. 9. Squillante d. cap. 6. num. 37. Pax sup. num. 21.*

Imò & alios equites S. Jacobi, Al-
11 cantaræ, & Calatravæ, privilegio prædicto gaudere voluerunt *Sperellus dec. 2. n. 103. Squillante d. cap. 6. num. 48. Riccius part. 4. resol. 176.*

Eremitæ pariter, qui in Communitate, seu congregatione sub aliquo Prælato, edito voto paupertatis, vel alia suscepta obligatione, sub expressa, vel tacita Summi Pontificis voluntate, vivunt
12 gaudent hujusmodi privilegio: secus verò de Eremitis vagis, qui nec definitum, aut firmum locum habent, aut firmum

nium vitæ modum exercent, aut aliquam specialem obligationem retinent, *Silvester in Summa. V. Eremita*, *Navarr. d. cap.27. num.70. Suarez de censuris tom.5. disp.22. sect.1. num.22. Coninch. disp.14. dub.15. num.164. Pax Jordan. lib.11. tit.3. num.17.*

An verò Clerici silvatici veniant sub hoc nomine Clericorum, itaut gaudere
13 valeant privilegio prædicto, & percutientes Clericum silvaticum videantur incidisse in censuras, de quibus suprà: & negativè respondendum videtur; e-
14 tenim licet Clerici ipsi silvatici, ex quo sunt adscripti servitio Ecclesiæ gaudent privilegio fori, non ex hoc gaudent privilegio Canonis, ita *Pignatell. consult. Canon. tom.1. consult.98. num.30. Antonell. de Juribus Cleric. lib.1. part.1. cap.3. in fine.*

Sequitur, ut videamus quando quis dicatur manus violentas injicere in Clericum: & generaliter loquendo, dicimus, quod injiciantur manus violentæ
15 in Clericum, ubicumque aliqua injuriosa seu contumeliosa actio immediatè fit contra illum, tàm facto, quàm opere, sive actio fiat manibus, sive pedibus, *Sayrus de censuris lib.3. cap.26. n.11. Sperell. decis.20. n.25.* & *Doctores* communiter.

Dixi *facto*, *sive opere*; etenim qui habet animum offendendi Clericum, sed
16 actu non offendit, non videtur incidere in censuras prædictas, *Suarez de censuris disput.22. sect.1. n.23. 30. & 31. Coninch. disput.15. num.165. Sperellus decis.45. num.11. Sacra Congreg. Conc. ad dubia proposita 29. Augusti 1682. ad dub.1. lib. decret.32. fol.432.*

Undè qui tantùm elevat manum, vel vibrat ensem contra Clericum, si per-
17 cussio illum non contingat, non incidit in censuras, ita *Sperellus decis.20. n.17. & decis.45. n.1. & decis.63.* Ex his

Infertur primò, manus violentas injicere in Clericum, Detinentem illum in
18 custodia publica, vel privata, ex qua non possit exire, quo casu detinens ipse incidit in censuras, de quibus suprà, ad *Text. in cap. nuper de sent. excommun.* ubi *Fagnan. n.4. & quamplures seqq. Sayrus de censuris lib.3. cap.26. nu.13. Bellett. disquisit. Cleric. tit. de favore Cleric. Canonis §.1. num.4. Antonell. de Juribus Cleric. lib.1. cap.3. num.29.* A qua quidem censura non venit absol-
19 vendus, nisi postquam Clericus ipse positus fuerit in sua pristina libertate, ac refectis omnibus damnis, & expensis factis, *Sacra Congreg. Concil. in una Cotronen. 3. Augusti 1618.*

Infertur 2. manus violentas injicere in Clericum, qui dolosè, & animo in-
20 juriandi, sputis, saliva, aquâ, aut alia re simili, Clericum afficit, *Glossa in d. cap. si quis suadente Diabolo*, concordat *Text. in d. cap. si quis pulsatus de pœnitent. dist.1. Bajard. ad Clarum quæst.77. n.9. Sperellus decis.20. n.27. & decis.45. n.53. Bellett. sup. n.4. Decian. tract. crim. lib.6. cap.19. n.3. & 4. Fagnan. in d. cap. nuper nu.31.* Quod quidem procedit, etiamsi in vestibus of-
21 fendit illum, quamvis illius corpus non tangatur, *Sperellus d. decis.45. num.33. Conciol. resol. crim. verb. offensio, Fagn. sup. n.9. & 31.*

Infertur 3. manus violentas injicere in Clericum, Capientem aliquid per vim,
22 & injuriam de manibus illius, puta librum, pileum, vestem, vel quid simile, necnon, ubi eum, qui illum detinet per vestem, nec permittit abire, seu capit frœnum equi, animo tamen inferendi injuriam, Clerico qui residet super ipsum equum, *Bellett. sup. n.5. Carolus de Graffis effectu 9. n.88. & 95. Squillante d. cap.6. n.42. cum pluribus seqq. Fagnan. in d. cap. nuper de sent. excomm. n.8. & 9.* ubi alii *Canonistæ* communiter. Eumdem *Fagnan.* consulas.

Infertur 4. manus violentas injicere in Clericum, eumdem occidendo, cibo,
23 vel potu veneno infecto; nam hujusmodi actio ita est violenta, ut dissolvat compositum, & est magis violenta, & injuriosa, quam sit injectio alapæ, aquæ, & similium, quod locum habet, statim
24 ac data fuerit res veneno infecta, licèt mors non fuerit statim sequuta, *Sperellus decis.20. num.8. & 21. cum sequentibus, Suarez de censuris disp.5. sect.1. n.13. & disp.22. sect.1. n.23. Filiucc. tract.11. cap.5. par.3. n.126. & tract.15. cap.1. quæst.3. num.20.* Licet contrarium dicat *del Bene de Immunit. Eccles. part.1. cap.2. decis.4. sect.2. n.1.* Ratio

ab eo adducta est, quia licèt actio sit violenta naturæ; attamen non est violenta personæ, nec injuriosa statui Clericali, nisi per vim cogat sumere cibum veneno infectum. Pariter est videre,
25 an Monialis prægnans, quæ sibi ipsi propinat potionem mortiferam fœtui, dicatur incidisse in Canonem: *Si quis suadente Diabolo*; & nagativè respondendum videtur; ratio est quia ista actio videtur injuriosa fœtui, non ipsi Moniali, *Sayrus de censuris lib.3. cap.26. n.17. Bonacina de censuris disput.2. quæst.4. punct.1. num.13. Sperellus d. decis.20. n.6. 33. & 34.*

Infertur 5. manus violentas injicere in Clericum, illum Verberantem, etiam
26 ipso volente, & consentiente; ratio est quia illius consensus in hoc nihil prodest percutienti, ratione injuriæ factæ non tantum Clerico percusso, sed toto cœtui Clericorum, ita *Doctores* communiter *in cap. contingit il 1. de sent. excom. Sayrus d. lib.3. cap.26. n.18. Bonacina de censuris extra Bullam disput.2. quæst.3. punct.6. sect.2. num.5. Sperell. d. decis.45. n.67. Fax Jordan. lucubrat. Canonic. lib.11. tit.3. n.40. Fagnan. in cap. contingit il 2. num.5. de sentent. excommunic.*

Infertur 6. manus violentas injici in Clericum, etiam ubicumque Clericus
27 ipse injuriosè se percutit, animo irato, vel vitæ tedio, aut alia irrationabili causa, *Clarus quæst.77. n.3. Sayrus d. cap.26. n.20. Sperell. d. decis. 45. n.71.* Quidquid contrarium dicat *Barbosa in d. cap. si quis suadente, num.28. & 39. Diana resol. moral. part.3. tract.5. resol.81. Molina de Justitia tract.3. disp. 51. num.4.* Quæ tamen secunda opinio mihi videtur probabilior; etenim in percutiente se ipso, licèt lato modo videatur is injuriam inferre toti cœtui
28 Clericorum; attamen quia non consideratur dolus, nulli proinde videtur injuria, & sic meritò venit ipse percussor sui ipsius excusandus à pœna.

Infertur 7. manus violentas injicere in Clericum, eum, qui mandavit, vel
29 consuluit, ut Clericus percutiatur, sequuta tamen percussione, ad *Text. in cap. mulieres §. ult. de sentent. excomm. Sayrus de censuris lib. 3. cap.15. n.10. Coninch. tom.2. disp.15. n.27. cum seqq. Bonacina de censuris extra Bullam Cœnæ Domini disput.2. quæst.3. punct.6. sect.1. §.2. n.1. Carolus de Grassis eff.9. à n.16. Squillante sup. d. cap.6. n.57.*

Locum habet supradicta conclusio, quamvis mandans pœnitentiâ ductus,
30 mandatum revocaverit, quoties revocatio non fuit nota ipsi mandatario: *Sayrus dicto cap.26. num.23. Sperellus dicta decis.20. num.11. Squillante dicto cap.6. num.59.*

Infertur 8. manus violentas injicere in Clericum, illum, qui auxilium, aut
31 favorem præstitit, ut Clericus ipse percutiatur, *Glossa in citato cap. mulieres de sent. excomm. Sayrus d. cap.26. num.24. Squillante d. cap.6. num.58.* nisi auxilium præstitum fuerit post se-
32 quutam percussionem, quia Talis auxilium præstans non dicitur auxilium præstitisse delicto, ex quo jam illud erat consummatum, *Menocb. de arbitr. Judic. casu 349. num.24.* ubi *Doctores*.

Infertur 9. manus violentas injicere in Clericum, eum, qui ratam habet
33 Clerici percussionem, etiam sine suo mandato factam, sed ad sui complacentiam, ad *Textum in cap. cum quis*, & ibi *Glossa de sent. excomm. in 6. Decianus lib.6. cap.18. num.5. Sayrus de censuris d. cap.26. num.25. Bonacina eodem tract. disp.2. quæst.3. punct.6. sect.1. §.2. num.10. Squillante d. cap.6. num.68. Sperell. d. decis.45. num.54.*

Infertur 10. manus violentas jniicere in Clericum, illum, qui de justitia
34 tenebatur prohibere Clerici percussionem, & non prohibuit, ut sunt Officiales, eorumque ministri, & similes: *Coninch. suprà disp.14. dub.15. n.174. Bonacina de censuris extra Bullam suprà disp.2. quæst.3. punct.6. sect.1. §.2. num.7. Squillante d. cap.6. num.66. Filiuc. tract.15. cap.1. quæst.7. n.31. Layman. lib.1. tract.5. part.2. cap.5. num.6.*

Infertur 11. manus violentas injicere in Clericum, quoties quis eum inse-
35 quendo impellit, ut cadat, & cœdatur: *Glossa in cap. felicis de pœnis in 6. Squillante d. cap.6. num.42. de Grassis effectu 9. num.86.* Licèt contrarium dicat *Sperellus decis.20. num.19.* ubi *num.20.*

*num.*20. videtur admittere nostram sententiam, ubi Clericus ob metum, fugiendo præcipitem se daret. Item illum, qui Clericum à sede expellit, vel brachio violenter trahit, in has censuras incidere resolvit *Sayrus in flosculis decisionum sub tit. de sentent. excomm. decis.*41. *Riccius Collect.*682. *ampl.*10.

Infertur 12. manus violentas injicere in Clericum, eum, qui Clericum
36 mortuum percusserit, ita *Felinus in cap. à nobis de sentent. excomm. Bajard. ad Clarum quæst.*77. *num.*16. *Sperellus decis.*45. *num.*56. & *Doctores passim*.

Ad tramites nostri propositi argumenti sequitur, ut videamus, quibus
37 de causis Clerici percussor venit excusandus à pœnis censurarum de quibus suprà. Primus casus erit, ubi percussor non fuerit doli capax: ita *Novar. in Summa Bullarum tit. de percussione Clericorum num.*50. ubi de Clericis impuberibus, & *num.*53. de Clericis minoribus annorum quatuordecim, *Bonacina de censuris disp.*1. *quæst.*1. *punct.*3. *Navarr. suprà cap.*27. *num.*76.

Secundus casus, ubi percussor ignorabat, percussum esse Clericum, eo
38 quia non erat indutus veste Clericali, vel quia apud omnes reputabatur ut laicus, ad *Text. in cap. si verò de sent. excommunic. Covar. in cap. alma mater part.*1. §.10. *num.*15. *de sent. excomm. Mascard. de probat. conclus.*848. *n.*4. *Sayrus de censuris lib.*3. *cap.*27. *Alterius eodem tract. lib.*2. *cap.*3. *Bonacina eodem tract. disp.*1. *quæst.*2. *punct.*1. *num.*16. *Antonell. de Juribus Cleric. lib.*1. *cap.*3. *num.*72.

Habens verò intentionem percutiendi Petrum Clericum, si percutit Pau-
39 lum etiam Clericum incidit in censuras prædictas; ratio est, quia tàm intentio, quàm opus externum injuriosum est statui Clericali; proinde percussor non effugiet pœnam censurarum; *Sayrus de censuris lib.*1. *cap.*48. *n.*18. *Bonacina d. disp.*1. *quæst.*2. *punct.* 1. *num.*20. *Covar. suprà d. num.*15. *Squillante d. cap.*6. *num.*73.

Tertius casus erit, ubicumque citra dolum, & dumtaxat joco, vel casu
40 Clericum quis percussit; nam tunc quia non dicitur suadente diabolo fecisse, venit excusandus à pœnis, ad *Text. in cap.*1. ubi *Canonistæ communiter de sent. excomm. Bonacina suprà disput.*2. *quæst.*3. *punct.*6. *sect.*4. *num.*3. *Antonell. de Juribus Clericorum lib.*1. *cap.*3. *num.*84.

Quartus casus est, quotiescumque
41 casu fortuito Clericum quis percusserit, ad *Text. in cap.*3. *de sent. excomm. de Grassis suprà n.*302. ubi *n.*235., hoc etiam dicit de eo, qui manus violentas
42 injecit in Clericum animo non deliberato, sed ex subjecta animi passione, itaut advertens ad factum, manum sibi
43 retrahit, cum motus primo primi non dicantur in nostra potestate, *Squillante d. cap.*6. *n.*49. & 50., & *Doctores communiter*.

Quintus casus est, quoties Clericum quis percutit ad sui defensionem, dum-
44 modò notabiliter non excedat in se defendendo, & dummodò defensio fiat incontinenti, ad *Textum in cap. si verò de sent. excomm.*, ubi *Abbas n.*14. *Covarr. in Clem. si furiosus part.*3. §. *unico n.*5. *de Grassis suprà n.*196. *Bonacin. de Censuris extra Bullam disp.*2. *quæst.*3. *punct.*6. *sect.*4. *Antonell. de Juribus Cleric. cap.*3. *n.*74. *Chartar. decis. crimin. decis.*3. *num.*8.

Sextus casus est, quoties aliquis Clericum percussit causa defendendi pro-
45 prium honorem: undè fit quod mulier, quæ fuit tentata in sua pudicitia à Clerico, si Clericum ipsum percutit, non dicitur incidisse in censuras, dummodò aliter liberari non possit, *Suarez de censuris disput.*22. *sect.*1. *n.*33. *Coninch. disp.*14. *dub.*15. *n.*194. *Avila de censuris part.*2. *cap.*5. *disp.*3. *dub.*13. *cas.*18. *Squillante d. cap.*6. *num.*78. *Bonacina d. puncto* 6. *sect.*4. *num.*1. *Pax Jordan. sup. n.*79. *Novarius sup. n.*51. & *Doctores passim*.

Supradicta procedunt, etiam ubi aliquis juvenis provocatus fuerit ad inho-
46 nestos actus à Clerico; iste namque si Clericum ipsum, suum honorem defendendo percusserit, venit excusandus à pœnis censurarum, de quibus suprà; imò si illum occiderit, adhuc venit excusandus à pœna temporali; ita *Bajard. ad Clarum*, §. *Sodomia num.*15. *Farinacc. quæst.*148. *n.*18. *Raynald. observ. crim. cap.*21.

*cap.*21. §.2. *num.*259. Hìc memorabile
exemplum Caji Marii mihi visum fuit
adducere; is inquam judicavit, C. Lu-
cium nepotem suum à Tribonio adole-
scente, ex eo quod is istius pudicitiam
non semel attentasset, & vim tandem
inferre voluisset, rectè occisum, & ob
hoc egregium factum coronam ei dona-
vit, ut refert *Cic. pro Milone*.

Septimus casus erit, quoties quis per-
cutit Clericum in actu venereo reper-
tum cum propria uxore, matre, filia,
47 aut sorore, vel quia alia turpia gere-
bat cum una ex supradictis, ad *Text.
in d. cap. si verò de sentent. excommun.
Covar. de Sponsalibus part.*2.*cap.*7.§.7.
*n.*12., *Sayrus de censuris lib.*3. *cap.*27.
*n.*23. *Squillante d. cap.*6. *n.*81. *Clarus*
§. *homicidium n.*48., *& quæst.*77: *n.*9.
*Chartar. decis.*3. *n.*4. *Pax Jordan. sup.
n.*81. *Antonell. de Juribus Clericorum
lib.*1. *cap.*3. *n.*68. Imò Clericum occi-
48 dendo in eodem casu, pariter venit ex-
cusandus à pœnis censurarum, *Sayrus
lib.*3. *cap.*27. *n.*23. *Chartar. suprà n.*5.
Supradicta verò procedunt, quoties
quis incontinenti, subito doloris impe-
tu Clericum percutit, mutilat, vel oc-
cidit; secùs verò, si hoc faciat præce-
dente maturo consilio, & præviâ deli-
beratione; nam tunc non effugiet ex-
communicationis pœnam, *Chartar. d. de-
cis.*3. *n.*6. *&* 21.

Dixi, ubi Clericum invenit coeun-
49 tem cum uxore, matre, & similibus,
hoc tamen locum non habet, ubicum-
que invenit illum alloquentem cum
uxore matre, & similibus ita *Chartar.
d. decis.*3. *n.*19. Nisi priùs ter admonue-
rat Clericum ipsum, ne audeat alloqui
uxorem, vel matrem suam, & alias, ut
suprà *Bellett. sup. d.* §.2. *n.*9.

Octavus casus est, ubi quis percutit
Clericum, causâ correctionis, dummo-
50 dò habeat facultatem, & jurisdictio-
nem in illum, & dummodò percussio es-
set levis, & non odio facta, ut de Su-
periore, est *Textus in cap. universitatis
de sentent. excommun.* De Magistro est
*Textus in cap. primo de sentent. excomm.
Suarez de censuris d. disput.*22. *sect.*1.
*n.*49. *Coninch. d. disput.*14. *n.*192.

Nonus casus est, ubicumque laicus
videt Clericum præparatum ad offen-
sam alterius, & non adest ejus Supe-
rior, vel Minister Ecclesiasticæ Curiæ,
51 tunc potest illum capere, & carcerare
absque incursu censurarum, quoties ca-
pit illum absque ignominia, & animo
consignandi illum suo Superiori, ita
*Abbas in cap. cum non ab homine de Ju-
diciis n.*11. & *Doctores communiter*, cum
*Ambrosino de Immunit. cap.*18., & *Nos*
latè *lib.*15. *de Immunit. discept.*14. ibi
vide.

Decimus casus est, quoties laicus Ju-
dex, vel Minister procedit contra
Clericum aufugientem, vel de fuga
suspectum, ad instantiam sui creditoris;
52 dummodò non adsit Judex Ecclesiasti-
cus, ad quem possit recursus haberi, hoc
enim casu, quia non videtur creditor id
fecisse in opprobrium status Clericalis,
sed ut sua jura defendat, venit pariter
excusandus à pœnis censurarum; nam
non videtur fecisse dolo, dummodò sta-
tim consignet illum suo Superiori, *In-
nocent. in cap. ut famæ de sent. excomm.*
ubi *Abbas n.*6. idem *Abbas in cap. cum
non ab homine de Judic. n.*11. *Bossius
de captura n.*27. *Bald. in d. cap. cum
vim ab homine n.*7. ubi subdit, Cleri-
53 cum ipsum non posse detineri in suis
carceribus à Judice laico ultra horas vi-
ginti.

Undecimus casus est, ubi percussio
non fuit datâ operâ, sed casu, puta si quis
54 arcendo turbam, eo actu Clericum per-
cutit, ad *Textum in cap. si verò de sent.
excomm. Sayrus lib.*3. *cap.*28. *n.*27. *Co-
ninch. disp.*14. *n.*193. *Squillante d. c.*6.
*n.*46. *Barbosa de potest. Episc. alleg.*41.
*num.*21.

Duodecimus casus est, quoties justè
quis Clericum ejicit ab Ecclesia, etiam
55 vi, ex quo Sacrificia perturbat, posito
quod Clericus ipse fuerit excommuni-
catus, ad *Text. in cap. veniens de sent.
excommun. Sayrus de censuris*, latè *Pax
Jordan. suprà n.*88. Hoc enim casu de-
bet ipse Clericus priùs moneri, ut exe-
at, quo renuente exire, si per vim fue-
rit expulsus, non est locus censuris.

Decimustertius casus est, ubicumque
percussio facta fuerit in primo motu; ra-
56 tio est, quia motus primi non sunt in no-
stra potestate; undè tali casu venit ex-
cusandus ipse percussor à pœnis censu-
ra-

rarum, *Carol. Maranta controv. part. 5. resol. 91. per totum*, *Squillante d. cap. 6. n. 49. & 50. Addentes ad Sanfelic. decis. 369.*

Demum remanet, ut videamus, à quo erit absolvendus dolosus Clerici percus-
57 sor. Et regulariter nequit absolvi ab alio, quàm à Summo Romano Pontifice, ad *Text. in cap. si quis suadente Diabolo 17. quæst. 4.*, concordat *Text. in cap. cum illorum*, *cap. porrò*, *cap. non dubium*, *cap. ea noscitur*, *cap. tua nos*, *cap. quamvis de sententia excommunicationis*. Supradicta verò regula fallit in multis casibus, in quibus absolutionem potest impertiri inferior Papâ, qui comprehenduntur his versibus:

Regula, mors, sexus, hostis, puer, officialis.
Deliciosus, inops, æger, senexque, sodalis.
Janitor, astrictus, dubius causæ, levis ictus,
Debilis, absolvi, sine summa sede merentur.
Atroces verò soli Papæ retinentur.

Regula: Hic comprehenduntur omnes Religiosi, ad invicem se percutien-
58 tes, qui absolvi possunt ab eorum Prælato, ad *Text. in cap. Monachi*, *cap. cum illorum de sentent. excomm. Fagnan. in d. cap. cum illorum n. 6.*, & *Barbosa de Episcopis alleg. 41. n. 17. Sayrus de censuris lib. 3. cap. 28. n. 10. Novarius in Summa Bullarum, tit. de percuss. Cleric. n. 47. Antonell. de Juribus Cleric. lib. 1. part. 1. cap. 3. n. 139.* Quoties verò Re-
59 gularis Clericum secularem percusserit, debet absolvi ab Episcopo loci Ordinario, si percussio fuerit levis, si verò fuerit gravis, recurrere debet ad Papam, *d. cap. cum illorum*, *cap. Religiosi de sent. excommun. in 6. Barbosa d. alleg. 41. n. 18. Rodericus quæst. Regu. tom. 1. quæst. 20. art. 12.*

Mors: In casu igitur articuli, vel periculi mortis, quia de salute animæ agitur, quicumque fuerit quâcumque etiam
60 censurâ, vel peccato innodatus, absolvi potest à quocumque confessario, nedum ubi innodatus fuerit hac censurâ ob Clerici percussionem. Undè constitutus in articulo mortis absolvi valet; adhibenda tamen erit cautela, ut absol-
61 vatur hac conditione: quod si liber erit ab articulo, vel periculo ipso, accedere debeat ad Papam, & se submittat suis clavibus, ut *Nos* latè *lib. 19.* ubi *de censuris, & sententia excommunicationis*, & latè quoque *lib. 87.* ubi *de pœnit. & remiss.* hoc unum est, quod constitutus in articulo, vel periculo mortis absolvi valet non solùm à suo Ordinario, sed à quocumque Sacerdote, ad *Text. in cap. non dubium de sent. excomm. Bonacina de excomm. disp. 2. quæst. 4. part. 5. n. 11.*

Sexus: Mulieres cujuscumque sint ætatis, & conditionis absolvi possunt ab Episcopo loci Ordinario ob Clerici percussionem; etiam si percussio esset
62 enormis: etenim illis periculosum est peregrè proficisci, & se virorum cœtibus immiscere, quod esset, si Romam petere deberent pro obtinenda absolutione à censuris incursis, ob Clerici percussionem, ad *Text. in cap. mulieres de sentent. excomm. Hieronymus de Monte quæst. 15. n. 6. Sayrus de censuris lib. 3. cap. 28. n. 18. Barbosa d. alleg. 41. n. 30. Antonell. sup. n. 135. Fagn. d. n. 6. Bonacina de excommunic. disp. 2. quæst. 4. punct. 5. n. 13.*

Hostis: ubicumque aliquis habet hostes, timore quorum perterritus iter arripere non valeat ad Urbem, tunc ne remaneat censuris hujusmodi irretitus,
63 tunc valet Episcopus loci Ordinarius eum absolvere à censuris prædictis; etenim reservationes videntur inductæ à sacris Canonibus non in destructionem, sed in ædificationem; crederem tamen fore absolvendum sub conditione, ut cessante causa, se præsentet Pontifici,
64 & suis clavibus se submittat; ac proindè valet absolvi, uti dixi, à suo Ordinario, ad *Text. in cap. de cętero de sentent. excomm. Bonacina sup. n. 10. Fagnan. sup. n. 6. Barbosa d. alleg. 41. n. 6. & seqq. Suarez tom. 4. disp. 30. sect. 3. n. 4. Antonell. de Juribus Cleric. lib. 1. part. 1. cap. 3. n. 134.*

Puer: Pueri quoque, scilicet impuberes, ubi isti Clericorum percussores fue-
65 rint, sive quacumque censura innodati sint, absolvi possunt ab Episcopo, non solùm à levi percussione Clericorum, sed etiam

etiam ubicumque illa fuerit mediocris,
vel enormis, facta de tempore impu-
bertatis; etiam si absolutionem petant
tempore, quo facti erant puberes, ad
*Text. in cap. quamvis, & cap. super eo
de sent. excommun. Bonacina sup. n.12.
Barbosa d. alleg.41. n.20. Novar. sup.
n.50. Antonell. sup. n.139. Fagn. sup.
num.6.*

Officialis: Principis, qui causa sui
officii, vel arcendæ turbæ, levi, aut
66 mediocri percussione Clericum percus-
sit, absolvi potest à suo Episcopo, ad
*Text. in cap. si verò de sent. excomm.
Suarez sup. n.69. Bonacina*, ubi alii
*Doctores sup. n.2. vers. secundus casus,
Fagnan. sup. d. n.6.*

Deliciosus, putant nonnulli, quod
ubi quis Clerici percussor fuerit Deli-
67 ciosus, veniat excusandus ab onere
accedendi ad urbem pro obtinenda ab-
solutione quo suprà, sed in isto casu
prius consulendus erit Sanctissimus, ut
docet *Fagn. sup. d. n.6.* vide *Text. in
cap. mulieres de sent. excomm.*

Inops: Quicumque aliquâ inopiâ la-
boret, adeout Romam pro absolutio-
68 ne impetranda accedere non valeat,
tunc potest à suo Episcopo Ordinario
absolvi à censuris de quibus suprà, ad
*Text. in cap. quod de his, cap. quamvis,
cap. ea noscitur de sent. excommunic. de
Graffis effect.9. n.164.* Inops autem non
69 solùm dicitur ille, qui verè mendicat,
sed etiam habens congruam substenta-
tionem, sed attento ejus statu videatur
indigere, vel quia habet multas filias
nubiles, vel vivit ex suo artificio, &
industria (quinam verò dicatur verus
inops remittitur arbitrio Judicis) *Bar-
bosa sup. n.14. Fagn. sup. n.6. Bonaci-
na sup. n.15.*

Æger, seu valetudinarius, aut qua-
cumque alia impotentia corporis de-
tentus, absolvi potest à suo Episcopo in
70 causa censurarum, de qua suprà; etiamsi
infirmitas fuerit temporalis, uti de la-
borante febri tertiana, quartana, vel
podagra, *Abbas, Innocent., & alii in
cap. quod de his de sent. excomm. Sayrus
de cens. lib.3. cap.28. n.24. Novar. sup.
n.45. Barbosa sup. n.25. Fagn. d. n.6.*

Senex, vel aliàs impotens ad iter,
causâ petendi Romam pro absolutione
71 impetranda, absolvi potest à censuris
incursis ob Clerici percussionem, ad
*Text. in cap. quod de his, & cap. quam-
vis de sent. excomm. Fagnan. sup. n.6.*
Quod locum habet, etiam si senex fue-
rit fortis ad ambulandum, ad *Text.
in cap. ea noscitur eodem tit.* ubi *Barbo-
sa num.3. Sayrus dicto cap.28. num.25.
Novar. suprà num.46.* Senex verò ad
hunc effectum quinam dici potest, re-
72 mittitur arbitrio Judicis, ut docet *Me-
noch. de arbitr. casu 59. Farinacc.* verò
quæst.92. num.22. putat dici senem qui
habet annos quinquaginta.

Sodalis: Clerici collegialiter viven-
tes, ubi se mutuo percutiant, nisi fa-
73 cti atrocitas aliter exposcat, absolvi
possunt ab Episcopo loci Ordinario, ad
*Text. in cap. quoniam de vita, & ho-
nestate Clericorum, Barbosa sup. n.16.
Squillante suprà dicto cap.6. num.106.
Fagnan. d. num.6.*

Astrictus; ubicumque aliquis fuerit
astrictus dominio alterius, uti de filio
74 familias, servo, & simili, quatenus
Clericum percusserit, absolvi valet ab
Episcopo loci Ordinario; dummodo
pro sua absentia dominus, vel Pater gra-
ve damnum sentiat, ad *Text. in d. cap.
mulieres, Sayrus sup. num.8. Bonacina
sup. n.14. Novar. sup. n.48. & 52. Bar-
bosa d. alleg.41. n.29. Fagn. d. n.6.*

Dubius causæ: causa percussionis, ubi
fuerit dubia, hoc casu percussor absolvi
75 potest ab Episcopo; etenim in dubiis
tutior via est eligenda pro exclusione
delicti, & sic pro exclusione pœnæ, *Do-
ctores communiter.*

Levis ictus. Percussio igitur, ubi fue-
rit levis, percussor Clerici absolvi po-
76 test ab Episcopo, cum non præsumatur
velle Pontificem pro levi percussione
reservare sibi absolutionem Censura-
rum, ad *Text. in cap. pervenit de sent.
excomm. Bonacina de excomm. disp.2.
de Juribus, & oner. Cleric. lib.1. part.1.
quæst.4. part.5. n.8. & seq. Antonell.
cap.3. n.122. Sacra Congreg. Concil. ad
dub. proposita 26. Aprilis 1687.* Levis
autem percussio dicitur illa, quæ nul-
lam maculam, aut laniationem corpo-
ris, vel membri mutilationem affert,
*Sacra Congreg. Concil. ad dubia propo-
sita 8. Augusti 1682., & 29. Augusti
ejus-*

*ejusdem anni ad dub.*2.,ubi habetur, percussionem censeri levem, ex quo inter epulas quidam poculum dedit in caput Clerici. Percussio verò levis aliquando
78 fit gravis, videlicet ubi facta fuerit in loco publico, puta in Choro, platea, foro, & similibus cum scandalo populi, necnon ubi percussio fit in personam decoratam, secùs verò si nullum adsuit scandalum, licèt in actu percussionis adfuerint duo, aut tres, ut ex *dicta Sacra Congreg. ad dubia proposita* 26. *Aprilis* 1687. *ad dub.*1. *Bonacina sup. n.*8. hoc posito quòd percussio fuerit gravis, absolutè impertienda erit per sanctam Sedem, *Fagn. sup. n.*16.

Debilis. Clerici percussor, ubi fuerit debilis qualitate, itaut propter suam
79 debilitatem, & gracilitatem Urbem petere non valeat, tunc absolvi potest à censuris ab Episcopo Ordinario, ad *Textum in cap. ea noscitur de sent. excom nunic.*

Atroces. Percussio verò, ubi fuerit atrox, hoc casu illius absolutio ab alio
80 impertiri non valet, quàm à Summo Romano Pontifice, & sua Sancta Sede, ad *Text: in cap. relatum, cap. Canonica de sent. excomm. Fagn. d. n.6.* Percus-
81 sio in casu, de quo suprà, dicitur atrox, seu enormis: Primò, respectu quantitatis facti, & de hoc habes *in cap. cum illorum de sent. excomm.* duo exempla, unum est, si membrum fuerit mutilatum ibi = *Utpotè si ad membri mutilationem est processum* = Quod intelligo de quolibet membro sive magno, sive parvo: Alterum exemplum est, quando fuit processum ad effusionem sanguinis, quod dicunt Doctores intelligendum
82 ratione illius membri, de quo facilè sanguis exire non consuevit: undè non intelligitur, si modica, & levis fuit percussio in naso, & sanguis exivit ab eo, maximè cui exire consuevit, *Fagnan. suprà num.*16.

Secundò dicitur atrox, seu enormis percussio, respectu qualitatis personæ,
83 veluti si in Episcopum, Abbatem, vel Superiorem sit violenta manus injecta, ut habetur ex *Text. in cap. cum illorum suprà*, talis enim excessus semper gravis, ac enormis est, ut patet in *cap. ille proculdubiò* 93.*dist.*, & ita *Hostien. in d. cap. cum illorum num.*10. & idem est secundùm eum, si quis Priorem suum locum Abbatis tenentem percusserit, argumentum *cap. cum in Ecclesiis de major. & obed.* & idem intelligas, quando inferior in Superiorem suum manus vio-
84 lentas injecit: idem si filius in patrem, discipulus in magistrum, *Fagnan. dicto num.*20. ubi *Doctores*.

Tertiò dicitur atrox, seu enormis, licèt levis respectu scandali, ubicum-
85 que scandalum imminet, ut patet ex *Textu in cap. cum illorum suprà* ibi = *Cum excessus tales nequeant sine scandalo præteriri*. Nihil enim faciendum est cum scandalo, ut patet in eò quod legitur, & notatur in *cap. nihil de præscript. & in cap. nisi cum quidem de renunc.* undè meritò si fuerit data percussio in Theatro, foro, loco publico, & simili, tunc ex levi efficitur atrox, fortiùs si in Ecclesia, *cap. cum pro causa de injuriis*.

Circa prædictos casus advertendum est, quòd ubicumque absolutio venit
86 impertienda ob Clerici percussionem, necessariam quidem esse satisfactionem Clerici percussi, vel ejus condonationem, aliàs non erit absolvendus: & ita de praxi vidi servatum per hanc sacram Pœnitentiariam Urbis: etenim in Brevi commissionis solet illa apponi clausula *satisfacta parte*. Si verò percussus fuerit Religiosus, satisfactio prædicta facienda erit Superiori illius loci, in quo degebat Regularis percussus, *Bonacina suprà num.*24. & *Doctores passim*, & *Nos* latè *lib.*19. ubi *de censuris, & sententia excommunicationis*.

ARGUMENTUM.

De Clericis, quoad privilegium fori, & exemptionem à Judice laico. Ubi pariter de exemptione à Collectis, Gabellis, & similibus.

SUMMARIUM.

1 *Clericum trahens in forum secularem censuras incurrit.*

2 *Clerici an, & quatenus teneantur solvere gabellas, & munia laicalia subire, remissivè.*

3 *Judici Ecclesiastico dari potest Assessor laicus, quamvis nequeat laicus esse judex in causis Clericorum.*

DISCEPTATIO XV.

Quale sit privilegium fori, quo Clerici, cęterive Ecclesiastici gaudent, & quo jure videantur exempti à laicali jurisdictione, breviter, & per transennam *Nos* demonstrabimus, cum de materia ipsa suis locis *lib. 15.*, ubi de Immunitate locali, personali, & reali latè verba facientes, ibi demonstramus quale sit illorum privilegium; & quinam veniant sub hoc nomine Clericorum, & quibus servatis gaudeant privilegio ipso; ac proindè, ne sicco pede ambulemus, hic tantùm dicimus, Clericos, cęterosque Ecclesiasticos, necnon inservientes Episcopo, vel Ecclesiis, commendatos ad hoc ab Ordinario loci, gaudere privilegio prædicto, & qui
1 contra hanc Canonicam dispositionem fecerit, trahendo illos ad eorum tribunal, non effugient pœnam censurarum, ad *Text. in cap. quamquam de censibus in 6.*, ex quo *Textu* pariter desumitur, Immunitatem, & exemptionem ipsam eisdem deberi de Jure divino, & humano. Vide quæ dixi *dicto loco*.

Pariter quale sit eorum privilegium, quoad exemptionem à tributis, gabellis, collectis, aliisque oneribus laicalibus videre poteris quæ adnotata à nobis fuerunt in *d. libro*, ubi *de Immunitate*, in quibus recto ordine adnotavi-
2 mus, quo jure videntur exempti ab hujusmodi oneribus, & an aliquando teneantur contribuere, sicuti tenentur laici; ideo, ne hic repetamus, quæ ibi breviter adnotavimus, vide quæ dixi dictis locis.

Clerici, an & quatenus carcerari possint à ministris laicalis Curiæ, de hoc dicemus suis locis, ubi de foro competenti, & *de Immunitate Eccles. part. 2.* Quamvis Judex laicus non possit esse
3 Judex contra Clericum, & Ecclesiasticas personas, cum dicatur incompetens, nihilominus, ubi Judex fuerit Ecclesiasticus, cui datus est assessor, iste assessor potest esse etiam laicus, quamvis non possit esse Judex, *Barbosa de potest. Episcop. alleg. 54. Peregrin. in praxi Vicar. in princ. n. 4. Card. de Luca de Judic. disc. 3. n. 18.*

ARGUMENTUM.

De Clericis quoad privilegium, ne possint conveniri, ultra quam facere possint, ubi ære alieno gravati fuerint, juxta disposita per Text. in cap. Odoardus, de solutionibus.

SUMMARIUM.

1 *Clerici gaudent privilegio quod nequeant conveniri ultra quam facere possint, ad ornatum* Text. in cap. Odoardus de solut.

2 *Clericis competit privilegium*; deducto ne egeat: *ne scilicet in dedecus ordinis Clericalis cogantur mendicare*, & num. 3.

Quid autem eis pro congrua alimonia assignandum sit, relinquitur judicis arbitrio, num. 3. & seq.

3 *Fieri posse id dicitur, quod commodè atque honestè fieri potest.*

5 *Clericus semel admissus ab Beneficium* cap. Odoardus, *an possit eo iterum gaudere.*

6 *Privilegium* cap. Odoardus *potest opponi etiam post rem judicatam, atque in executione sententiæ.*

7 *Clericus pauper nequit pro debito excommunicari.*

8 *Quot requisitis Clericus indiget, ut frui valeat Beneficio* cap. Odoardus, & num. 20. & seq.

9 *Laicus eatenus pro debito civili potest carceres evadere, quatenus cedat bonis.*

11 *Beneficium* cap. Odoardus *competit Clericis etiam minoribus, & quamvis solâ primâ tonsurâ initiatis*, & num. seqq.

13 *Dispositio* cap. Odoardus *favet etiam Clericis Beneficium Ecclesiasticum non habentibus.*

Quid autem si Clerici non serva-
ve-

verint requisita Tridentini sess. 23. cap.6. num.14. & seqq.

15 *In pœnalibus stricta sit interpretatio.*

16 *Odia restringenda sunt, favores verò ampliandi.*

17 *Clericus conjugatus quamvis gaudeat privilegio fori, & Canonis, juvari tamen nequit Beneficio* cap. Odoardus.

19 *Clericus, qui, dimisso habitu Clericali, pro laico sese gerit, amittit privilegia Clericalia.*

21 *Inanis est actio, quam excludit inopia debitoris.*

23 *Clericus pauper adhuc dicitur, ad effectum gaudendi Beneficio* cap.Odoardus, *licèt quid modicum possideat*, & num.24.

25 *Clericus uti nequit Beneficio* cap. Odoardus *adversus creditorem pauperiorem.*

26 *Privilegia privilegiis conquassantur.*

27 *Paupertas summariè probatur tanquam connaturalis*, & num.28.

29 *Pauper censetur qui habet in annuo redditu infrà scut.25. vel aliàs arbitrio judicis*, & num.30.

31 *Clericus, ut admittatur ad Beneficium* cap. Odoardus, *præstare debet cautionem satis faciendi debita, quatenus ad meliorem fortunam devenerit.*

Sufficit tamen cautio juratiua, quatenus ob paupertatem non reperiat, qui pro ipso caveat, num.35.

Ad pinguiorem fortunam Clericus pervenisse dicitur, etiam quando Beneficium Ecclesiasticum obtinuerit, num.36.

32 *Privilegium* cap. Odoardus *obligationem, atque actionem non perimit, sed eas suspendit solummodo pro Clerici paupertate; itaut inopia cessante, actio efficax reddatur*, & n.33. *Declara*, ut num.34.

37 *Clericus nequit renunciare Beneficio in præjudicium creditorum.*

38 *Beneficio* cap. Odoardus *quatenus Clericus privatus remaneat*, & num.39. cum seq.

49 *Clericus num possit renunciare Beneficio* cap. Odoardus.

51 *Dispositio* cap. Odoardus *operatur ne Clericus in carceres detrudatur, & ne teneatur ultra quam facere potest.*

52 *Renunciatio adimens homini libertatem inefficax est.*

54 *Privilegium* cap. Odoardus *respicit favorem ordinis Clericorum, eique proindè renunciari nequit.*

55 *Clericus an possit capi tanquam de fuga suspectus.*

DISCEPTATIO XVI.

Clerici licèt in minoribus ordinibus constituti, dummodò habeant requisita *Trident. sess.23. cap.6. de Reform.*, tamquam milites Ecclesiasticæ militiæ gaudent privilegio, ne possint
1 conveniri, nisi in quantum facere possint, quoties conventi ab eorum creditoribus, non habent undè solvere, & satisfacere valent: quod desumitur ex *Textu in cap. Odoardus de solut.*, ubi *Fagnan.* & *Canonistæ communiter*, *Genuensis in praxi cap.3. Leoncill. de privil. pauperum part.2. privileg.53. Fagnan. in cap. cum percussio de Clerico ægrotante n.9. Farinacc. quæst.37. n.67. Scannarol. de Visitat.Carcer. lib.3. §.7. cap.6. num.1. Rota recent. part.17. decis.304. num.22.*

Et licèt Pontifex videatur ibi exonerasse Clericos pauperes ab onere personali tantùm, ne scilicèt possint conveniri, nisi in quantum facere possint, ne vexati à creditoribus deserant divinum servitium; attamen ex *hoc Textu* desu-
2 munt Doctores, ut super bonis cessis ab ipsis Clericis deducenda sit certa quota assignanda ipsis Clericis, ne in opprobrium status Clericalis mendicare cogantur, *Fagnan. Abbas*, & *communiter Canonistæ ad dictum Textum*, *Castagna de Beneficio deducto ne egeat quæst.10. n.1.* ibi = *A Clerico debitore non esse omnia extorquenda, sed ei relinquendum unde vivere possit*, & ita *Antonell. de Juribus Clericorum cap.15. num.51. Nevizan. cons.19. n.2.* ibi = *Et sic non fiat executio contra Clericum, nisi deducta priùs quantitate, quæ sibi sufficiat pro alimentis, Farinacc. quæst.27. n.68.* ibi = *Reservata eidem Clerico pro alimentis congrua portione = Sacra Congreg. Concil. in una Sabinen. 7. Julii 1703.* ibi = *Sacra &c. Censuit Clericum prædi-*

*dictum gaudere beneficio capituli Odoar-
dus, una cum beneficio deducto, ne ægeat.*
Et hoc descendit ex ea potissima ra-
tione; etenim id dicitur fieri posse,
3 quod commodè, & honestè valet fieri,
Castagna sup. part.1. proæmii à n.7. & seqq. undè videtur reservatum arbitrio
Judicis, quidquid necessarium agnoverit relinquendum pro congrua sustentatione Clerici bona cedentis suo creditori, *Amostaz de causis piis lib.7. cap.5. num.3.*

Congrua verò prædicta assignanda
Clerico pro sua commoda sustentatione,
4 assignari etiam potest à Judice in tot bo-
nis stabilibus, ad effugienda jurgia, quæ oriri possent inter assignantem, & assignatarium, ut ex *Sacra Congreg. Concil. in una Romana 14. Martii 1648. Pignatell. consult. Canonic. tom.1. consult.273.*

Portio autem, pro congrua sustentatione denegari non potest Clerico, qui
5 intentavit privilegium prædictum, ut
docet *Covar. var. resol. lib.2. cap.1. n.9. Surd. de alim. tit.1. quæst.78. num.21. Menoch. de arbitr. Judic. cas.183. n.30. Farinacc. d. quæst.27. n.68. in fin. Rota coram Buratto decis.97. n.3.* Quod locum habet, etiamsi aliàs fuerit admissus ad dictum privilegium; nam iterum potest admitti, *Genuensis sup. d. cap.3. num. fin. Squillante de privileg. Cleric. cap.10. n.48. Fagnan. ad citatum Textum in cap. Odoardus n. 66.* Qui juvari
6 valet privilegio dicti capituli, etiam
post sententiam, & rem judicatam, in executione sententiæ, ita *Riccius in praxi rerum fori Ecclesiastici resol. 249.* Non potest verò Clericus, quoties non fuerit solvendo, excommunicari, & quatenus excommunicatur, absolvi valet,
7 præstita saltem juratoria cautione, de
solvendo, quatenus devenerit ad pinguiorem fortunam, ad *Text. in d. cap. Odoardus de solutionibus*, ubi *communiter Canonistæ cum Fagnano n.2.*

Ut quis gaudere valeat privilegio, de quo suprà, ne possit conveniri, ul-
8 tra quam facere possit, pariter relictâ ei
suâ congruâ portione pro victu, quamplura requiruntur desumpta ex præcitato *Textu in cap. Odoardus*; & Primò, requiritur status Clericalis; undè qui non est saltem Clericus, privilegio, de quo suprà, gaudere non potest, ibi: *Odoardus Clericus*; nam laicus, nisi cesserit bonis, non fruitur hoc privilegio,
9 imò, non factâ cessione, potest pro de-
bito civili conveniri, & in carcerem detrudi, ad *Text. in l. 1. C. qui bon. ced. poss.* Imò cedere debet bonis omnibus usque ad ultimum quadrantem, *Cyrus in d. l.1. Fagnan. ad dictum Textum à num.13. & sequentibus.*

Privilegio de quo suprà an gaudere debeant indistinctè omnes Clerici sive
10 in majoribus, sive in minoribus ordi-
nibus fuerint constituti, sive servaverint ea, quæ præscripta sunt à *Tridentin. sess.23. cap.6.* sive non servaverint illa, quæritur à Doctoribus, & partem affirmativam substinet *Squillante de privileg. Cleric. cap.1. num.6. Barbosa de Episcop. alleg.12. num.32. Ciarlin. controv. forens. cap.101. num.7. Gratian. discept. forens. cap.222. num.29. Fagnan. suprà num.20. Sacra Congreg. Concil. in una Nullius 4. Maji 1619.*

Quod locum habet, etiam quoad initiatos primâ tantùm tonsurâ, ut ha-
11 betur ex dicta resolutione *Sacræ Con-
greg.* ibi: *Quæritur an Clericus initiatus primâ tonsurâ, & in habitu Clericali incedens gaudeat Beneficio capituli Odoardus, si non habeat Beneficium Ecclesiasticum, neque addictus sit alicui Ecclesiæ de mandato sui Episcopi, Sacra Congreg. Censuit gaudere: Pignatell. consult. Canon. tom.5. cons.46. num.89. Pax Jord. tom.2. lib.11. tit.3. n.9. Antonell. de Juribus Cleric. cap.15. num.2. Rodolphinus in praxi part.1. cap.7. num.82. de Marinis resol. quotid. cap.47. num.9. & 10.*

Quidquid contrarium dicat *Covar. var. resol. lib.2. cap.1. num.9.* qui pu-
12 tat, hoc privilegium non competere,
nisi Clericis in majoribus ordinibus constitutis, vel Beneficiatis, & Ecclesiæ inservientibus, non autem aliis Clericis minorum ordinum, quod idem pariter censuit *Ripa in l. miles num.7. ff. de re judic. & Farinacc. quæst.77. n.65. Gratian. discept. forens. cap.222. n.39. & 40. Campanil. rub.11. cap.10. num.50.*

His non obstantibus, primam senten-

tentiam omninò credimus esse sequen-
13 dam; etenim ex litera *cit. Text.* non ap-
paret, istum Odoardum fuisse in sacris
Ordinibus constitutum, sed tantùm
appellatur Clericus, cujus appellatio-
ne venit etiam primâ tantùm tonsurâ
initiatus, ut suprà demonstravimus *Di-
scept.*1. Nec apparet fuisse Beneficia-
tum, ut docet *Abbas ad dictum Textum*,
& *ibidem Cardin. num.*6. nam si fuisset
Beneficiatus potuisset solvere de reddi-
tibus Beneficii.

Neque obstat *Triden. sess.*23. *cap.*6.
ex quo dispositum habetur, Clericos
14 non incedentes in habitu, & tonsura,
ac non inservientes Ecclesiæ cui ipsi ad
scripti sunt, non gaudere privilegio fo-
ri: etenim *Tridentinum*, ibi tantùm
adimit Clericis fori privilegium, non
autem cœtera privilegia: cœtera verò
privilegia remanserunt, ut multoties
declaravit *Sacra Congreg. Concilii*, de
quo *Nos* latè *lib.*15. ubi *de Immunitate*;
verba enim legis tantùm valent quantũ
15 sonant: & in pœnalibus sicuti in cœ-
teris non est facienda extensio de casu
expresso ad non expressum, imò omnia
16 jura clamant, odia restringi, favores
ampliari. Privilegium autem hujus
cap. Odoardus est omninò diversum à
17 privilegio fori, quod ex eo convinci-
tur manifestè; quia Clericus conjuga-
tus gaudet privilegio Canonis, & fori,
ut in *cap. unico de Cleric. conjug. in* 6.
& per *Tridentin. d. cap.*6. & nihilomi-
nus non gaudet privilegio hujus *cap.
Odoardus*, ut in puncto tradit *Anchа-
ran. ad citatum cap. unicum de Clericis
conjugatis in* 6. *Natta consf.*319. *&* 356.
Nos latè *de Clericis conjugatis quoad hoc
privilegium*: ibi vide; ergo Clerici
primæ tonsuræ, sive minorum ordinum,
non habentes requisita *d. cap.*6. *Triden-
tini*, retinent Beneficium hujus *cap.
Odoardus*, cum eis ademptum non
fuerit.

Sed pro concordia hujusmodi senten-
tiarum inter se dissidentium, tu conci-
18 lia sic. Aut Clericus primæ tonsuræ si-
ve minorum ordinum, abjecto Cleri-
cali habitu, gerit se publicè pro laico,
juxta *Text. in cap. si Judex de sent. ex-
comm. in* 6. quod potest facere, ut in
*cap.*1. *&* 3. *de apost. cap. cum olim*, *&*
cap. fin. de Clericis conjung. & tunc non
gaudet Beneficio hujus *cap. Odoardus*;
19 etenim licèt characterem indelebilem
non amiserit; tamen in omnibus repu-
tatur ut laicus, & omni privilegio Cle-
ricali nudatus remanet, ut in *prælle-
gatis juribus*. Aut non gerit se publicè
pro laico; sed adhuc retinet vestigia
Clericatus, & Clericalem habitum ge-
stat; & hoc casu gaudet Beneficio *dicti
capituli*, licèt Ecclesiæ non inserviat,
nec Beneficium Ecclesiasticum habeat.

Secundò requiritur quòd Clericus de-
bitor non sit solvendo, ad *Text. in d.*
20 *cap. Odoardus* ibi: *Propter rerum ino-
piam solvere non valentem*: nam tali
non potest dici: *redde quod debes*, *cap.
si res* 22. *quæst.*5. *cap. cum tu de usuris*;
21 Inanis enim est actio, quam excludit
inopia debitoris, ad *Text. in l. nam
his ff. de dolo*, *cap. olim il* 2. *de restitut.*
22 *spoliat.* Itaque paupertas reddit actio-
rem inanem, liberat à periculo, secu-
ritatem à latronibus præstat. Undè *Ju-
venalis quarto*.

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Goffredus ad citatum cap. Odoardus, &
ibi *Hostiensis num.*9. *Joannis Andr.
num.*7. & sic paupertas quandoque pro-
dest; sed à tali prodesse liberet me
Deus. Adverte tamen quòd licèt *Text.
in d. cap. Odoardus* indistinctè loquatur
23 de Clerico inope, non ex hoc venit ex-
cludendus qui aliquid bonorum possi-
det; cum ista inopia certo modo capien-
da sit, videlicèt ut deductâ suâ congruâ
24 alimentariâ, de cœtero sit inops, ut
docet *Ancharan. ad dictum Text. n.*5.
*Ivola num.*11. *& Fagnan. n.*29. Credi-
tor verò ubi fuerit pauperior Clerico
25 debitore, hoc casu ipse Clericus non
potest se tueri Beneficio *citati capituli*,
quia privilegiatus non utitur privile-
26 gio contra privilegiatum *l. verum §. fin.
ff. de minoribus Gratian. discept. forens.
cap.*799. *Genuensis suprà num.*14. *Ciar-
lin. d. cap.*101. *num.*24. *Fagnan. suprà
num.*30. *Antonell. de Juribus Cleric.
cap.*15. *num.*38.

Tertiò requiritur, ut de Clerici pau-
pertate constet, cum non videatur suf-
27 ficere asserere se esse pauperem; undè
me-

meritò paupertas probanda erit, ad literam *citati capituli Odoardus*, ibi = *Quatenus constiterit, quod prædictus Odoardus, in totum, vel pro parte non possit solvere, Rota part. 3. diverſ. deciſ.998., Squillante de privileg. Cleric. cap.10. n.9. Genuenſ. d. cap.3. num.18. Fagn. ſuprà n.31. Antonell. de Juribus Cleric. cap.15. n.34.*

Sufficit tamen ad hunc effectum, ut summariè constet de paupertate, cùm
28 in ea non sit multum scrupulosè agendum, *Riccius reſol.245. & Collect.1750.*
29 Pauper ad hunc effectum dicitur ille, qui habet annuos redditus infrà summam scutorum 25. *Rota recent.part.15. deciſ.* 207. *n.*14. Sed circa hoc crede-
30 rem, remittendum esse arbitrio prudentis Judicis, qui considerata qualitate loci, & personarum, ac temporis, existimabit quando quis dici possit pauper.

Quartò requiritur probatâ paupertate, quòd antequam Clericum paupe-
31 rem absolvat, priùs recipiat ab eo idoneam cautionem, ut si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita persolvat, ut ex germanis verbis præcitati, *Text. in cap. Odoardus* ibi = *Sententiam ipsam sine difficultate qualibet relaxetis, receptâ priùs ab eo idonea cautione, ut si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta persolvat*, ubi *Fagn.n.2. & 64. Rot.cor.Cavalerio deciſ.*514. *& part.16. recent. deciſ.362. n.4.*

Etenim debitoris inopia, & impotentia solvendi non extinguit substantiam
32 obligationis, sed suspendit illius effectum in tempus prosperioris fortunæ, & ita civilis, & naturalis obligatio remanet; sed est inefficax, durante inopiâ, ad *Text. in l.1. C. qui bon.ced.poſſ.*
33 quare, inopia cessante, solvere debet *l. is, qui la 2. ff. de ceſſ. bonorum*; non tamen in totum, sed in quantum facere potest, ut in *d. l. is*, scilicet itaut re-
34 ægeat; non est enim fraudandus alimentis quotidianis, *l. qui bonis ff. eodem, l.in condemnat ff. de Reg. Juris*, ubi dicitur, in condemnatione personarum, quæ in id,quod facere possunt, damnentur,non totum quod habent extorquendum est, sed ipsarum ratio est habenda, ne ægeant. Dixi cum præcitato *Textu*,
35 ut præstet idoneam cautionem; hic nota,quod ubi non invenit,qui pro se idoneam cautionem præstat,tunc sufficit juratoria cautio, ut notat *Fagn.* ubi *Doctores ad citatum Textum n.69.*

Ad pinguiorem fortunam dicitur pervenire non solùm per acquisitionem bo-
36 norum, sed etiam obtinendo Beneficium Ecclesiasticum; undè bonis ipsis acquisitis, vel Beneficio aliquo obtento, tenetur de eo, quod superest, dare creditoribus; imò neque illa in fraudem creditorum renunciare valet. Undè, cùm factus sit casus, quòd quidam Sacerdos jam admissus ad Beneficium præcitati *capit. Odoardus*, assignata ei congruâ super bonis ejusdem,cum jam provisus fuisset de certo Beneficio,tunc creditores petierunt sibi ipsis deberi fructus dicti Beneficii in satisfactionem crediti eorumdem; Sacerdos prædictus,
37 cum se videret indutum onere, absque fructu, procuravit renunciare dictum Beneficium, sed frustrà, nam moniti de hoc creditores institerunt coram Domino Datario Sanctissimi, ut non admitteret resignationem ipsam, uti factam in fraudem; De hoc Dominus Datarius consuluit Sacram Congregationem Concilii, an videretur esse locum resignationi,& sub *die* 14. *Martii* 1676. *in una Lunen. Sarzanen.* respondit *negativè*, ut refert *Antonell. de Juribus Cleric. cap.15. num.46.*

His præhabitis, sequitur, ut videamus, in quibus casibus Clerici privilegio de quo suprà, gaudere non valent. Primus est, ubi Clericus debitor in do-
38 lo versatus fuit cum creditore, videlicèt quia de tempore contractus jam sciebat non esse solvendo, & falsò asseruit, se habere idoneas facultates, *Genuenſis ſuprà cap.3.n.6. Fagnan. ſuprà n.44.* Sicuti in dolo dicitur versatus, ex
39 quo pendente judicio bona in extraneos alienavit, causa fraudandi creditores, *Squillante ſuprà cap.10. n.17. Genuenſis d. n.6. Farinacc. quæſt.26. num.70.*
40 Sicuti etiam ubi de tempore contractus jam habebat bona sufficientia, sed dolo distraxit, sub spe gaudendi hujusmodi privilegio, *Genuenſis d. n.6. Fagn. ſuprà n.46.*

Secundus casus, ubi Clericus debitor ad hanc inopiam redactus fuit propri-

prima culpa, bona sua dissipando ludis,
41 vel luxuriosè vivendo, quo casu non videtur gaudere Beneficio *d.cap.Odoardus*, *Squillante suprà n.16. Farinacc. d. quæst.27. n.69. Fagnan. suprà n.35. Riccius resol.247. Antonell. de Juribus Cleric. cap.15. n.37. Leoncill. de privileg. prop. part.2. privil.53. n.5. Rota recent. part.15. decis.207. n.6. 7. & 8.*

Tertius casus erit, ubi Clericus se obligavit in forma Rev. Cam. Apostolicæ,
42 quia attenta hujusmodi obligatione videtur renunciasse Beneficio istius capituli *Odoardus*, *Farinacc. sup. qu.27. n.70. Gallef. de obligat. Camerali qu.16. n.9. & qu.19. n.4. Scaccia de Judiciis lib.2. cap.62. n.17. Bellett. tit. de Cleric. debitore* §.2. *n.7. Ciarlin. d.cap.101. n.8. & 9. Genuensis sup. n.13. Rota recent. part.15. decis.207. n.15. & 16. Scannarol. lib.3.* §.9. *cap.3. n.57. Zacchia de oblig. Camerali qu.19. n.9.*

Quartus casus est, quoties debitum oritur ob pensionem reservatam super
43 Beneficio, vigore juramenti quod præstitit pro solvenda illa, & obligationis Cameralis solitæ apponi: æquum enim non est quod, dum Beneficium obtinet, juvetur dicto privilegio, *Riccius resol.255. part.4. Squillante dicto cap.10. num.22. Gratian. discept.222. num.50. Farinacc. d. quæst.27. num.7. Gigas de pension. quæst.12. num.3. Fagnan. in cap. Odoardus de solutionibus num.79.*

Quintus casus est, ubi Clericus conventus est pro debito dependente ex de-
44 licto, vel quasi delicto, *Farinacc. suprà num.72. Riccius resol.251. Guttierez Canonic. quæst. cap.27. num.23. & sequent. Campanil. suprà cap.10. n.21. Genuensis dicto cap.3. à n.26. & seqq.*

Sextus casus est, ubi creditor est pauperior Clerico debitore, ita de
45 *Grassis effectu 7. num.56. Genuensis suprà n.14. Gratian. discept.799. Ciarlin. controv. forens. cap.101. num.24. Fagnan. suprà num.30. Antonell. suprà cap.15. num.38.*

Septimus casus est, ubi Clericus esset debitor ratione depositi penes se
46 facti; quia ad retardandam exactionem talis debiti non habet locum privilegium prædictum, *de Grassis sup. n.58. Squillante suprà num.42.*

Octavus casus est, ubi Clericus esset debitor ratione administrationis bo-
47 norum, videlicèt quoties fuerit Tutor, & Curator, aut de simili administratore, *Squillante d. cap.10. n.44. Barbosa ad citatum Text. in cap.Odoardus num.22. Cravetta consil.152. de Grassis suprà num.53. Rota recent. parte 15. decis.207. num. 4. & part.16. decis.331. num.21. & decis.362. eadem part.16.*

Nonus casus est, ubi Clericus debitum negavit, & multo magis si dene-
48 gaverit illud cum pertinacia; nam si postea legitimè convinceretur, ipsum esse debitorem, utique ad Beneficium dicti capituli non venit amplius admittendus, *Guttierez d. cap.17. num.2. Riccius resol.246. Fagnan. suprà n.57. Antonell. de Juribus Clericorum cap.15. num.32.*

Remanet videndum pro complemento hujus præsentis Disceptationis, an
49 Clericus possit renunciare Beneficio juris sibi provenientis ex dicto *cap. Odoardus*, videlicet ne quis conveniatur ultra quam facere possit. Et verior Doctorum sententia est, non posse, cum illud pauperibus Clericis concessum sit à jure, ne cum dedecore status Clericalis mendicare cogantur, latè *Hostiensis in d. cap. Odoardus num.8. Covar. var. resol. lib.2. cap.1. num.38. Costa de remedio subsidiario remed. 29. nu.8. Cerall. com. contra communem quæst.71. num.11. Parlador. lib.2. rerum quotid. part.2. cap. fin.* §.6. *num.24. Marta de jurisdict. part.4. casu 42. num.21. Genuensis dicto cap.3. num.4. Riccius collect.1750. & part.2. decis.173. Ciarlin. controv. forens. cap.101. num.6. Squillante de privileg. Cleric. cap.10. n.49. Campanil. divers. juris rub.11. cap.10. num.15. Fagnan. suprà à num.70. & sequentibus.*

Sed quid ubi Clericus Beneficio hujus *cap. Odoardus*, cum juramento re-
50 nunciaverit, numquid renunciatio teneat opus est ut videamus. Et pro faciliori solutione præsentis dubii dicimus, Beneficium *hujus capituli*, duos habere effectus, quorum primus est, ut Clericus, qui non est solvendo, ubi civiliter agitur pro debito civili, non de-

det rudatur in carcerem, juxta doctrinam *Textus in l. 1. C. qui bonis cedere possint.*

Secundus est, ut non condemnetur nisi in quantum facere potest, habita ra-
51 tione ne egeat, ut in *d. cap. Odoardus de solut.*, concordat *Text. in dicta l. 1.* Quantum ad primum effectum carceris absolutum est, renunciationem non tenere, licèt juramento firmatam, ea ratione, quia est contra bonos mores, ut notat *Cyrus in l. qui bonis num. 11. l. qui bonis cedere possint*; ergo juramentum ibi adjectum non ligat, uti factum contra bonos mores, *cap. non est obligatorium, de regulis juris in 6.*

Quid enim prodest creditori, quòd ejus debitor in carceribus marcescat;
52 cum & ipsi solvere non valeat quòd debet, marcescendo in illis: esset namque inhumanitas, & crudelitas sine ipsius commodo, & censeretur creditor caninus, & humanitate spoliatus, imò absque ulla charitate putandus esset; renunciatio igitur, per quam pervenitur ad infringendam hominis libertatem, etiamsi juramento facta fuerit, non est attendenda, ad *Text. in l. nec si volens ff. de libera causa.*

Quantum verò ad secundùm effectũ, ut debitor non condemnetur ultra
53 quam facere potest, licèt in personis non privilegiatis articulus sit valde dubius, per ea, quæ notat *Bald. Cyrus, & alii in d. l. 1. C. qui bonis cedere possint*: nihilominus in Clericis tenendum est, hujusmodi renunciationem non validari juramento: ratio est, quia privilegium dicti *cap. Odoardus de solutionibus*, inductum est favore Clerico-
54 rum, ne ipsi mendicare cogantur in opprobrium status Clericalis, & sic in reverentiam tàm ipsiusmet Clerici, quàm totius Ordinis Ecclesiastici, & consequenter dicto privilegio renunciare non valet Clericus, sicuti renunciare non valet privilegio fori, ut in *cap. si diligenti de foro competenti.*

Facit ad materiam, de qua agimus videre, an Clericus, uti de fuga suspe-
55 ctus, possit carcerari: & negativè respondendum videtur, nisi in actu fugæ deprehensus fuerit, quo casu tenetur tantùm cautionem juratoriam præstare de stando juri, & judicatum solvendo cum hypotheca suorum bonorum, quo peracto non erit molestiis afficiendus circa capturam ipsam intentatam, ut benè de omnibus *Sac. Rota recent. parte 16. decis. 362. per totam*, ubi de rationibus, & de juribus ibi allatis, & *Nos* alibi sub titulo *de solutionibus.*

ARGUMENTUM.

De Clericis quoad Privilegium electionis fori, tàm pro rebus, & actionibus sibi competentibus, quàm ratione bonorum suæ Ecclesiæ.

SUMMARIUM.

1 *Clerico an & quatenus competat electio fori*, & num. 3. & seq.
2 *Actor sequitur forum Rei.*
4 *Privilegium concessum personis Ecclesiasticis nequit restringi ad solum favorem Ecclesiæ.*
5 *Clerici respectu fori laicalis reputantur personæ miserabiles pro effectu gaudendi privilegio electionis fori.*
6 *Bona Clericorum veluti accessoria ad Ecclesiam gaudent privilegiis bonorum Ecclesiæ.*
7 *Clerici utuntur privilegio electionis fori etiam in actionibus realibus activè ac passivè intentatis*, & num. 9.
8 *Bona esse dicuntur propter personas.*
10 *Pro fructibus bonorum Ecclesiasticorum Clericus convenire potest laicum in foro Ecclesiastico*, & num. 11.
11 *Dependentia assumunt privilegia negotii principalis.*
12 *Clericus convenire potest administratorem bonorum Ecclesiæ coram Judice Ecclesiastico.*
13 *Coloni Clericorum pro fructibus conveniri possunt coram Judice Ecclesiastico.*
14 *Laicus pro laudemio debito super bonis Ecclesiasticis potest conveniri coram Judice Ecclesiastico.*

DISCEPTATIO XVII.

De privilegio electionis fori Clericis, Ecclesiasticisve personis de Jure competente, hic nobis est aliquid di-

dicendum. Et circa hujusmodi electionem, & fori variationem nonnulli pu-
1 tant, & sine dubitatione affirmant, hujusmodi constitutis in statu Ecclesiastico hoc Beneficium competere, tantùm pro rebus Ecclesiæ, ut expressè statuitur in Ritu Magnæ Curiæ Vicariæ Neapolis in Ordine 229. ubi *Caravita*, & *Petra*, & ita *Novarius in praxi electionis fori sect.* 1. *quæst.* 31. *de Franchis decis.* 597. *num.* 1. ubi *Addentes*, *Sperellus decis.* 142. *num.* 10.

Undè secundùm hanc sententiam, si Clericus esset actor, & non agatur de
2 re suæ Ecclesiæ, forum rei sequi debeat, ex generali regula quòd actor sequitur forum rei, ad *Text. in cap. cum sit generale de foro competenti*, *cap. si diligenti eodem titulo*, *Sperell. decis.* 135. *num.* 44. *&* *decis.* 142. *num.* 1. *& sequentibus*.

Veritas tamen est, quòd non solùm pro re suæ Ecclesiæ; verum etiam pro
3 re propria Clericus agens contra laicum, ejus bonorum occupatorem, habet fori electionem; quòd probatur per *Textum in cap. similiter* 16. *quæst.* 1., concordat *Text. in cap. si quis* 24. *qu.* 3. *cap. Clericus laicum de foro competenti*, ubi bona Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum æquiparantur, *cap. quamquam de censibus in* 6. *Sperell. dicta decis.* 142. *à num.* 11. *in finem*.

Nec prædictæ sententiæ adversatur *Textus in cap. cum sit generale de foro*
4 *competenti*; nam ibi *Textus* non solùm loquitur de Ecclesiis, verùm etiam generaliter de personis Ecclesiasticis ibi = *Verùm quoniam seculares Judices in exibenda justitia personis Ecclesiasticis, sepè in judicio sunt remissi; in favorem Ecclesiæ est introductum, ut malefactores suos &c.* Propter quàm mentionem personarum Ecclesiasticarum non videtur, Summum Pontificem ibi se restrixisse, & taxativè de solis Ecclesiis disposuisse, sed etiam de personis Ecclesiasticis, in quibus militat eadem ratio, latè *Sperellus decis.* 142. *num.* 18. *usque ad* 53.

Imò ratio finalis ejusdem *Textus* magis militat in bonis patrimonialibus
5 Clericorum, in quibus Judices laici duriores sunt, quàm quoad bona Ecclesiarum; ac proindè Clerici in Curia laicali litigantes, dicuntur miserabiles personæ; & meritò multo magis debent gaudere privilegio electionis fori, ita *Marta de Immunit. part.* 4. *cap.* 49. *n.* 16. *Duard. in Bulla Cœnæ Dñi lib.* 2. *Can.* 18. *quæst.* 5. *n.* 10. *Sperell. decis.* 8. *num.* 18. *decis.* 49. *num.* 26. *decis.* 142. *num.* 26.

Ultra quòd bona Clericorum, cum veniant accessoriè ad personam, sive
6 Ecclesiastico, sive patrimoniali, propriove jure possideantur, quoad forum, & jurisdictionem eodem privilegio potiuntur, quo bona Ecclesiarum, ad *Text. in cap. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de constitutionibus*, ubi *Abbas*, *Felin. & alii*, *Maranta disput.* 8. *sub num.* 13. *Ciarlin. controv. forens. cap.* 138. *n.* 17. *Sperell. decis.* 12. *num.* 35. *& decis.* 142. *num.* 27.

Gaudent privilegio de quo suprà Clerici, non solùm ubi agitur de causa rea-
7 li, sed etiàm pro offensa, & injuria vindicanda eisdem facta, ex quo non debet esse minus privilegiata persona, quàm res, cum bona sint propter per-
8 sonas, ita *de Franchis decis.* 597. *n.* 2. *Anna alleg.* 147. *Carleval. de Judic. lib.* 1. *disp.* 2. *num.* 588. *Novar. in praxi elect. fori sect.* 1. *quæst.* 31. *num.* 2. *Riccius collect.* 300. & ita ex *Ritu* 229. *M. C. Vicariæ Neapolis*, quòd incipit *ut delatas*, ubi *Caravita*, *& Petra*.

Privilegiũ prædictum competit Clericis, sive agatur actione reali, sive per-
9 sonali, scilicet ex legato, vel locato, & similibus: *Abbas in cap. si Clericus laicum num.* 12. *de foro compet. Bellett. disquisit. Clerical. tit. de favore Cleric. real.* §. 5. *num.* 2. 3. *&* 6. *Guttierez. Canon. quæst. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 13. *Ciarlini. controv. forens. cap.* 171. *n.* 6. *Sperell. decis.* 98. *num.* 2. *& decis.* 142. *n.* 41. *Rota recent. part.* 6. *decis.* 42. *per totam*, *Gratian. discept.* 238.

Imò Clericus ratione facultatis Clericalis, & privilegii de quo suprà, po-
10 test convenire laicum coram Judice Ecclesiastico non solùm pro rebus Ecclesiæ, sed etiam pro fructibus; etenim fructus bonorum Ecclesiæ, licèt non sint quid spirituale, nihilominus, quia habent dependentiam à re Ecclesiæ, idem de

11 de illis erit judicandum, *cap. si annum de Judic. in 6. Bellett. suprà num.8. Sperell. decis.98. num.5. & 7.*

Pariter Clericus vigore dicti privilegii jus habet conveniendi laicum ad-
12 ministratorem bonorum Ecclesiæ coram Judice Ecclesiastico, ad *Text. in cap. judicatum dist.9. Soccinus in rubrica de foro compet. & in cap. licèt eodem titulo, Sperell. suprà num.4.* Ita quoque Coloni, & Partiarii Ecclesiæ, & Clericorum, sicuti Conductores pro fructibus recollectis, ac pro eorum Colo-
13 norum expulsione conveniri possunt coram Judice Ecclesiastico, ad *Text. in cap. si Clericus laicum de foro compet. Bellett. suprà num.8.* Quidquid contrarium dicat *Marta de jurisdictione part.4. casu 112.*, ubi tenet, Clericos non posse convenire Colonos coram Episcopo Ordinario ratione culturæ, nisi obligati sint in forma Reverendæ Cameræ Apostolicæ, vel per pactum se subjecerint Judici Ecclesiastico: cujus opinionem non esse tutam dicit *Sperellus decis.98. num.8.*

Pro laudemio quoque laicus conveniri potest coram Judice Ecclesiastico,
14 *Sperell. suprà num.14.* & *Nos* latiùs *lib.2.* ubi de jurisdictione Episcopi in laicos, & pariter *lib.26.* ubi *de Locato, & Conducto*, ibi vide latè.

ARGUMENTUM.

Clericus gaudet Privilegio fori, ne possit cogi ferre testimonium coram Judice laico, eo magis in criminalibus Judiciis.

SUMMARIUM.

1 *Clericus cogi nequit ad ferendum testimonium coram Judice laico, maximè in criminalibus.*

Adeout depositio contra hujusmodi prohibitionem facta nullum genus probationis constituat, n.2. & n.7.

Declara, ut num.8.

3 *Episcopus nequit licentiam Clericis impertiri, ut in causa criminali testimonium perhibeant coram Judice laico.*

Amplia, etiamsi veritas aliunde haberi nequiret, ibid.

4 *Clericus subilci potest in subsidium examini sub Judice laico*, & num.9.

Juramentum tamen præstare debet in manibus Judicis Ecclesiastici, n.6.

Formula traditur concedendi facultatem, ut Clericus examinari valeat à Judice laico, ibid.

10 *Clericus neque in subsidium cogi potest testimonium perhibere coram Judice laico in causis, ubi intret pœna sanguinis, vel aliàs ad offensam Reorum*, & num.11.

DISCEPTATIO XVIII.

Licèt veritas modis omnibus perquirenda sit, non ex hoc videtur permissum laico Judici illam perquirere ex ore Clerici, sed ubi Judici Ecclesiastico hoc videtur expediens, concessa priùs licentia, & non aliter cogi valet Clericus ipse, *Sacra Congreg. Immunitatis in una Aquilana 5. Maji 1637.* Clerici igitur, sive in majoribus, sive in minoribus Ordinibus constituti, coram Judice laico examinari nequeunt in causa
1 tàm civili, quàm criminali, præcipuè ubi agitur de delicto, pro quo esset imponenda pœna sanguinis, propter periculum irregularitatis, etiamsi veritas aliter haberi non possit; adeout, cum repellantur à limine depositionis, ad *Text. in cap. testimonium 11. quæst.1.*,
2 quatenus se subjicerent examini, contra Juris prohibitionem, nullum genus probationis videtur constituere illorum depositio, *Abbas in cap. de cætero de testibus, Farinac. qu.61. à n.57. ad 61.*, *Sperell. decis.50. n.5.*

Undè neque Episcopus, aut Judex Ecclesiasticus licentiam concedere va-
3 let Clericis deponendi coram Judice laico, sive principaliter, sive incidenter, ubi pœna sanguinis venit imponenda, ad *Text. in cap. testimonium 11. quæst.1.* Quod locum habet, etiam si veritas aliter haberi non possit, *Doctores apud Bellett. disput. Cleric. part.1. tit. de Clerico teste §.2. num. 9. Marta de Jurisd. lib.4. casu 117. n.4. Mojol. de Irregul. lib.2. cap.6. num.11. Sperell. suprà num.6. 7. 8. & 9.*

Dixi

Dixi in causa criminali, & ubi veniret imponenda pœna sanguinis; etenim
4 aliter esset, ubi locum haberet alia pęna, quæ non sit sanguinis; quia tunc non videtur interdictum Clerico contra laicum testimonium dicere coram Judice laico, ubi veritas aliter haberi non potest; nam in subsidium Clericus admittitur in testem contra laicum, *Gigas de crimine læsæ majest. lib.2. qu.*14. *n.*3. *& seq. Farinac. sup. n.*68. *& pluribus seqq. Genuensis in praxi cap.*43. *n.*6. *Sperellus decis.* 50. *n.* 25. Sed hoc
5 locum habet, obtenta prius licentia à suo Ordinario, ad *Text. in cap. sicut* 2. *qu.*7. *cap. testimonium* 11. *qu.*1. *Alex. cons.*65.*vol.*2. *Mascard. conclus.*306. *Genuensis suprà n.*4. *Farinac. qu.*61.*n.*78. *Sperell. decis.*50.*num.*2. *Sacra Congreg. Immunit. in una Aquilana* 5.*Maji* 1637. Juramentum verò præstare debet Cleri-
6 cus in manu sui Ordinarii, non autem laici Judicis, ad *Text. in cap. quamquam* 14. *qu.*2. *Sperell. sup. n.*4. Formula licentiæ ita est, justa *Bellett. Conceditur licentia N. N. Clerico deponendi in Curia sæculari in causa vertente inter A. actorem ex una, & B. reum conventum ex altera, dummodò no deponat super articulis concernentibus criminalitatem, infamiam, repulsam, aut negativam, & juramentum veritatis dicendæ præstet in manibus nostris, vel nostri Vicarii Generalis. In quorum &c. Datum &c.*

Si verò Clericus absque licentia sui Ordinarii testimonium perhibeat coram
7 Judice laico, non ex hoc irritatur ejus depositio, sed venit attendenda, ita *Guidon Papa decis.*65.. *Diaz in praxi crim. Canon. cap.*98.*n.*25. *Genuensis d. cap.*43. *n.*4. *Sperell. decis.*50. *num.*14. *Bellett. part.*1. *tit. de Clerico teste* §.2. *n.*3. Sed verior sententia majori calculo Doctorum approbata est in contrarium, nempè quod si Clericus in criminali causa examinetur, absque sui Ordinarii licentia, nullum constituat probationis gradum illius depositio, immò neque judicium, ita *Filler. in praxi crimin. in fragment.n.*9. *Natta consil.*394. *lib.*2. *Grammaticus consil.*3.*n.*9. *&* 10. *de Grassis effect.*10.*n.*17. *Bellett. suprà* §.2. *n.*8. *Farinac. suprà n.*61., & latiùs *quæst.*62.*n.*261. *Sperellus suprà n.*19. Sed tu conciliando has inter se contrarias sentenrias dicas, primam habere
8 locum in causa criminali, civiliter mota, & ad defensam rei; secundam locum habere in criminali causa criminaliter intentata, præcipuè si agatur de pęna sanguinis, *Sperell. d. decis.*50. *n.*21. ubi *Doctores*.

Clerici, quamvis sint privilegiati, & inter personas privilegiatas computentur, qui regulariter cogi non possunt ad ferendum testimonium coram Judice laico, ad *Text. in cap. fin.* 14. *quæst.*2. *l. nec honorem C. de Episcopali audientia*: Attamen in subsidium, &
9 ubi veritas aliter haberi non potest, cogi possunt, non solùm in civilibus, sed etiam in criminalibus ad ferendum testimonium, ad *Textum in cap. quamquam* 14. *quæst.*2. per hæc verba: *Ubi nullæ idoneæ sæcularium inveniantur personæ, ne veritas occultetur*, & ita *Butrius, Abbas, Alex. Natta, Guttierez, Bellett. & alii, de Grassis, & alii* relati à *Sperello d. decis.*50. *n.*26. *& sequentibus, Farinac.* ubi *Doctores qu.*61. *n.*71. *&* 72.

Supradicta conclusio locum habet, dummodò non agatur de pęna sangui-
10 nis imponenda; nam hoc casu etiamsi veritas aliter haberi non possit, Clericus nequit cogi ad ferendum testimonium propter periculum irregularitatis, *Ferrett. quæst.*61.*n.*59. *Sperellus decis.*50.*n.*28., & *Nos* latiùs *lib.*19., ubi *de Irregularitate*.

Immò etiam si non agatur de pœna sanguinis, sed de alia corporali mitio-
11 ri, Clericus, ad offensam, testificari non debet, ad evitandas inimicitias, quæ faciliter propter hunc actum exoriri possent, & ne reddatur odiosus, & consequenter ne subtrahatur à Divino cultu, *Marta de Jurisdict. part.*4. *casu* 117. *n.*2. *Sperellus decis.*50. *n.*29.

ARGUMENTUM.

Clerico uti hærede Laici, vel alio jure obtinente possessionem bonorum per manus Judicis laici, casu, quo alius compareat prætendens eadem bona uti ad ipsum spectantia, an convenire debeat illum coram Judice suo Ecclesiastico, vel coram Judice laico, à quo Clericus possessionem obtinuit.

SUMMARIUM.

1 *Clericus, qui possessionem bonorum obtinuit à Judice laico, num pro eisdem bonis coram eodem conveniri valeat*, & num.2. & seq.

DISCEPTATIO XIX.

Quia non semel Clericus fit hæres laici; undè hoc casu juxta praxim nostri Regni debet expedire *Decretum*, quod dicitur *præambuli*, quo expedito, mittitur in possessionem bonorum per ipsum Judicem laicum, vel ubi aliàs ipse Clericus à manu Judicis laici recepit possessionem, si postea super eadem re conveniendus sit, an sit conveniendus coram ipso Judice laico, vel coram suo Ordinario Ecclesiastico.

Et circa utrumque regulam generalem constituimus, cum *vulgatis Juribus*, Clericum non posse conveniri co-
1 ram Judice laico, neque ratione personali, neque reali, aut hypothecaria, ad *Text. in cap. diligenti, cap. significasti de foro compet. Auth. statuimus, Cod. de Episcop. & Cleric. Bellett. disquis. Clerical. in rubrica de favore Cleric. personali §.1. ad 6. Rovit. decis.44. num.1.*

Ratio ea videtur; nam Clericus ubi actor fuerit, finito judicio, pro eadem re non valet trahi ad forum seculare;
2 ac proindè super eadem re quæcumque controversia orta fuerit, Judex Ecclesiasticus, non laicus elicitur Judex competens, *Carol. de Graff. de effect. Clericat. effect.1.n.784. de Franch. decis.193. n.9. & decis.376.* ubi *Addentes*, qui loquuntur, etiamsi agatur per viam reconventionis, *Rovitus suprà num.8.*

Hinc si per Judicem laicum Clericus fuerit immissus in possessionem bono-
3 rum, ex illo edicto, si postea, post adeptam possessionem, comparet laicus contradictor, coram Judice Ecclesiastico tenetur convenire Clericum ipsum in possessionem immissum, & non coram Judice laico, cum nullum jus amplius habeat in causa ipsa, *Zecca. in l. fin. n.397. C. de edicto D. Adr. tollendo, Menoch. de adipisc. possess. tom.4. n.476., Rovitus suprà n.9.*

Neque obstat illud quod dicit *Peregrin. de fideicommiss. art.48. n.62.*, ex
4 ex quo habetur, quod ubi Clericus immissus fuerit in possessionem bonorum vigore *dictæ legis finalis* cùm clausula *Salvo jure cujuslibet*, si postea conveniatur ab alio super eisdem bonis, teneatur respondere coram eodem Judice laico, fundans se in illa clausula, quasi quod illa operatur, ut semper Clericus respectu illorum bonorum sit alligatus, & teneatur stare juri coram Judice laico, quam doctrinam simpliciter sequitur idem *de Graffis sup. n. 947.* Cujus sententiæ antea fuit *Joannes Baptista Ferett. cons.27. num.3. & 10. & cons.30. num.2.*

Opinio enim *Peregrin. de Graffis, & Ferretti*, non est consideratione digna, cum videatur reprobata per *Gratian. discept. forens. cap.238. n.94.*, & per *Martam de Jurisdict. part.4. casu 159.* utrobique *Doctores, Rovitus suprà post n.9.* Ratio ea videtur, quia Judex laicus,
5 post latam sententiam immissionis favore Clerici, nihil amplius juris habet super causa; nam jam functus fuit officio suo; facit illud *Pauli de Castro in l. à D. Pio §. si post addictum, ff. de re judicata*, ibi: Si coram exequutore aliquis compareat, prætendens jus super re per eum vendita, non debet ipse summatim cognoscere, sed debet dicere: *Ego sum functus officio meo, vadas coram Judice*, ubi subdit.

Si ille Judex est competens, vel si ille non est competens, da libellum coram Judice competente, & in ordinario Judi-

Judicio ille Judex, qui pignus addixit,
6 vel rem vendendam mandavit, non est Judex competens, si forte ille, cui facta est addictio, non est sibi subjectus, & pro Clerico decisum habemus per Sacrum Consilium Neapolis, teste *Rovito dicta decis.44. per totam*.

De Clerico ægrotante, vel debilitato, ad librum tertium Decretalium tàm extra, quàm in 6.

ARGUMENTUM.

Clericus quinam dicatur ægrotans, & sic infirmus, vel debilitatus? Talis ubi fuerit, an sit privandus suo Beneficio, vel removendus ab Officio? An in quibusdam valeat exercere.

SUMMARIUM.

1 *Afflictis nova afflictio addenda non est.*
2 *Cum Beneficiatis infirmis Canones benignè agunt, ne terreantur qui inhiant Ecclesiæ inservire*, & n.5.
3 *Infirmitas definitur secundùm Jurisconsultos, ac Medicos.*
4 *Clericus infirmus juxtà Canones quinam dicatur.*
6 *Pœnæ inductæ sunt ad aliorum exemplum.*
7 *Clericus infirmus non est privandus Beneficio propter infirmitatem, neque de voluntate Papæ, & redditur ratio*, ut n.8.
9 *Clericus inhabilis effectus causa malæ valetudinis removeri potest ab exercitio Officii sibi incumbentis.*
10 *Clericus inhabilis effectus ad unum actum, num in reliquis exemptus sit?* & n.11. & 12. cum seq.

DISCEPTATIO XX.

NE afflictis nova injungatur afflictio, jura nostra sanxerunt, esse cum eis benignè agendum: hinc ad materiam,
1 de qua agimus, ubi Clericus beneficiatus effectus fuerit infirmus, vel debilitatus, cum eo benignè, & humaniter procedendum erit, quatenus sua infirmitate non valuerit obire munus eidem injunctum: & hoc non sine ratione, ne aliis ejus exemplo deterritis, fortè non
2 possit inveniri, qui velit Ecclesiæ inservire, ad *Text. in cap. cum percussio de Clerico ægrotante, vel debilitato*, ibi = *Fortè non posset, qui militaret Ecclesiæ, inveniri*. Undè Summus Pontifex *Gregorius* mandat, in supracitata Decretali *de Clerico ægrotante*, Clericum non esse impediendum, quin possit percipere ab Ecclesia consueta emolumenta, ac si sanus esset, ibique *Abbas*, *Fagnan. Barbosa*, & *Canonistæ communiter*. His positis.

Quinam dicatur ægrotus, vel debilitatus, & sic infirmus, videre est. Infir-
3 mitas, sive morbus, secundùm Jurisperitos nil aliud est, quàm *habitus cujusque corporis contra naturam, qui usum ejus ad id facit deteriorem, cujus causa natura ejus corporis sanitatem dedit* = ad *Text. in l. 1. §. sed sciendum*, ubi *Doctores*, *ff. de ædilitio Edicto*. Vel breviùs, *est habitus cujuscumque corporis præter naturam*, ut ex *d. §. sed sciendum*: & in effectu Jurisperiti conveniunt cum Physicis, qui dicunt, *esse mutationem naturalis status*, vel *statum naturalem mutatum actiones lædentem*, vel *affectum sive affectionem præter naturam actiones lædentem*, ita *Galen. de Sympoem. dif. cap.1. class.3. & lib.1. de Sanitate tuenda cap. 8. class. 2. Paulus Zacchius quæst. Medic.legal. lib.1.tit.1. quæst.9. n. 74.* Esse nihilominus remit-
4 tendam arbitrio Judicis quæstionem istam, quinam dicatur verè infirmus, docet *Menoch. de arbitr. Judic. casu 60. per tot. Addent. ad Sanfelic. decis. 416.*

Posito igitur, quod aliquis Clericus fuerit infirmus, vel debilitatus membris; itaut non valeat inservire Ecclesiæ, non ex hoc privandus erit suo Be-
5 neficio, nec removendus erit; nam aliter aliis deterritis forsan non invenirentur alii, qui voluerint Ecclesiæ militare; undè humaniter sunt tractandi, & cum eis benignè agendum erit; ne addatur afflictio afflictis, *Doctores communiter*.

Et ut dicit *Petrus de Ancharano in*

ca p

cap. cum percussio de Clerico ægrotante num.3. ex mala unius Clerici tractatio-
6 ne multi deterrentur, & multis minatur qui uni facit injuriam; sicuti pœna unius est metus multorum, ad *Text. in cap. Clericos de cohabit. Cleric. & mulierum.*

Ex prædictis collige, Clericos inhumaniter tractari, si tempore ægritudi-
7 nis, suis Beneficiis fuerint privati, vel privati illi fuerint fructibus suorum Beneficiorum, contra dispositionem *Text. in d. cap. cum percussio*: Undè singulariter infert *Abbas ad d. Textum num.3.* quod Clerici non debeant privari eorum Beneficiis, attenta debilitate, vel infirmitate, licèt illa gravis fuerit; itaut non valeant ipsi inservire Ecclesiæ, alia non subsistente causa, quam causa ipsa
8 infirmitatis, etiam ipso Pontifice volente; nam aliter turbaretur status Ecclesiæ, ibi: *Si exitienti in infirmitate, & sic in impotentia serviendi non debet subtrahi Beneficium, ne ex hoc turbetur status Ecclesiæ.* Imò Papa volens turbare statum universalis Ecclesiæ sine rationabili causa, non est tolerandus, *Fagn. in d. cap. cum percussio n. 5.*

Neque obstat *Textus in cap. tua nos hoc titulo*, ibi: *debet Officio removeri*; etenim, cum ibi actum fuisset coram *Clemente Papa III.* quid de Clerico leproso, Papa respondit, esse removendum ab Officio, ne scandalum sit populo,
9 quasi Papa voluisset dicere, quod debeat se abstinere ab exercitio muneris sibi injuncti: undè tantum removetur ab exercitio, non verò privatur jure, & titulo Beneficii, ita *Suarez de Censuris tom.5. disput.51. sect.2.*, *Campanil. diversf. Juris Canonici rubr.11. cap.17. n.160. Garzias de Benefic. part.4. cap.5. n.6. Lancellott. Institut. Canonic. lib.1. tit. de coadjut. §.1. Salgado de Potestate Regia tom.1. part.3. cap.2. n.44.*

Sequitur, ut videamus, an Clericus Beneficiatus, effectus ægrotans, puta infirmus, vel debilitatus, dicatur omninò irregularis, itaut non valeat exercere in munere sibi injuncto ratione Pastoralis officii, & in hoc dicimus, quod ubicumque effectus fuerit ita inhabilis,
10 ut non valeat exercere, venit omninò excusandus; hinc si fuerit effectus demens, & furiosus, & similis, tunc non debet, nec valet cogi ad inserviendum: secùs tamen esset, si in uno effectus fuerit inhabilis, in ceteris verò habilitatus remaneret; proindè Presbyter, cui medietas palmæ cum duobus digitis est abscissa, licèt Missam celebrare non valeat, ceteris tamen officiis Sacerdota-
11 libus fungi potest, undè valet baptizare, confessiones Sacramentales audire, & cetera munia obire, quæ compatibilia sunt cum sua infirmitate, ad *Text. in cap. Presbyterum hoc titulo*, ubi *Abbas, Barbosa, & alii Canonistæ, Garz. de Benefic. part.7. cap.12. n.18. Navar. consf.6. n.1. sub titulo de ætate, & qualitate, Ugolin. de Irregularitate cap.52. §.1. n.2. & cap.64. §.5. n.1. & de officio Episcopi cap.5. §.1. n.4. Sayrus de Censuris lib.6. cap.2. n.23. & cap.7. n.76. Reginald. in praxi fori pœnitent. lib.30. num.46.*

Per doctrinam verò *Abbatis Panormitani in d. cap. Presbyterum*, habetur quòd licèt quoquo modò Presbyter manum post promotionem amittat, ordinis executio impedita censeatur, hoc procedit circa illos actus, in quibus opus est manibus, secùs autem in aliis, ut me-
12 ritò dicere fas sit, ipsum posse prædicare, atque confessiones audire, non tantùm si sinistra manu careat, sed etiam si dextera: manuum namque impositio super caput Penitentis necessaria non est pro validitate Confessionis, ex *Soto in 4. Sent. dist.14. quæst.1. art. 4. per totum.*

Sola enim deformitas corporis impedit, quem promoveri ad Ordines, non autem impedit exercitium, quod est
13 compatibile, ut ex supradictis. Undè Presbyter, qui caret medietate manus cum duobus digitis, Missam non potest celebrare, alios verò Sacerdotales actus potest exercere, ad *Textum in d. cap. Presbyterum*, ubi *Abbas.* Sicuti non
14 valet celebrare, ubi fuerit infirmus, vel debilitatus, & qui sine scandalo non potest celebrare: exemplum erit de eo, qui non potest ascendere ad Altare sine Baculo, ita *Abbas ad citatum Textum in cap. Presbyterum.*

AR-

ARGUMENTUM.

Ubi Clericus fuerit infirmus, vel debilitatus, an ei debeantur fructus sui Beneficii? Et quid de Canonico infirmo, vel debilitato? Quid de Parocho ita existente, quoad fructus ipsos percipiendos ex Beneficio.

SUMMARIUM.

1 *Parochus inhabilis effectus ad expediendum munus suum an integros Beneficii fructus consequatur?*
2 *Canonicus infirmus lucratur distributiones quotidianas, perindè ac si interesset divinis Officiis, dummodò aliàs interesse consueverit*, & n.3.
4 *Podagra excusat Canonicum ab interessentia.*
5 *Canonicus lumine oculorum orbatus post obtentum Canonicatum, fructus percipit, ac distributionem etiam in absentia*, & num.6.
7 *Canonicis onus incumbit canendi in Choro.*
8 *Exemptus à toto etiam à parte censetur exemptus.*
9 *Clericus propter malam valetudinem dispensatus à recitatione Officii, ejus partem recitare minimè tenetur, neque obligatur horas Canonicas audire*, & num.10.
11 *Cæcus excusatur à muneribus personalibus.*
12 *Impeditus exequi Corporales functiones, non tenetur subire Corporalia munia.*
13 *Cæcitas totius corporis infirmitas reputatur.*
14 *Cæcus dicitur miserabilis persona etiam ad effectum fruendi Privilegio electionis fori.*
15 *Afflictis potiùs consulendum est, quàm eis novam afflictionem adjungere.*
16 *Canonicus infirmus participare debet etiam de Punctaturis aliorum Canonicorum citrà justã causam absentiũ.*
17 *Canonicus dispensatus à residentia habetur pro præsente*, & num.20.
18 *Per jus accrescendi portio deficientium cæteris accrescit.*
19 *Lex loquens in casu vero extenditur ad casum fictum.*
21 *Jus accrescendi operatur, ut portio non personæ, sed portioni accrescat*, & num.22.
23 *Accessorium sequitur naturam sui principalis.*
24 *Parocho infirmo, seu debilitato dandus est Coadjutor, constituta eidem congrua substentatione*, & n.25.
26 *Ubi fructus Beneficii Coadjutori, & Coadjuto minimè sufficiunt, quis eorum præferendus sit*, & nu.27. cum seqq.
29 *Parochiani tenentur supplere congruam substentationem Coadjutori, quatenus fructus non sufficiant*, & num.31. & seq.
30 *Titulus sublatus non remanet per commissionem exercitii alteri factam.*
33 *Administratio fructuum Beneficii num competat Coadjutori, sive Coadjuto.*

DISCEPTATIO XXI.

Parochus, ubicunque effectus fuerit ægrotans, debilitatus, itaut non valeat obire munus sibi injunctum, an percipere possit fructus integros sui Beneficii absque ulla diminutione, ac si inserviret, videre est. Et in hoc duo sunt distinguendi casus: vel agitur de
1 Canonicatu, vel agitur de Beneficio Curato. In primo casu dicimus, omnes fructus per integrum deberi Canonico, absque ulla diminutione, & sic debentur illi & victualia, seu distributiones quotidianæ, ad literam *Textus in cap.cum percussio de Cleric.ægrot.* ibi = *Sed secundùm ejus ordinem, quæcunque ei, si sanus esset, poterunt ministrari*, & ibi *Abbas num.6. Fagnan. num.11.* & *Doctores communiter*, concordat *Textus in cap. unico de Clericis non residentibus in 6.*

Fructus enim Beneficii Canonicalis non solùm spectant per integrum Ca-
2 nonico infirmo, sed etiam pariter distributiones quotidianæ, dum morbo impeditus non valet interesse inChoro, ac si præsens esset in illo, ad literam *Textus in d. cap. cum percussio hoc titulo,*

lo, cum quo pertransit *Covar. var. resol. cap.*13. *num.*8. *Hojeda de incompatib. Beneficii part.*1. *cap.*17. *num.*15. *Fuscus de visit. lib.*1. *cap.*20. *num.*26. *Guttierez Canonic. quæst. lib.*1. *cap.*1. *à num.*136. *Corad. ad sextum Decretalium collect.*18. *num.*8. *Leo in Thesauro fori Eccles. part.*3. *cap.*2. *num.*27. *Barbosa de potestate Episcop. alleg.*53. *num.*166. *Moneta de distribut. quotid. part.*2. *quæst.*5. *num.*6. *Rota coram Bichio decis.*167. *&* 626. *Nos latè de Canonicis quoad distributiones*.

Quod quidem intellige, modo is, qui infirmus est, ante infirmitatem so-
3 litus erat residere, & Officiis divinis interesse, ut docet *Covar. d. cap.*13. *num.*8. *Cored. Canonic. quæst. lib.*1. *quæst.*1. *num.*8. *Moneta dicta quæst.*6. *num.*21. *Barbosa d. alleg.*53. *num.*167. *Rota coram Bichio decis.*167. ubi habetur, distributiones, ut debeantur infirmo, duo requiri, nempe ut infirmus sit talis, qui attenta sua infirmitate non possit interesse in Choro: & alterum, quod ante infirmitatem Canonicus solitus fuerit interesse in Choro, & alia adducuntur ad rem considerandа.

Habetur etiam ea eadem *Rota coram Bichio decis.*626. quod laborans poda-
4 grâ, quia viva mors ea appellatur, excusetur ab interessentia in Choro, & nihilominus valeat lucrari quotidianas distributiones. *Nos* latè *dicto titulo de Canonicis*.

Sequitur, ut videamus, an Canonicus infirmus, & debilitatus, qui
5 post adeptum Canonicatum utroque lumine orbatus est, teneatur in Choro præsens esse; itaut alioquin non lucretur distributiones quotidianas: & circa præsens dubium, licèt gratis asserat *Navarrus* (nullam adducens authoritatem) *sub titulo de horis Canonicis cap.*19. *conclus.*8. eas non lucrari, ubi non residet; verior tamen videtur contraria sententia, videlicèt eas lucrari; pro qua secunda sententia facit *Textus in cap. cum percussio hoc titulo*, ex qua Decretali habetur, quod quidam Canonicus Urbevetanus adivit Gregorium Pontificem de persona, ibi: *Lator præsentium*, & tamen ægrotabat. Erat igitur talis sua infirmitas, quæ non impediebat eum ambulare, & Choro interesse; sed tantùm impediebat psallere, fortè quia amiserat Officium linguæ; prout observat *Joannes Andreas ad citatum Textum cum percussio*, ibique *Butr. num.*4. *Card. n.*6. *in prima opposit.* & *Abbas num.*7. Et nihilominus ibi *D. Gregorius Papa* respondit, huic Canonico in absentia, esse respondendum de redditibus Beneficii absque ulla diminutione, sicuti respondebatur, dum erat sanus, & sic etiam de victualibus, & distributionibus quotidianis.

Si igitur victualia, & distributiones quotidianæ debentur Canonico absen-
6 ti, qui propter impedimentum linguæ, non valet psallere in Choro; attamen potest præsens esse, absque auxilio alterius, multò fortiùs debitæ erunt Canonico cœco, qui nec potest psallere, cum nequeat legere psalterium, nec ad Ecclesiam accedere valet absque auxilio alterius; ut habetur ex *Textu in cap. penult.* 49. *dist.* ibi: *Cæcus lucem ignorat, & quo gressus porrigat nescit*, juncto *cap. cum ars, de ætate & qualitate* ibi: *Si cœcus cæcum ducat ambo in foveam dilabuntur*.

Etenim, etsi cœcus per se ipsum ad Ecclesiam accedere posset, adhuc ta-
7 men non teneretur divinis interesse: quod assumptum probari potest ita; Canonicorum obligatio est canere in Choro, ad *Text. in Clementina prima de celebratione Missarum*, ibi: *Fructum labiorum suorum*, & infrà, ibi: *Devotè psallatur*, & *D. Thomas* 2. 2. *qu.*83. *art.*12. & statuitur à *Tridentin. sess.*24. *cap.*12. ibi: *Atque in Choro ad psallendum instituto, hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devotèque laudare*.

Sed Canonicus cœcus non tenetur psallere, cum nec possit, nisi fortè inte-
8 grè psalterium memoriter teneret. Ergo nec tenetur Choro interesse; quandoquidem obligatio psallendi in Choro, est unica, & individua, cum sit quid facti *l. stipulationes non dividuntur ff. de verb. obligat. Doctores in l.*4. *eodem*. Ideoque, qui non tenetur ad totum, ad nihil tenetur, ad *Text. in l. ope-*

*l. operas ff. de oper. libert. Jason. in d. l. stipulationes num.*28. & ibi alii *Doctores*.

Et impeditus ob adversam valetudinem dicere majorem partem horarum,
9 non tenetur ad partem superstitem, *Novar. suprà cap.*11. *num.*15.

His accedit quòd qui ægritudine impeditur horas Canonicas recitare, non
10 tenetur illas audire, ut docet *Innoc. in cap.*1. *de celebr. Missarum*, & *Nos eodem titulo de celebrat. Missarum*.

Præterea cœcus excusatur à muneribus personalibus, ad *Text. in l.*1. *C.*
11 *qui morbo se excus. lib.*10. *cap. licèt de censibus, exact. & prot.* ubi id notant *Innocent. Hostiens. Joannes Andreas, Collect. Anania, & alii*.

Nec mirum, eo quia corporis debilitas eorum munerum excusationem
12 præstat, quæ corpore implenda sunt, *l.*2. §.*corporis ff. de vacatione munerum*. Totius autem corporis debilitas est ocu-
13 los perdidisse, ut inquit *Lucas de Penna in d. l.*1. *num.*4. ubi alii *Doctores*. Ergo similiter excusari debet cœcus ab hoc personali munere interessendi in Choro divinis Officiis, ut per *Joannem Franciscum Pavinum de visitat. num.*1. *quæst.*100.*part.*2.

Demum hæc sententia ultima videtur in dubio amplectenda, uti æquior,
14 & benignor; nam cœcus tanquam miserabilis persona est sub protectione Ecclesiæ *d. cap. licèt* juncto *cap. defensionis* 87.*dist.* utrobique *Canonistæ*, & *Nos* latè *sub titulo de foro competenti*, ubi de foro miserabilium personarum.

Etenim qui calamitate cœcitatis affligitur, non debet aliâ calamitate af-
15 fligi, ne afflictis injungatur afflictio, ad *Text. in cap.cum percussio* 7.*quæst.*1. Ideoque, potiùs est ei consulendum, quàm aliquid auferendum, ut de ipso dicit *Glossa in d. cap. licèt V. misereri*: concordat *Textus in l.*1. §.*casum ff. de postulat. l. cœcus ff. de judic.*

Non est abs re videre, an Canonico infirmo, non valenti ob suam infir-
16 mitatem inservire, liceat percipere portionem quotidianarum distributionem, quæ à Canonicis absque legitimo impedimento à Choro absentibus amissa, præsentibus accrescit: Et dicimus, adhuc hujusmodi distributionem, seu punctaturarum portionem, ei deberi, ex duobus fundamentis de quibus *Nos infrà*.

Primum fundamentum est, quia cum infirmus quoad percipiendas distribu-
17 tiones quotidianas fictè, ac juris interpretatione habeatur pro præsente in Choro, ad *Textum in cap. unico de Clericis non resid. in* 6. & ita *Abbas ad Text. in cap. cum percussio hoc titulo num.*7. *Covar. var. resol. lib.*3. *cap.*13. Sicuti portio deficientium per jus accrescendi verè interessentibus acquiri-
18 tur, ut docet *Glossa in Clementina, ut ii de ætate, & qualitate*. Ita debet acquiri infirmis, qui fictè, seu juris interpretatione sunt interessentes; nam
19 lex loquens in casu vero extenditur ad casum fictum: & præsentia ficta æquiparatur præsentiæ veræ, adeout fictè
20 præsens consequi debet ea, quæ verè præsentibus tribuuntur. *Joannes Andr. & Franch. in cap.cum in tua num.*3. & 4. *de consuetudine in* 6. *Jason. in l. si is pro tempore num.*284. *ff. de usucap.*

Alterum fundamentum est; quia in materia juris accrescendi portio portio-
21 ni accrescit, non autem personæ: *lege cum ex filio* §.*fin. ff. de vulgari, & pupill. substitut.* quia portio est illa, quæ
22 portionem ad se trahit, ut declarat *Ripa in l. re conjuncti ff. de legatis* 3. Et sicuti portio principalis distributionum debetur infirmo, quamvis à Choro ab-
23 senti, ita hæc quæ assumit naturam portionis, cui accrescit, *Ripa sup. n.*200. *Gomez var. resol. cap.*10. *num.*16. *vers. sed alterius, Fagnan. in cap. licèt n.*139. *de præbendis*. Et hæc de Canonico infirmo, vel debilitato quoad fructus sui Beneficii Canonicalis.

In secundo casu, videlicet ubi agitur de Parocho infirmo, vel debilitato, an
24 ei debeantur integri fructus sui Beneficii, videre est. Et in hoc dicimus, quòd ubicunque Parochus fuerit infirmus, vel debilitatus, hoc casu ei dandus erit Coadjutor, ne Parochiani detrimentum patiantur in spiritualibus: eidem Coadjutori assignatâ certâ congruâ portione super fructibus Beneficii, cum
25 non debeat elaudi os bovi trituranti, ut habetur ex sacris paginis. Undè, uti di-

dixi, Coadjutori danda erit congrua, pro sua alimonia, ad *Textum in cap. de Rectoribus hoc titulo* ibi: *Hoc volumus te tenere, quod eis dandus est Coadjutor, qui curam habeat animarum, & de facultatibus Ecclesiæ, ad sustentationem suam, congruam recipiat portionem*, concordat *Text. in cap. unico hoc titulo in 6.* ibi: *Coadjutores hujusmodi de proventibus Prælatorum, in quorum assumuntur auxilium, sumptus recipiant moderatos*: *Abbas in d. cap. de Rectoribus num.1. & per totum*, *Barbosa ibidem*, ac *Fagnan. num.8.*

Non est abs re videre, ubi redditus Beneficii non sufficiunt pro congrua su-
26 stentatione Rectoris Coadjuti, & Coadjutoris inservientis, quis eorum sit præferendus, super fructibus ipsis: & per ea, quæ dicit *Glossa finalis in cap. de Rectoribus hoc titulo*, de proventibus Ecclesiæ priùs est providendum Coadjutori, qui Ecclesiæ inservit, cum infirmo Rectori debeat providere Episcopus, ubi allegat *Textum in cap.1. & 2. 82.dist.* & ita *Abbas in d. cap. de Rectoribus num.5.*

Licet idem *Abbas dicto loco num.6.* contrarium firmet, videlicet, ut Re-
27 ctor infirmus præferatur Coadjutori, & ibi *Anania num.13.* asserentes hoc casu, Parochianos esse compellendos ad subveniendum Coadjutori.

Quæ secunda sententia mihi magis placet, ex quo majori æquitate, ac solidioribus nititur fundamentis; etenim Rector Beneficii, licèt ægrotus, adhuc dicitur Rector, & intelligitur Ecclesiæ inservire, quia non præstare servitium est quid per accidens, ergo illi priùs subveniendum erit de redditibus Ecclesiæ; nam aliter ejus exemplo alii essent deterriti: & fortè non posset inveniri, qui militaret Ecclesiæ, ad *Text. in cap. cum percussio hoc titulo*. Ipse verò habet titulum, & possessionem
28 una cum servitio; undè meritò præferendus est Coadjutori, qui nec titulum habet, nec possessionem, sed nudum exercitium tantùm, atque administrationem, *Rota recent. part.4. decis.410. num.5. Fagnan. in cap. de Rectoribus num.35.* ubi alii *Doctores*.

Nam aliter possessio penes duos esset contra *Textum in l.3. ff. de acquir. pos-*
29 *sess.* Undè hoc casu cum redditus Beneficii non sufficiant pro congrua alimonia utriusque, videlicèt Coadjuti, & Coadjutoris, tunc Coadjutori subvenire debent Parochiani, qui actuale servitium recipiunt, *Abbas in d. cap. de Rectoribus num.6.* ibique *Barbosa num. fin. Riccius decis.564. alias resol.494. num.11.*

Habemus igitur *Textum* apertum, secundùm intellectum communem,
30 quòd quando quis dicitur habere, seu obtinere Officium ab aliquo obtentum, hoc non intelligitur respectu tituli, sed respectu exercitii tantùm: atque ita jus, & titulus radicatus in persona uniùs non evellitur, licèt alteri dicti juris exercitium, & administratio concedatur, ad *Text. in l.3. ff. pro socio.*

Et in terminis Coadjutori habemus *Textum in cap. grandi*, ubi *Canonistæ*
31 *de supplenda negligentia Prælat. in 6. Abbas in cap. tua nos num.4. hoc titulo.* Unde meritò concludendum est, priùs esse præferendum super fructibus ipsis verum Rectorem, licèt actu non inservientem: & de superfluo subveniendum est Coadjutori, vel ei subvenire debent in subsidium Parochiani, ut suprà.

Et pro hac secunda sententia pariter habemus bonam *Glossam in cap. omnis Christianus V. vacuus de consecrat. dist.1.*
32 & quod legitur, & notatur in *cap. ad audientiam il 1. de Ecclesiis ædificandis, ac Tridentin. sess.21. cap.4.* ex quibus juribus habetur, quòd, ubi redditus Ecclesiæ non sufficiunt prò Rectoribus Parochialium Ecclesiarum noviter erectarum, valeat per Episcopun cogi Populus ea subministrare, quæ ad illorum vitam sustentandam sufficiunt.

Demum circa id, quòd respicit materiam fructuum Beneficii, nota cum
33 *Abbate in d. cap. de Rectoribus n.5.* redditus, seu fructus Beneficii, circa illorum administrationem, spectare ad Rectorem Beneficii, ægrotantis, vel debilitati, ubicunque illi appositus fuerit Coadjutor in spiritualibus tantùm, ex quo non valet exercere. Quoties verò infirmitas fuerit ita gravis, itaut non valeat inservire neque in spiritualibus, neque in temporalibus, ex quo fue-

fuerit amens, vel furiosus, & similis; & tunc Coadjutor facultatem habet administrandi tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus. Ego tamen puto, standum esse literis patentalibus Ordinarii loci, qui deputavit aliquem in Coadjutorem.

ARGUMENTUM.

De Coadjutore dando Episcopo, vel Parocho infirmo, vel debilitato non valenti obire munus sibi injunctum ratione Pastoralis Officii; ubi à quo dandus erit?

SUMMARIUM.

1 *Ecclesia miseratione utitur in Beneficiatos afflictos.*

2 *Episcopo infirmo datur Coadjutor etiam invito, quatenùs tamen infirmitas sit perpetua*, ut n.3. & seq.
Declara, ut n.6.

5 *Beneficia Ecclesiastica conferuntur in perpetuum.*

7 *Episcopo impedito exercere munus sui constituendus est Coadjutor à Summo Pontifice.*

8 *Coadjutoria alia est temporalis, alia verò perpetua.*

9 *Coadjutoria cùm futura successione dicitur Beneficii provisio præventivè facta.*

10 *Coadjutor Episcopi cùm futura successione an valeat administrare etiam invito Episcopo Coadjuto.*

11 *Coadjutor dicitur, quia onus eidem inhæret opem ferre Coadjuto.*

12 *Episcopus Coadjutus jurisdictionem habitu retinet.*

13 *Episcopus, cui datus fuit Coadjutor, nequit exercitium Jurisdictionis alteri delegare.*

14 *Coadjutor Episcopi debet eamdem Episcopalem domum inhabitare, atque in consueto Tribunali Episcopali jus reddere.*

DISCEPTATIO XXII.

UTI aliàs diximus, ne afflictis nova addatur afflictio, ad *Text. in cap. ex parte hoc titulo*, ubi *Canonistæ communiter*, *cap. cum percussio 7. quæst. 1. cap. judicas 3. qu. 9. cap. ad ejus 5. dist.* ubi *Doctores*. Sed potiùs illorum mise-
1 riæ miserandum erit, ad *Text. in cap. licèt de censibus exact. & procurat. l. jure succursum, ff. de jure dotium*, ubi dicitur, afflictum in uno relevandum esse in alio, ne detur afflictio afflicto, *Hostiensis, & Butrius ad citatum Textum in cap. ex parte*, ubi *Abbas, Fagnan. & alii Doctores*.

Hinc ubi Episcopus propter incurabilem morbum Pastorale officium exercere non valet, ei dandus erit Coadjutor, ad literam *Text. in cap. ex parte hoc titulo*, ubi *Canonistæ communiter*. Undè non valet privari suâ Ecclesiâ, sed
2 tantùm ad recipiendum Coadjutorem, qui datur etiam eo invito, ad *Textum in cap. de rectoribus hoc titulo, cap. consultationibus*, pariter *hoc tit.* Concordat *in cap. unico, §. verum hoc eodem titulo in 6.*

Si verò morbus sit curabilis, & temporalis, nedum Episcopus non cogi-
3 tur cedere, quod fieri non debet, sed nec dandus est illi Coadjutor, ut notat *Abbas in cap. ex parte in 1. notabili hoc titulo.*

Ratio autem valdè notabilis cur non sit privandus ea est, ne aliis deterritis
4 hoc exemplo, non inveniatur, qui Ecclesiæ inserviret, ad *Text. in cap. cum percussio sæpiùs citato suprà hoc titulo*, ubi *Canonistæ communiter*. Aliam rationem adducit *Glossa in d. cap. ex parte*, ibique *Hostie. f. n.3. Jo: Andr. n.5. Card. n.3.* quia scilicet Beneficia Eccle-
5 siastica debent esse perpetua, ad *Text. in cap. præcepta 55. dist. argum. legis quæsitum, ff. de adopt.*, necnon argumento *Textus in l. hæreditas, ff. de hæredibus instituendis*, ibi = *Hæreditas ad diem, vel ex die non rectè datur, sed vitio temporis sublato, remanet institutio*, cum aliis exemplis.

Fallit supradicta conclusio in electo in Episcopum, & confirmato, qui ante

consecrationem effectus fuerit inhabilis;
6 nam huic non datur Coadjutor, sed amovendus erit in totum: etenim ante consecrationem non dicitur desponsatus suæ Ecclesiæ, cum per consecrationem recipiat anulum desponsationis, ut *communiter Doctores* apud *Fagnan. in cap. consultationibus hoc titulo n.7. Abbas in cap. ex parte hoc titulo n.* 4. ibique *Fagnan. n.2.*

Episcopo non valenti exercere munus sibi injunctum Coadjutor dandus erit à
7 Papa; etenim, cum agatur de causis majoribus, illæ à solo Papa sunt decidendæ, ad *Textum in cap. unico de Clerico ægrotante, vel debilitato in 6.* illius enim est instituere, vel destituere Episcopos; undè videtur moderatus *Text. in cap. ex parte hoc titulo*, ubi *Abbas num.3.*

Coadjutoria, de qua loquimur, duplex est, una dicitur temporalis, & ad vitam Coadjuti, vel quæ datur ad nutum constituentis Coadjutorem; alia
8 est perpetua, & cum futura successione, quæ ex stylo Curiæ est adinventa, ut apud *Cassador. decis.2. de restitut. spoliat.* cujus formam ponit *Mandos. regula* 11. *qu.6.* Quæ non expirat per mortem Coadjuti, vel per revocationem, ut per *Doctores communiter*: per hujusmodi enim gratiam præventivam acquiritur Coadjutori in Beneficio jus ad rem, undè eveniente vacatione per obitum Coadjuti, efficitur jus plenum; adeout
9 non requiratur nova collatio, sed absque aliquo ministerio gratia Coadjutoriæ ex primo jure sibi concesso sortiatur effectum suum; cùm Papa in istis Coadjutoriis ex tunc prout ex tunc faciat collationem, *Garz. de Benefic. part.4. cap.5. num.128.*

Sequitur, ut videamus, an perpetuus Coadjutor datus Episcopo cum futura successione, & cum libera potestate administrandi &c. prout in Bulla, & Brevi Coadjutoriæ, possit solus administrare quæ sunt jurisdictionis spiritualis, seu temporalis, ipso Coadjuto Episcopo contradicente. Et videtur distinguendum:
10 aut Coadjutor datus est Episcopo dementi, vel alias omninò inhabili, ut in casu *cap. unici*, §. *si verò Episcopus hoc titulo in 6.*, ubi *Doctores*; & hoc casu Coadjutor potest solus administrare; quia cum non possit Prælatus præstare rationalem consensum, vel dissensum, §. *furiosus Instit. de inutilibus stipulationibus*, Coadjutor liberè exequitur, ut habetur ex *d.* §. *si verò suprà*. Aut Coadjutor datus est impedito, vel aliàs non prorsus inhabili: sed propter gravem infirmitatem Pastoralia munia per se ipsum exercere non valenti: & tunc non potest solus exequi, & expedire ea, quibus Prælatus rationabiliter contradicit.

Probatur primò ex vi nominis; nam ut formaliter arguit *Franchus in d. cap. unico in fine*, dicitur Coadjutor, quia coadjuvat, ergo non solus; Item ex vi
11 definitionis, nam Coadjutor est qui ad hoc datur ex causa juris, vel Judicis auctoritate, ut coadjuvet. Secundò Prælatus, cui datus est Coadjutor, retinet habitu potestatem, & jurisdictionem, ut patet ex *Textu in cap. ex parte hoc titulo*, ubi *Fagnan. n.22.* ibique alii *Canonistæ*.

Tertiò facit, quia reverentia, quæ inculpabiliter exhiberi debet Prælato,
12 cui constitutus est Coadjutor, non patitur, ut eodem Prælato invito, omnia possit expedire ipse Coadjutor, in quem communicata quoad exercitium, & non translata est jurisdictio penitus, quoad habitum, ad *Textum in d. cap. ex parte*, ubi *Canonistæ*.

Demum nota, quod ubicumque Coadjutor datus fuerit Episcopo seni, vel ægroto de ejus consensu, & cum futura successione, & cum plena, libera, ac omnimoda facultate in temporalibus, & spiritualibus administrandi ea omnia, quæ ad officium Coadjutoris pertinent: hoc non obstante non valet Coadjutor se immiscere in exercitio Pontificalium, neque jurisdictionalium, quibus defungi potest, & vult ipse Episcopus, nec ea solus expedire valet, quibus ex rationabili causa Episcopus contradicit. Ea ve-
13 rò, quæ Episcopo impedito Coadjutor exercere potest, & vult per se ipsum, non potest is alteri delegare. Et quæ Coadjutor in casibus prædictis, & aliis sibi à jure, & consuetudine permissis, gessit, & expedivit, similiter Episcopus revocare non valet. Ad hæc, si domus Epi-

Episcopalis commodè capere potest Episcopum, & Coadjutorem, conveniens in ea habitatio est impertienda ipsi Co-
14 adjutori. Coadjutor autem separatum tribunal statuere, aut habere non potest, sed in consueto tribunali Episcopi jus cuique reddendum est, ita ex *Fagnan. in cap. ex parte hoc titulo, circa finem*, ubi ista dicit ex mente Sacræ Congregationis.

ARGUMENTUM.

Parocho ægrotanti, vel debilitato, an, & quatenus dari possit Coadjutor, ubi à quo veniat constituendus, & qua mercede.

SUMMARIUM.

1 *Parocho infirmo, vel debilitato dandus est Coadjutor, & quibus casibus*, & n.6. cum seq.
2 *Coadjutor Parochi verus Rector non est, sed titulus remanet apud Coadjutum*, & n.3.
4 *Coadjutor à quonam constituendus sit.*
5 *Coadjutor cessat, cessante causa, pro qua deputatus extitit.*

DISCEPTATIO XXIII.

UBicumque Rector Parochialis Ecclesiæ effectus fuerit infirmus, vel debilitatus, & impeditus, itaut non possit obire munus sibi injunctum ratione Pastoralis officii, ne subditi detrimentum patiantur in spiritualibus: & ne afflictis
1 injungatur afflictio, jura nostra sanxerunt, non esse privandum suo Beneficio, sed tantùm ei dandus erit Coadjutor arbitrio Ordinarii loci, ad quem spectat instituere, & destituere, ad *Textum in cap. de Rectoribus hoc titulo*, ibi = *Dandus est Coadjutor, qui Curam animarum habeat*, concordat *Textus in cap. ex parte hoc eodem titulo*, ac pariter *Textus in cap. consultationibus hoc titulo*, ubi *Canonistæ communiter*, *Garzias de Benefic. part.4. cap.5. n.1.*

Coadjutor enim datus à legitimo Superiore, licèt nomen Rectoris assumat; attamen verus Rector non est, sed tan-
2 tũ actu dicitur Rector, idest quoad exercitium tantùm, non autem quoad habitum ipsius Curæ, quæ remanet penes ipsum Coadjutum, ut docet *Hostiensis*, *Joannes Andr. Abbas*, *Fagnan. n.34.* & alii *in d. cap. de Rectoribus*. Et eodem modo intelligi debet *Text. in cap. tua hoc titulo*, dum dicit, leprosum removeri ab officio administrationis; quoniam Sacerdos leprosus privatur officio actuali administrationis, sed dignitatem tenet, sive officium, quod jus resonat, ut ex *d. cap. ex parte*.

Ex supradictis juribus patet, Rectori Beneficii habenti Curam sibi annexam,
3 vel aliquod officium, posito quòd redditus fuerit inhabilis eidem dandus, & constituendus erit Coadjutor; remanet verò Rector, quoad habitum, respectu tituli, licèt exercitium non habebit, ut de Episcopo, juxta *Textum in d. cap. ex parte*, juncto *cap. unico eod. titulo in 6.* Et de Rectore Parochialis Ecclesiæ, juxtà *Textum in cap. de Rectoribus suprà*. Et de Archidiacono, juxtà *Textum in d. cap. consultationibus*, ibique *Canonistæ communiter*. Et de habentibus personatum, vel quodcumque officium certi Ministerii, docet *Hostiensis in cap. consultationibus n.1.*, ubi *Fagnan. n.3.* Et de Generali perpetuo alicujus Religionis, tradit *Ancharan. conf.118.n.7. & 12.* Et generaliter de quocumque Prælato, notat *Glossa in d. cap. consultationibus*, ubi *Hostiensis*, *Joann. Andr. Butrius*, *Fagnan. n.3. ad 7.*

Coadjutor dandus erit Parocho ab ipso Ordinario loci; nam sicuti illius
4 est instituere, ita, & destituere, datâ legitimâ causâ; undè eo fortiùs Coadjutores dare, ad *Text. in d. cap. de Rectoribus*, ibi = *Hac volumus, te tenere, quod eis dandus est Coadjutor, qui Curam habeat animarum*, ibique *Canonistæ communiter*, cum *Fagnano*. Facit *Trident. sess.7. cap.7. & sess.21. cap.6. Gonzalez ad Regulam 8. Cancellariæ hodie nonam*, *Glossa 5. §.9. n.36.*

Ipse verò Coadjutor dandus erit illi ad tempus, & ab ipso Ordinario ad sui
5 beneplacitum, ac durante causâ, propter quam datur; nam cessatâ causâ, removendus erit, ex nota satis *regula Juris*

ris in cap. cum cessante de regalis Juris, ubi *Tiraquellus* latè.

In quibus autem casibus Coadjutor hujusmodi assignari possit: Et in quampluribus videtur respondendum, de quibus *ex toto titulo Decretalium de Clerico ægrotante, vel debilitato tàm extra, quàm in 6.* utrobique *Doctores communiter*.

Prima causa erit, ubicunque Rector Ecclesiæ factus erit ita leprosus, scili-
6 cet leprâ coinquinatus, quòd Altari non valeat servire, nec sine magno scandalo eorum, qui sani sunt, Ecclesias ingredi: hoc enim casu, ne majori afflictione afficiatur, dandus erit ei Coadjutor, non autem orbandus suo Beneficio, ad *Text. in d. cap. de Rectoribus*, ibique *Fagnan.* juncto *cap. unico eodem titulo in 6. Gonzalez supradicto §.9. per totum*.

Secunda causa erit, ubicunque Clericus Beneficiatus, morbo paralytico
7 laborans, officium linguæ amisit, huic enim dandus erit Coadjutor, ad *Text. in cap. consultationibus de Clerico ægrotante, vel debilitato* ibi = *Archidiacono autem, quem morbo paralytico laborantem officium linguæ asseris amisisse, Coadjutor est meritò adhibendus*, ubi *Abbas, Felinus, Barbosa, Fagnan. & communiter Canonistæ*.

Dantur in jure aliæ causæ, quibus existentibus, Coadjutor dandus vide-
8 tur Parocho; sed cum ad præsentem materiam non spectent, meritò remitto lectorem ad titulum *de Parochis, discept.* 17.

Coadjutori (quicunque ille fuerit) præstanda sunt alimenta super fructibus
9 Beneficii, juxta dispositа per sacros Canones, *in cap. de Rectoribus, cap. tua nos, cap. consultationibus hoc titulo de Clerico ægrotante, vel debilitato*, & de hoc vide, quæ diximus *supra disc.* 2.

ARGUMENTUM.

De peculio Clericorum, ubi unde nomen? illud quotupliciter sumi possit? Peculium Clericorum quale dicatur. Bona acquisita ex redditibus Ecclesiæ an acquirantur Ecclesiæ ipsi? ibique demonstrabimus, an Clericus Beneficiatus dicatur usufructuarius, vel usuarius bonorum Ecclesiæ.

SUMMARIUM.

1 *Peculium undè dicatur, undè pecunia.*
2 *Peculium triplex est: Castrense, profectitium, atque adventitium.*
3 *Peculium castrense, seu quasi in Clerico quid sit.*
4 *Acquisita ex rebus Ecclesiæ sunt ipsius Ecclesiæ, nec potest Clericus de illis disponere, nisi acquisitiones factæ probentur ex proprio Clerici patrimonio*, ut num. 5.
6 *Clericus emens nomine proprio de bonis Ecclesiæ, in pœnam removetur ab administratione, & tanquam fur reputatur*, num. 9.
7 *Rector Ecclesiæ non efficitur Dominus fructuum bonorum, seu oblationum ejusdem Ecclesiæ*, & n. 10. cum seq.
8 *Res empta ex bonis Ecclesiæ, quæritur ipsi Ecclesiæ, quamvis proprio Rectoris, vel alieno nomine fuerit comparata.*
10 *Beneficiatus ex Ecclesiæ redditibus subvenire debet indigentibus, & prius consanguineis, atque amicis juxta ordinem charitatis*, & n. 11. cum seqq.
14 *Fundans Beneficium ex redditibus Ecclesiæ sibi juspatronatus minimè acquirit.*
15 *Clericus testari nequit de melioramentis factis super bonis Ecclesiæ.*
16 *Clericus beneficiatus num dicatur usufructuarius, vel potiùs usuarius bonorum Ecclesiæ*, & n. 17. cum seqq.
24 *Ecclesiastici nequeunt de bonis Ecclesiæ ditare conjunctos, cum illa dicantur patrimonium pauperum.*

DI-

DISCEPTATIO XXIV.

De peculio Clericorum cum acturi simus, Nobis primo loco est demonstrandum, undè derivet hoc nomen *peculium*. Dicitur *peculium* à pecunia, quasi pusilla pecunia, ad *Text. in l. si chorus* §.1. *ff. de legatis* 3., *l.* 1. §. *pecu-*
1 *lium*, *ff. de peculio*: pecunia verò dicitur à pecudibus, vel pecoribus, ex quibus olim ab initio patrimonia præcipuè constabant, ad *Text. in cap. totum* 1. *q.*3., & ita ex *Isidoro lib.*5. *etymologiarum cap.*25. *Abb. & Barbosa*, *in Rubrica hujus tituli*.

Quotuplex illud sit, sequitur, ut videamus. Et in quatuor species dividi solet, nempe in profectitium, adventi-
2 tium, castrense, & quasi castrense. Profectitium est illud, quod filio obvenit ex Bonis patris, vel contemplatione illius proficiscitur: & istud non acquiritur filio. Adventitium est illud, quod filio advenit aliundè, puta ex donatione, vel successione, vel ex industria sua, vel aliâ extraneâ causâ filius acquirit: & proprietas hujus peculii acquiritur filio, usufructus verò acquiritur patri in vita ejus. Castrense verò est illud, quod in castris, vel contemplatione militiæ quæsitum est. Quasi castrense est illud, quod acquirit filius, vel suâ scientiâ, puta advocando; nam Advocati quasi militant *l. advocati C. de advoc. div. judic.* & idem videtur dicendum, ubi munus publicum exercet, & istud judicatur quasi castrense peculium.

His generaliter sumptis, sequitur, ut videamus quale dicatur peculium ca-
3 strense, vel quasi castrense in Clerico: & tale potest dici in illo, quodcumque peculium ei provenit ex Beneficio Ecclesiastico: & hoc esset verum, tenendo opinionem, quòd Clericus facit fructus suos, juxtà adnotata *in cap. præsenti de offic. Ordin. in* 6. Licèt alii putant, quòd illud quod est castrense, vel quasi castrense in laico, sit adventitium in Clerico, quia peculium adventitium acquiritur, quoad usufructum, ad *Text. in auth. presbyteros*, *C. de Episcop. & Clericis*, *Hostiensis*, & alii *in cap. quia de testamentis*, *Abbas in Rubrica hujus tituli*.

De bonis igitur acquisitis ex bonis suæ Ecclesiæ Clericus disponere non
4 valet in favorem aliorum; nam emptum ex pecunia Ecclesiæ, efficitur ipsius Ecclesiæ, licèt Clericus emat nomine proprio, ut benè *Abbas in cap. Investigandum num.*4. *hoc titulo*, *Barbosa ibidem num.*1.

Potest verò hæres Clerici in casu prædicto probare rem emptam fuisse ex bonis ipsius Clerici, non obstante quòd ille non habebat proprium patrimoniū:
5 posito quòd erat homo industriosus, vel quia erat bonus Doctor, vel bonus Scriptor, & simile; nam ista acquisita ex industria non sunt Ecclesiæ, sed uti patrimonialia, spectant ad hæredes Clerici defuncti, si aliter non disposuerit, *d. cap. quia nos de testamentis*, vide quæ Nos latè *de Præsumptionibus*.

Quicumque enim Clericus, seu Ecclesiæ Rector aliquid emit de bonis Ecclesiæ, cum non dicatur emere ex pecu-
6 lio suo, nomine ipsius Ecclesiæ emere debet; aliter in pœnam removendus erit ab administratione, ad *Textum in cap. Presbyter*, ubi *Abbas antiquus*, *Abbas Panormitanus*, *Joannes Andreas*, *Anania*, *Butrius*, & alii apud *Barbosam ad citatum Textum*, *Aligona in Compend. Juris Canonici*, *Anton. August. Coll.*1. *Decretal. lib.*3. *tit.* 21. *cap.*2.

Rector enim Ecclesiæ non est domi-
7 nus fructuum Beneficii; nam, si efficeretur dominus, posset acquirere sibi ex redditibus ad sui libitum; cujus contrarium videtur decisum per *Textum in d. cap. Presbyter*, cum quo concordat *Textus in cap. inquirendum*, juncto *cap. fin: si quis hoc eodem titulo*.

Empta igitur per Prælatum ex emolumentis Ecclesiæ efficiuntur Ecclesiæ, licèt Prælatus emerit nomine alieno: Statuit enim Concilium Rhemense in
8 *d. cap. inquirendum*, quod si aliqui Presbyterorum, de redditibus Ecclesiæ, vel oblationibus Ecclesiæ, vel votis fidelium res aliquas comparaverint, non nomine Ecclesiæ, sed alieno, Ecclesia poterit illas petere, si constiterit, quòd bonis Ecclesiæ fuerint comparatæ, & ipse, qui hoc fecit, debet puniri: quia sicut

ſicut non ſuo nomine, ita nec alio de facultatibus Eccleſiæ in proprium com-
9 pendium diſponere debet: hoc enim ſacrilegium eſt, & par crimini Judæ furis, qui ſacras oblationes furabatur.

Ex ſupracitato *Textu in cap. inquirendum* nota, quòd Rector Eccleſiæ nec redditus Eccleſiæ, nec oblationes, nec data prætextu Voti facit ſua, ſed ce-
10 dunt utilitatibus Eccleſiæ: imò Rector aliter de eis diſponendo, comparatur perdito Judæ, qui furto ſubtrahebat oblationes datas Apoſtolis: undè non ſolùm furtum, ſed etiam ſacrilegium committit, acquirendo conſanguineis de redditibus Eccleſiæ.

Non videtur tamen eidem denega-
11 tum, quin poſſit ſuis conſanguineis congruam ſuſtentationem dare (quatenus eguerint) de bonis Eccleſiæ: imò potiùs tenetur ſuis amicis, & conſanguineis, quàm alienis *cap. non ſatis* 86. *diſt.*
12 *cap.* 1. *de cohabitat. Cleric. & mulierum.*

Non debet verò eis tantum tradere,
13 ut faciat divites, ſed ut ſubveniatur aliis indigentibus *cap. monemus* 12. *quæſt.* 2.

Hinc deducitur primò, quòd ſi Clericus de bonis Eccleſiæ Capellam, ſeu Eccleſiam ædificet, non acquirit ſibi jus-
14 patronatus, ſed Eccleſiæ: undè efficitur juspatronatus Eccleſiaſticum, ad *Text. in cap. Apoſtolicos in fin.* & ibi *gloſſa v. contraxiſſe* 12. *quæſt.* 2. ubi *Archidiac. n.* 4. *Lambertinus de jurepatron. lib.* 1. *part.* 1. *quæſt.* 8. *art.* 7. & 8. *Rot. in rec. part.* 2. *dec.* 241. ubi *n.* 6. aſſerit, hoc fallere, ubi apparet, Epiſcopum noluiſſe Eccleſiæ, ſed potiùs alteri acquirere.

Deducitur ſecundò, quòd meliorationes factæ per Prælatum in rebus Eccleſiæ ſuæ ſint tantùm in vita, etiamſi dimittat beneficium, ſed de his teſtari non poteſt, ita ex Concilio Toletano *cap. ſi quis de peculio Clericorum*, ubi *Abbas*, *Barboſa*, & *Fagn. n.* 1. & *Doctores communiter*. Ex quo *Textu* colliges, Rectorem Eccleſiæ tantùm uſque ad ſuam vitam poſſidere, & poſt illius
15 deceſſum Bona ab eo acquiſita ex redditibus Eccleſiæ, vel meliorationes factas in bonis Eccleſiæ, tranſire ad dictam Eccleſiam, ut ex præcitatis verbis *Text. in dicto cap. ſi quis*, ibi *= uſque ad diem obitus ſui poſſideat, verùm poſt ſuum deceſſum Eccleſiæ reſtituat, nec teſtamentario, aut ſucceſſorio jure cuiquam hæredum pro hæredemque relinquat.*

Ex ſupradictis oritur examinanda quæſtio, an Clericus Beneficiatus dica-
16 tur uſufructuarius, vel uſuarius bonorum ſuæ Eccleſiæ: & circa præſentem quæſtionem multùm invaluit *Gloſſa in cap. præſenti de offic. Ordin. in* 6. diſtinguens inter Clericum habentem adminiſtrationem; & inter Clericum ſimpliciter Beneficiatum, uti eſt Canonicus, qui non dicitur habere adminiſtrationem Eccleſiæ. Primo caſu voluit *Gloſſa*, quòd Clericus comparetur uſufructuario in vita, & ſic poſſit donare de rebus Eccleſiæ, moderatè tamen, ad *Textum in cap. ceterum de donationibus*.

In infirmitate verò comparatur uſuario, qui non poteſt aliquid donare, niſi intuitu eleemoſynæ, ad *Text. in cap. quia*, *cap. relatum de teſtamentis*. Non habens verò adminiſtrationem comparatur uſufructuario in vita, & in morte, itaut de iſtis redditibus teſtari poſſit: latè *Abbas in dicto cap. ſi quis*, & *cap. cum eſſes de teſtamentis*, *Fagnanus* verò ad citatum *Textum in d. cap. ſi quis num.* 1. *verſ.* 2 *notadicit*, non eſſe bonam æquiparatio-
17 nem de uſufructuario ad Beneficiatum; cùm non valeat fieri æquiparatio per omnia. Etenim Rector Beneficii in ſolo Eccleſiæ poteſt plantare vineam ut ex *d. cap. ſi quis*, ubi *Canoniſtæ*, quod non valet facere uſufructuarius, ad *Text. in l. quamvis*, & *C. uſufructua-*
18 *rius ff. de uſufructu*. Item uſufructuarius tenetur ſatisdare ad præſcriptum *cap. finalis*, & ibi *Gloſſa V. cautionem de pignor. l. uſufructu C. de uſufructu*: Prælatus verò non, cum hoc non reperiatur in jure cautum. Item uſufructua-
19 rius facit abſolutè fructus ſuos, & de his teſtari poteſt, ſi ſint ſeparati à ſolo, & reconditi, *l. Arboribus, §. Julianus, ff. de uſufructu*, *l. ſi fructuarius ff. quibus modis uſufruct. emitt.* At Clericus de redditibus Beneficiorum, & melio-
20 rationibus factis in bonis Eccleſiæ teſtari non poteſt, ut habetur ex *d. cap. ſi quis*, *cap. quia nos de teſtam. cap. quia Joannes* 12. *quæſt.* 5.

Et

Et quamvis de quæsitis ex industria possit Clericus testari, eaque ab intesta-
21 to relinquere: hoc tamen non potest, si illam industriam impendit in rebus Ecclesiæ; undè augumentum, & utilitas rebus suis annexa, cedit in utilitatem Ecclesiæ, separata verò cedit ejus lucro, & sic de ea poterit testari, ut in *cap. quia nos de testam.* & ita *in d. cap. si quis* formaliter tenet *Ancharanus n. 2. Butr. n. 4. Card. n. 3. Abbas n. 2.* Et ex
22 his *Glossa* tandem videtur concludere, Clericum beneficiatum non esse dominum fructuum, sed potiùs comparari usuario.

Diximus suprà, Clericum beneficiatum esse usufructuarium in vita, usua-
23 rium verò in morte; huic sententiæ suffragatur *Tridentin. sess. 24. cap. 12.* ibi: *Privatur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, & residentiæ fecit suos.* Concordat *cap. 1. sess. 23.* ibi: *Pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere.* quòd clarè innuit, à contrario sensu, Episcopos, & Parochos facere fructus suos, dum residendt. Quod etiam apertè colligitur ex *Constitutione Julii III.* quæ incipit: *Cum sicut*, emanata 26. *Junii* 1550. ibi: *Fructus occasione Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore provenientes, licèt, postquam ad manus Beneficiatorum pervenerunt, & cum aliis ipsorum Beneficiatorum fructibus commixti sunt, non alterius in Ecclesiasticis, sed potiùs ipsorum beneficiatorum propriis, & ab eis acquisitis bonis judicari, & propterea quodammodo pro secularibus, & prophanis haberi consueverint; nihilominus, quandiù Beneficiati illos non exegerint, verè Ecclesiasticos esse, & censeri debere:* undè hæreticum non est dicere (ut putavit *Archidiac. in cap. statutum de rescript. in 6.*) de jure Canonico, Clericum facere fructus suos; nam contra eum stat litera *Tridentin. & Constitutio Julii III. suprà.*

Caveant tamen Clerici, ne ex redditibus Ecclesiasticis ditent parentes,
24 cum id quod superest, sit de mensa pauperum; nam aliter non effugient Divinam ultionem, ut notat *D. Thom. 2. 2. quæst. 185. art. 7. ad 2.* ibi: *Hæc est approbanda liberalitas, ut proximos seminis tui ne despicias, si egere cognoscas, non tamen ut illos ditiores fieri velis.* Et D. Bernardus ad illa verba: *Ecce nos reliquimus omnia*, ibi: *Non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos, aut nepotes, aut neptes neque cui tradat: non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet &c.*

ARGUMENTUM.

Clericus Beneficiatus, qui habeat pingue peculium ex Beneficio non faciens eleemosynam pauperibus, an peccet contra justitiam, vel contra charitatem, demonstrabimus.

SUMMARIUM.

1 *Clericus ex superfluis Ecclesiæ redditibus pauperibus non subveniens, qualiter peccet, num contra charitatem, num contra justitiam*, & num. 2. cum seqq.

2 *Papæ supremæ solicitudini creditum est vetare ea, quæ sunt contra justitiam, & pauperes protegere.*

DISCEPTATIO XXV.

Prosequendo materiam de peculio Clericorum, sequitur hic nobis demonstrandum, an Clericus, quicumque ille fuerit, sive Episcopus, sive Parochus, aut similis, non distribuendo eleemosynam pauperibus, quatenus habeat pin-
1 gue Beneficium, peccet contra justitiam, vel saltem contra charitatem: & circa præsens dubium, cum variæ sint Doctorum sententiæ, quia multi affirmant, peccare contra justitiam, alii contra charitatem tantùm: ac proinde non possit hujusmodi dubium explicari absque ingenti volumine: hinc omissa subtiliori disputatione, quid pro certo Doctores intendunt referemus, ut infra.

Pro affirmativa, quòd Clericus peccet contra justitiam, stat *S. Raymundus in Summa, rubrica de Apostatis in fin. §. sed numquid*, & ita *Archidiac. in Summa 44. dist. n. 5. in cap. si Episcopus 12.*

quæst. 1. & in *cap. Statutum* §. *assessorem n.* 13. *de Rescript. in* 6., quorum opinio est, Episcopos, & Clericos non
2 erogantes superflua pauperibus, teneri ad restitutionem, quam sententiam acerrimè tuetur *Alvarus Palagius de planctu Ecclesiæ part.* 2. *cap.* 28.

Contraria tamen verior est sententia, non peccare contra justitiam, ita *Divus Thomas* 2.2. *quæst.* 185. *art.* 7. *& quodlibeto* 6. *art.* 12. *Præpositus in Summa* 44. *dist. à n.* 2. *ad* 7. quæstionem lucu-
3 lenter examinat, & quatuor distinctis temporibus jura omnia ad concordiam reducit; latè *Covar. in cap. cum in officiis de testamentis n.* 3. *Sarnen. de redditibus Ecclesiæ part.* 2. *cap.* 2. *& part.* 4. *cap.* 1. *& ibidem cap.* 2. ubi argumenta contraria dissolvit.

Cui quidem sententiæ in primis favet consuetudo, de qua testatur *D. Thomas quodlibeto* 6. *art.* 12. *Hostiensis in cap. si quis n.* 4. *hoc titulo*, ibique *Cardin. in* 4. *quæst. n.* 3. *Covar. suprà*, ubi ait, hanc sententiam esse benigniorem, & nostris hisce temporibus admittendam ex totius Christiani Orbis consuetudine, quæ, si corruptela existeret, esset damnata à Summis Pontificibus: Etenim tenetur Papa, ratione sui Pastoralis muneris prohibere omnia ea, quæ sunt contra justitiam, & ne pauperes, qui sunt Chri-
4 sti membra, tam grave detrimentum in rebus suis accipiant providere: unde si Papa hanc consuetudinem hactenus non damnavit, apparet Clericos in hac materia peccare tantùm contra charitatem, ideoque hujusmodi consuetudinem validam esse tenet *Joann. Andr. in Regula nemo potest, de Regulis juris in* 6.

At quia *D. Thomæ* sententiam *Navarr. in tractatu de reddit. Eccles. qu.* 1. *monit.* 49. malè interpretatur; ideo placuit nobis hic verba afferre hujus Angelici Doctoris, ibi: *Si Episcopo portio separatim ab aliis est assignata, potest is de illa disponere, ut de patrimonio, & peccat, malè dispensando, contra charitatem, non contra justitiam, nec tenetur ad restitutionem. Si autem portio illius non est separata, ejus fidei divisio committitur, qui si suam portionem faciat paulò majorem, non est in mala fide, aliàs si esset magnus excessus, non esset fidelis dispensator, & est restitutioni obnoxius*, & ita *Sotus de Justit. & jure quæst.* 4. *art.* 3. *Covarr. in cap. cum in officiis de testamentis.*

Hucusque de Episcopis quoad peculium eisdem proveniens ex redditibus Ecclesiæ: Sequitur, ut videamus, quid de Clericis obtinentibus Præbendas, & redditus quoscumque Ecclesiasticos, in usum ministrorum principaliter applica-
5 tos: Et dicimus, licèt fructus ipsos in malum usum convertant, non tamen peccare contra justitiam, nec teneri ad restitutionem, ut benè *D. Thomas in quodlibeto* 6. *art.* 12. *ad* 3. ubi distinguit inter redditus Beneficiorum, & Hospitalium dicens, ibi: *Aliter dicendum est de illis Ecclesiasticis Bonis, quæ principaliter sunt attribuenda necessitatibus pauperum, & ex consequenti necessitatibus ministrorum, sicut sunt bona Hospitalium, & aliorum hujusmodi, & aliter de illis Bonis, quæ sunt principaliter attributa usibus ministrorum, sicuti sunt Præbendæ Clericorum, & alia hujusmodi: nam in primis Bonis peccatum committitur non solùm ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum conditione, dum aliquis in suos usus assumit, quod est alterius, & ideò tenetur ad restitutionem, tamquam defraudator rei alienæ. In secundis verò Bonis non committitur peccatum, nisi per abusum, sicut de bonis patrimonialibus dictum est: unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solùm ad pœnitentiam peragendam*: Hæc *Divus Thomas suprà*, cui assentitur *Hostiensis in cap. sanè n.* 4. *hoc titulo, Card. ibidem quæst.* 4. *n.* 3. *Imola n.* 11. *Fagn. num.* 3.

Huic supradictæ Sententiæ videntur obstare verba *D. Hieronymi* dicentis,
6 *aliena rapere convincitur, qui ultra necessaria, sibi retinere probatur*, *cap.* 1. §. *ordinandus* 24. *dist.* ac verba *D. Ambrosii in cap. sicut hi* 47. *dist.* ibi: *Quis enim tàm injustus, tàm avidus, tàm avarus est, quàm qui multorum alimenta non suum usum, sed abundantiam, & delicias facit? neque enim minus est criminis habenti tollere, quàm cum possis, & abundes indigentibus denegare; esurientium panis est, quem tu detines, nudorum indumentum est, quod tu recludis, & mi-*

& miserorum redemptio est, & absolutio pecunia, quam tu in terram defodis. Et D. *Bernardus epist.* 2. inquit, ibi = *Denique quicquid præter necessarium victum, & simplicem vestitum, de altero retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. Idem epist.* 42. ita inquit = *Clamant pauperes: nostrum est, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditur*. Concordat *Textus in cap. qui oblationes* 13. *quæst.* 2. cum aliis juribus adductis ab *Archidiacono in Summa num.* 5. 44. *dist.* & *in cap. Episcopus* 12. *quæst.* 2. undè ex supradictis auctoritatibus colligi potest, esse contra justitiam non subministrare pauperibus de superfluis fructibus Beneficii.

Attamen hujusmodi auctoritatibus, tàm *D. Hieronymi*, *Ambrosii*, *& Bernardi*, quàm aliorum Doctorum, responderi potest, eas tantùm habere locum, ad effectum damnandi de culpa abutentes fructibus Beneficiorum, cum
9 videantur facere contra charitatem, non autem, ut hi teneantur ad restitutionem, uti peccantes contra justitiam, non distribuendo in usus pauperum quicquid habent de superfluo pro eorum congrua sustentatione; etenim redditus, qui supersunt, ultra necessaria, dicuntur alieni, non propriè, sed ex quadam metaphora, eo quod pro pauperibus essent erogandi: undè idem *D. Hieronymus* scribit, Bona Ecclesiarum dici Bona pauperum quoad debitum, quia eis debentur, non quoad dominium, vel proprietatem, ut refert *Card. Turrecremata in cap. videntes n.*2., 12. *quæst.*1., & *Covarr. in cap. cum in officiis n.*3. *de testamentis*, *Propositus in Summa* 44. *dist. n.*4. *vers. exinde usus*.

Vel dicere possumus, auctoritates prædictas, quæ dicunt, redditus Ecclesiarum
8 esse pauperum, procedere secundum illud tempus, in quo principaliter erant deputati pro subsidio indigentium: at secus postquam facta fuit formalis, & solemnis institutio titulorum Beneficialium, quorum fructus sunt deputati pro subsidio Ministrorum, ad *Text. in cap. nulli Episcop.* §. *his* 12. *qu.*1. *D. Thom. quodlibeto* 6. *art.*12. *ad* 3. *Covarr. in d. cap. cum in officiis n.*5.

De Peculio Clericorum ad Librum tertium Decretalium.

ARGUMENTUM.

Clericus Beneficiatus possidens sufficiens patrimonium, an possit vivere de fructibus Beneficii, & fructus patrimonii sibi reservare ad sui dispositionem?

SUMMARIUM.

1 *Clericus, qui ultra proprium peculium, Beneficium Ecclesiasticum possidet, num ex ejusdem Beneficii fructibus sese sustentare possit, ut de suo peculio valeat pro libito disponere*, & n.2. cum seqq. & n.5. 6. & 7.

2 *Labor promeritum præmium expectat*, & n.3.

4 *Clerici de bonis quidem patrimonialibus disponere valent, secùs verò de quæsitis intuitu Ecclesiæ*.

DISCEPTATIO XXVI.

Circam præsentem quæstionem variæ sunt Sanctorum Patrum, ac Doctorum, Juriumque sententiæ, cum nonnulli putent, posse Clericum Beneficia-
1 tum uti fructibus sui Beneficii; fructus verò suorum bonorum patrimonialium in usum sibi benevisum convertere. Pro prima sententia facit illud *Innocentii in cap.*1. *de præbendis*, ibi = *Non credimus*, quòd qui habet Beneficium, vivere debeat de patrimonio, sed de Altari; quam sequitur *Hugo in cap. illi autem* 12. *qu.*1. ubi ait, Clericos licitè posse habere propria, & percipere Ecclesiastica Beneficia, dummodò propter hoc non deferatur justitia: concordat illud *Hostiensis in cap. postulasti n.* 6. *de Rescript. Archid. in cap. Clericos* 12. *qu.*2. *Felin. in d. cap. postulasti n.* 6. *Covarr. in cap.*1. *n.*2. *de testam. Navarr. de reddit. Ecclesiasticis n.* 78. & *D. Thom.* 2. 2. *qu.*185. *art.*7.

Juri enim consonum est, ac divinis ora-

oraculis innixum, ut quisque vivat de
2 Altari cui inseruit, non autem militet suis stipendiis, juxtà illud *Apost.* 1. *ad Corinth.* 9. Dignus enim est operarius
3 mercede *Apost.* 1. *ad Timoth.* 5. Os pariter Bovis triturantis ligari non debet, ut patet ex illo *Deuteronomii* 25. Concordat *Textus in cap. ex his* 12. *quæst.* 1. *cap. cum ex officii de præscript. cap. quicumque* 12. *quæst.* 2. *cap. fin. de magistris, cap. extirpandæ de præbendis, cap. Ecclesiasticis* 12. *quæst.* 2. ibi = *Ecclesiasticis utilitatibus desudantes Ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere*, & alibi passim.

Undè nulli dubium videtur, posse Episcopum, aut quemlibet Clericum
4 Beneficiatum disponere in vita de Bonis patrimonialibus, cùm in eis habeat plenum dominium (secùs tamen videtur de bonis acquisitis intuitu Ecclesiæ, ut *Nos suprà*, & in sequenti Disceptatione). Patet id primò ex *Canone* 40. *Apostolorum*, ex numero Canonum quinquaginta, qui soli ab Ecclesia Latina uti Canonici recipiuntur, ad *Text. in cap. Clementis* 16. *dist.* Patet secundò ex *Concilio Agathensi cap.* 18. *relat. in cap. Episcopi* 12. *qu.* 1. his verbis: *Episcopi de rebus propriis, vel acquisitis, vel quidquid de proprio habent, hæredibus suis, si voluerint, derelinquant*. Patet tertiò, *ex cap. manifesta eadem causa*, & *quæst.* Patet quartò, *ex cap. sint manifestæ, eadem causa*, & *quæst.* ibi = *Sint manifestæ res propriæ Episcopi, si tamen habet proprias, ut potestatem habeat de propriis moriens Episcopus sicut voluerit, & quibus voluerit derelinquere*. Patet quintò, *ex cap. quia nos de testam.* & alibi passim, & *Nos Discept. sequenti*.

Secunda verò sententia, videlicet, quod non possit Clericus Beneficiatus
5 fructus sui patrimonii convertere in usum sibi benevisum, probatur primò auctoritate *Text. in cap. Clericos* 1. *q.* 2. qui est pars *cap. quoniam* 16. *qu.* 1. ubi *D. Hieronymus* ad D. *Damasum Papam*, ita inquit = *Clericos autem illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum, & propriorum nulla suffragantur Bona: qui autem bonis parentum, aut suis sustentari possunt, si quod pauperum est accipiunt sacrilegium profectò committunt, & per abusionem talium, judicium sibi manducant, & bibunt*. Probatur secundò *ex Augustino ad Bonifacium Comitem epist.* 50. ibi = *Si privatum possidemus, quod nobis sufficiat, non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem quodammodò gerimus*. Probatur tertiò auctoritate *Textus in cap. si quis, cap. pastor* 1. *quæst.* 2. ubi *Prosper* = *Nec illi, qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, undè pauper victurus erat accipiunt: ita possessores non alimenta, quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt*.

Ad prædictos autem Canones ex *Hieronymo*, *Augustino*, & *Prospero* dantur à *Glossa*, & *Doctoribus* perplures solutiones, quæ sunt veluti declarationes. Prima solutio, seu declaratio ad citatum *Textum in cap. Clericos* 1. *quæst.* 2. desumitur ex *D. Thoma* 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 6. ubi dicit ad prædictam auctoritatem *D. Hieronymi*, non omnia bona Clericorum pauperibus esse eroganda, nisi forsan in articulo necessitatis, in qua
6 etiam pro redemptione captivorum, & aliis necessitatibus pauperum, vasa cultui divino dicata, distrahuntur, ut *Ambros.* inquit *in cap. aurum* 12. *quæst.* 2. Et in tali casu peccaret Clericus, si vellet de rebus Ecclesiæ vivere, dummodò haberet patrimonialia Bona, de quibus vivere posset. Et *idem Angelicus Doctor quæst.* 18. *art.* 4. *in respons. ad* 1. similiter dicit, easdem auctoritates *Hieronymi*, & aliorum esse intelligendas tempore necessitatis, quando scilicet non posset aliter pauperibus subveniri;
7 nam tunc etiam sua Bona, si quæ haberent, largiri tenentur in pauperum sustentationem, *Fagn. in cap. si quis n.* 13. *de pecul. Cleric.*

Secunda solutio, seu declaratio est *Archid.* post *Hugonem in d. cap. Clericos*, juncto *cap. illud* 12. *quæst.* 1. quod hujusmodi Canones loquantur secundùm statum primitivæ Ecclesiæ, nam cum tunc exiles essent redditus, distribuebantur ex facultatibus Ecclesiæ, prout cuique opus erat, juxtà *Textum in cap.* 2. *cap. tua* 12. *quæst.* 1. & hunc intellectum sequuntur *Felin. in cap. postulasti n.* 6. *de* Re-

Rescript., *Covarr. in cap.*1. *n.*2. *de Testam.* & ita ex mente *Divi Thomæ in* 4. *dist.*38. *art.*2. *quæst.*2. *ad* 3.

Tertia solutio, seu declaratio ad citatum *Textum in cap. Clericos*, est *Innocent. in cap. Episcopus n.*1. *de præbendis*, qui dicit, quod auctor Canonis in *cap. pastor* 1. *quæst.*2. tantum intendit prohibere, ne quis de patrimonio avarè thesaurizet, & Bona Ecclesiæ expendat; aliàs autem benè licet sua Bona conservare hæredibus, & Bona Ecclesiastici sui Beneficii expendere: quem sequitur *Archid. in d. cap. Clericos n.*1. & hæc solutio est etiam de mente *Glossæ in d. cap. Clericos*, ita *Sylvester v. Clericos* 4. *num.*12. & *Doctores* alibi.

Quarta solutio, seu declaratio dicti *Textus in d.cap.Clericos*, est *Glossæ ibid. verbo accipiunt*, dum dicit *Textum* loqui de illis Clericis, qui cum habeant propria Bona, accipiunt Bona Ecclesiæ, & in malos usus convertunt illa: idem tradit *Innoc. in cap. postulasti de Rescript.* dicens, Clericos habentes patrimonium non indignè accipere Beneficium, dummodò benè dispensent; & ita alii *Doctores* apud *Fagn. supra vers. sexta solutio*.

Concludendum est igitur, posse Clericos Beneficiatos, etiam habentes proprium patrimonium, sustentari de redditibus Beneficii, cum hoc servetur ex universali consuetudine, ut docet *Præpositus in d. cap. Clericos* 1. *quæst.*2.

Undè Clericus Beneficiatus non solùm potest sibi congruam sustentationem præbere in fructibus Beneficii; immò neque peccat, si aliquid plus in suos usus convertat, ut benè *Angelicus Doctor quodlibeto*6. *art.*12. ibi = *Si quis bona fide dispensat Ecclesiastica Bona, inde accipiens quod sibi convenit, secundum conditionem status, & personæ, non peccat mortaliter, etiamsi fortè aliquid plus in suos usus convertat, quàm oporteat* = hoc idem *in* 2. 2. *art.* 6. *Redoan. de spolio quæst.*3. §. *verum num.*16. *Covarr. in cap. cum in officiis de testamentis*, *Navarr. de reddit. Eccles. qu.*1. *n.*92. latè *Fagn. suprà n.*17.

ARGUMENTUM.

Clericorum peculium, an & in quibus casibus cadere possit sub Ecclesiastico spolio, itaut spectet ad Reverendam Cameram Apostolicam.

SUMMARIUM.

1 *Spolia Clericorum, quæ aliàs quærebantur suis Ecclesiis, hodie spectant ad Cameram.*

2 *Camera Apostolica præsumptionem habet pro se super spoliis Clericorum, atque in dubio pro ipsa est judicandum.*

3 *Camera Apostolica in spoliis Clericorum successit Ecclesiæ.*

4 *Præsumptio quod bona relicta per Clericos subjaceant spolio Reverendæ Cameræ ex quibus submota remaneat*, & num.5. cum seq.

7 *Hæres possessor bonorum relictorum à Clerico non debet à Camera spoliari, usquequo non constiterit, ea subjecta esse spolio, maximè si Clericus acquisitiones facere potuerit suâ industriâ*, & num.8.

9 *Spolio non subsunt Bona Clericorum quæsita ex suo proprio peculio, sive labore, industriâ, vel munerum occasione.*

10 *Bona per Clericum relicta an, & quatenus præsumantur spolio subjecta, plures distinguuntur casus*, usque ad num.20.

21 *Bona, quæ fuerunt à Clerico comparata ex negotiatione illicita, acquiruntur Cameræ Apostolicæ.*

Ampliа, quamvis Clericus hujusmodi sese cum Camera composuerit super spolio, num.22.

23 *Indultum strictè intelligitur tanquam exorbitans à jure communi.*

24 *Allegans acquisitionem factam à Clerico fuisse ex illicita negotiatione, ipse probare tenetur.*

25 *Præsumptio capienda est in exclusionem delicti.*

26 *Bona Regularis decedentis extra Monasterium, qualitercunque acquisita,*

ta, *applicantur Cameræ Apostolicæ*, & num.27.

Item bona Religiosi damnati ad triremes, num.28.

29 *Bona Beneficiatorum decedentium extraresidentiam subjacent spolio.*

Limita in Cardinalibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ut num.30.

31 *Supellectilia sacra non intrant sub spolio, sed remanent Ecclesiæ, cui fuerunt dicata.*

32 *Spolium locum sibi non vindicat, ubi Beneficium sit parvi redditus, non excedendo ducatos triginta auri de Camera.*

33 *Clerici Curiales non subsunt Spolio Cameræ Apostolicæ, neque prætextu illicitæ negotiationis*, ut num.34.

35 *Spolium cessat, ubi adsit compositio cum Reverenda Camera*, & num.36.

37 *Cathedrales Regni Neapolitani fuerunt exemptæ à spolio per sa: me: Innoce tium* XII.

38 *Fructus maturati, & non exacti, sive pendentes comprehenduntur sub spolio*, & num.39.

Limita, num.40. & seqq.

42 *Fructus civiles quotidie debentur.*

45 *Bona relicta per Clericum suo filio illegitimo applicantur Reverendæ Cameræ tanquam spolium.*

DISCEPTATIO XXVII.

DEmum pro complemento hujus titu-
li sequitur ut videamus quid juris
de peculio Clericorum: & nulli du-
1 bium videtur bona acquisita à Clerico
intuitu sui Beneficii, attento jure
communi, spectare ad Ecclesiam, cu-
jus ille Rector erat, uti acquisita ex
bonis ipsius Ecclesiæ; attamen hodie,
attenta *Constitutione Julii III. in ordine Bullarii novi la 9. ac Sixti V.* sta-
tutum habemus, spolia Clericorum,
spectare ad Rev. Cameram Apostoli-
cam, & signanter attentâ *dicta Constitutione Julii III.* quæ in his materiis
est Cameralium fundamentum, ut in-
quit *Card. de Luca de Beneficiis disc.*81.
*num.*3.

Hinc est, quod præsumptio stat pro
Reverenda Camera, quod spolia ad
2 eam pertineant, quoties peculium re-
lictum fuerit ab eo, quem constet fuis-
se in statu subdito spoliis; itaut mo-
riente Beneficiato, spolium fieri potest
ex omnibus ab eo relictis, nisi hæredes
probent, bona relicta esse patrimonia-
lia, & consequenter exempta ab one-
re spolii: cum præsumptio stet, esse
acquisita ex Bonis Ecclesiæ, & Eccle-
3 siasticis redditibus; undè meritò spe-
ctant ad Rev. Cameram, quæ in locum
Ecclesiæ subrogata fuit, ut ex *d. Constitutione Julii III. & Sixti V.* & in
dubio semper judicandum erit pro Re-
verenda Camera, ita *Covar. de testam. cap.*1. *num.*6. *Leo in Thesauro fori Eccles. part.*3. *cap.*3. *num.*25. *Menoch. de arbitr. Judic. casu* 195. *num.*9. *Bonacina de contractibus disp.*3. *quæst. ultima, punct.*4. *num.*4. *&* 5.

Excluditur præsumptio, quod bona
fuissent acquisita ex redditibus Eccle-
4 siæ, ubicunque probetur, bona re-
perta in morte Beneficiati fuisse possef-
sa per ipsum Beneficiatum ante Benefi-
cii consecutionem, vel per Episcopum
ante promotionem ad Episcopatum,
quo casu non cadunt sub spolio, sed
spectant ad ejus hæredes, ad *Textum in cap. manifesta* juncto *cap. sicut manifestè* 12. *quæst.*1. *cap.*1. *de testamentis*, ubi *Canonistæ*.

Undè hoc probari potest ex inven-
5 ctario facto, tempore promotionis, ad
Text. in d. cap. manifesta, & sicut manifestè 12. *quæst.*1. *cap. de Syracusane* 28. *dist. Menoch. de præsumpt. lib.*3. *præsumpt.* 53. *num.*11. *Redoanus de spolio quæst.*9. *n.*43. *Mascard. de probat. conclus.*200. *num.*9. *Barbosa de Episcop. alleg.*114. *num.*15. *Covarr. suprà num.*9.

Excluditur secundò, ubicunque
redditus Ecclesiæ fuerint ita tenues, ut
6 detractâ alimoniâ ipsius Rectoris, ac
cœteris expensis necessariis, ac elee-
mosynis, quæ censentur factæ ex red-
ditibus Ecclesiæ, in hanc causam con-
sumptis, non poterunt remanere tot
redditus, ut verisimiliter peculium
ipsum censeri possit acquisitum, non
ex redditibus Ecclesiæ, sed ex bonis
patrimonialibus, aut suo ingenio, &
industria acquisitis, nisi redditus Ec-
clesiæ longè excederent suprà suam

sli-

alimoniam, & expensas; itaut probabiliter non ex bonis patrimonialibus, sed ex fructibus Ecclesiæ detegatur peculium, vel bona acquisita fuisse, ex doctrina *Innocentii in cap. cum in Officiis num.4. de testam.Covarr. suprà n.2. Bald. cons.313. num.4. lib.2. Romanus cons.159. Alex. cons.116. num.3. lib.6. Marta de success. legali part.4. quæst.1. art.4. num.30. Gratian. disc.381. n.3. Panimolla decis.20. annot.2. num.13.*

Ac proindè ad Reverendam Cameram Apostolicam spectat hoc casu probare, peculium relictum à Beneficiato fuisse acquisitum ex redditibus Ecclesiasticis; præcipuè ubi peculium ipsum existit penes hæredes Beneficiati, qui non debent amoveri à possessione bonorum, donec non fuerit discussum, an
7 vere peculium, seu Bona, acquisita fuerint, vel post promotionem, vel ex bonis patrimonialibus, aut Ecclesiasticis, ad *Text. in cap.1..12. quæst.5.* ibi: *Nec ei, sine cognitione conferenda est possessio: Panormitan. in cap. cum esses de testam. Redoanus de spolio Cleric. quæst.9. num.33. Leo suprà part.3. cap.3. num.25.*

Eoque magis, quando sumus in Clerico habente bonum patrimonium, do-
8 ctrinam, officium, vel industriam, ex quibus magnum lucrum reportari possit, *Gratian. suprà num.1. Menoch. de arbitr. casu 195. num.10.*

Constitutiones enim Apostolicæ, de quibus suprà, locum habent tantùm
9 in bonis acquisitis ex redditibus Ecclesiasticis, non autem ex patrimonialibus, aut doctrina, industria, vel officio acquisitis à Clerico, super quibus locum non habet spolium, ut docet *Navarr. de spolio Cleric. §.1. num.4. Burzat. cons.376. num.28. Azor. Institut.moral. tom.2. lib.8. cap.3. quæst.11. Barbosa de Jure Eccles. lib.3. cap.17. num.62.*

Quamplures enumerantur casus, adducti à *Menochio d. casu 195. & ab eo-*
10 *dem d. præsumpt. 53.* pro hac materia dilucidanda, quorum. *Primus* est quando clare, & ad oculum constat, Beneficiatum aliâ Bona non habere, quàm illa Ecclesiæ, nec aliquod officium, vel exercitium, ut lucrum facere potuerit: quo casu Bona censentur acquisita ex redditibus Ecclesiæ, cui præfuit, ad *Text. in cap.1. cap. unusquisque de peculio Cleric. cap.1. 12.quæst.3. Romanus cons.59. num.4. & cons.346. num.18. Menoch. d. quæst.53. num.1.* & *Doctores alibi.*

Secundus casus est, quando Clericus, ultra Bona Ecclesiastica, habet
11 Bona patrimonialia, vel officium, aut exercitium tale, ut multum lucrifaciat, uti si fuerit insignis Doctor, aut publicus Lector, vel Concionator, & similis, & constat deindè multa ab eo fuisse acquisita Bona; nàm tunc illa censentur acquisita ex bonis patrimonialibus, ex lucro artificii, officii, vel industriæ. Undè propria, non Ecclesiæ censenda erunt; proindè de eis ad sui libitum disponere valet, *Menoch. dicta præsumpt. 53. num.2. Bonacina de contract. disp.3. quæst. ultim. punct.2. §.1. num.2.*

Tertiùs casus est, quando Clericus habet Bona patrimonialia, vel officium,
12 & simul habet mediocres fructus Beneficii; quia hoc casu peculium acquisitum ab illo præsumitur acquisitum ex utrisque bonis; & peculium ipsum, seu Bona ipsa acquisita, erunt dividenda inter Reverendam Cameram, & hæredes ipsius Beneficiati arbitrio Judicis, benè considerata quantitate fructuum patrimonialium, officii, & similium, ac redditeum Beneficii, *Menoch. dicta præsumpt. 53. num.5. & de arbitr. Judic. casu 159. num.7.*

Quartus casus est, ubi in dubium revocatur, an Clericus habuerit Bona
13 propria, vel officium, aut artificium, ultra Bona Ecclesiæ. Et in hoc casu præsumitur Clericum ex redditibus Ecclesiæ acquisivisse Bona. Verùm si hujusmodi Bona ab hæredibus defuncti Clerici possidentur, onus probandi quod Bona illa fuerint acquisita ex redditibus Beneficii spectat ad Reverendam Cameram Apostolicam, vigore supradictarum Constitutionum Apostolicarum, *Menoch. dicta præsumpt. 57. num.7. & casu 195. num.9. & 10.* ubi *Doctores.*

Quintus casus est, ubi Clericus habet Bona propria, & Ecclesiæ, cujus redditus

ditus si sint tenues, & patrimonium pro-
14 prium opulentum, hoc casu acquisitio præsumitur provenire ex Bonis propriis, ut benè *Menoch. d. præsumpt.53. nu.4.* ubi *Doctores*.

Sextus casus est, quando Clericus non habet Beneficium, sed tantum Vi-
15 cariam, aut Capellaniam amovibilem: & hoc casu non præsumitur, Bona acquisivisse ex redditibus Ecclesiæ, *Menoch. d. præsumpt.53. n.6.* ubi *Doctores*. *Redoan. de Spolio quæst.3. §.ult. n.6. Bonacina suprà n.3.*

Septimus casus est, cum agitur de Bonis acquisitis à consanguineo Beneficiati, ad favorem sui ipsius acquirentis, tempore, quo constitutus fuerat procurator, & administrator redditum Beneficii; quo casu nisi detegatur, sub con-
16 ficto, & supposito consanguinei nomine, ad eum ditandum, & Ecclesiam depauperandam Bona fuisse acquisita ex pecunia Ecclesiæ; non præsumuntur acquisita ex Bonis Ecclesiæ, *Menoch. dicta præsumpt.53. n.12. 13. & 14.*, ubi alii *Doctores*.

Octavus casus est, quando Beneficiatus impendit de Bonis suis patrimonialibus certam summam in utilitatem Ecclesiæ, si quid postea acquirit ex reddi-
17 tibus Ecclesiæ, illud acquisitum censetur subrogatum in locum ejus, quod consumpsit pro Ecclesia, & tamquam patrimoniale potest de eo disponere, *Panormit. in cap. cum in officiis de testam. n.4. Navarr. de reddit. Eccles. quæst.2. n.3. Molina de Justit. & jure disp.147. n.4. Bonacina d. quæst.ult. punct.2. §.1. post n.4. vers. immò*, *Gonzalez de Spoliis notab.12.* Succedens verò ab intestato ipsi Beneficiario, nequit propria auctoritate de fructibus Beneficii capere quantum ipse Beneficiarius consumpsit de
18 Bonis suis patrimonialibus, nisi ante mortem declaraverit, se Bona patrimonialia insumpsisse, animo compensandi, & tantumdem capiendi, & ad libitum disponendi de Beneficii fructibus, *Navarr. de peculio Cleric. cons.4. n.5. Redoanus de Spolio quæst.6. n.9. Bonacina suprà n.5.*

Nonus casus est, ubi peculium quæsitum fuerit Clerico causa donationis, aut
19 legati facti à suo amico, vel consanguineo, titulo amicitiæ, vel consanguinitatis, aut affinitatis; Bona enim ita acquisita Clerico, tamquam Bona patrimonialia, non cadunt sub Spolio Ecclesiastico, nisi ei relicta fuerint nomine Dignitatis; nam tunc uti Bona Ecclesiastica censenda erunt, & sic subjecta Ecclesiastico Spolio, quod, ubi aliter non fuerit expressum, desumi valet ex præsumptionibus, & conjecturis, qualis fuerit mens donantis, vel legantis, *Bonacina d.n.3. Gratian. disc. forens. cap.867. n.54. Ripa, & alii in cap. cum M. Ferrariensis n.11. de Constitutionibus*.

Decimus casus est, quoties quæstio sit de Bonis pensionarii Ecclesiastici; peculium namque Clerici pensionarii cadit
20 sub Spolio Ecclesiastico; ratio est, quia Spolium fit ex redditibus Ecclesiasticis, pensiones autem sunt redditus Ecclesiastici, cum sint fructus Beneficii. Sed hoc procedit, ubicumque pensio excedit summam ducatorum triginta auri de Camera, ut colligitur ex *Constitutione S. Pii V.* quæ incipit: *Romani*, & *Urbani VIII.* de quibus *Bonacina suprà post n.6. Fagn. in cap. multa n.98. Ne Clerici, vel Monachi*.

Subjacent etiam Spolio Ecclesiastico Bona acquisita per Clericum sive Sæcularem, sive Regularem ex illicita nego-
21 tiatione, aut alio modo, per sacros Canones prohibito, ut habetur ex quadam *Constitutione Pii IV.* quæ incipit: *Decet esse*, ac pariter ex altera *S. Pii V.* edita 3. Kalendas Septembris 1567. quæ incipit: *Literas nostras*, ibi = *Dummodò tamen is ab omni negotiatione illicita, & à sacris Canonibus prohibita abstinuerit*. *Navarr. de Spoliis Cleric. §.7. n.4. & 5. Redoanus de Spolio quæst.2. Bonacina suprà punct.2. §.2. n.1.*

Quod locum habere videtur etiam ubicumque inter Clericum ipsum, & Reverendam Cameram Apostolicam fa-
22 cta fuerit transactio; etenim beneplacitum Papæ non extenditur ad ea, quæ acquisita sunt ex illicita negotiatione, ut expressè cavetur ex *d. Constitutione Pii IV.* ibi = *Qui etiam ex facultate, quam habuerunt testandi, condito testamento, ubivis locorum decederent*. *Redoan. de Spolio Eccles. quæst.2. n.111. Bonacina d. §.2. n.2.*

Undè

Undè nihil obſtante compoſitione ipſa, Bona Clerici acquiſita negotiatione illicitâ ſubjacent Spolio, niſi hu-
23 juſmodi Bona fuerint comprehenſa in Pontificio Indulto, cum illud ſit ſtrictè interpretandum, utpotè relaxans diſpoſitionem juris communis, *Redoanus de Spoliis qu.2. num.111. Bonacina ſuprà d. §.2. n.3.*

Hujuſmodi tamen negotiatio, tamquam mala non eſt præſumenda; ac
24 proindè onus eſt Fiſci Apoſtolici probare, tamquam fundamentum ſuæ intentionis, Bona acquiſita à dicto Cle-
25 rico, ex illicita negotiatione eſſe acquiſita, cum præſumptio ſtet pro excluſione delicti, *Doctores communiter* apud *Bonacinam ſup. de Contract. diſput. 3. quæſt. ult. §.4. n.5. & ſeqq.* Vide quæ *Nos* latè *ſub titulo Ne Clerici, vel Monachi quoad ſæcularia negotia.*

Subjacent Eccleſiaſtico Spolio, ac Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ appli-
26 canda ſunt Bona Regularis degentis extra Religionem, ſive hujuſmodi Bona acquiſierit ratione Beneficii, ſive illicitâ negotiatione, ſive propria induſtria, aut largitione amicorum, non obſtante, quod extra Monaſterium permaneret de licentia ſui Superioris: niſi habeat facultatem teſtandi, ei impertitam à S. Sede Apoſtolica, ac diſponendi de illis, ad *Conſtitutionem Gregorii XIII.* quæ incipit: *Officii.*

Quidquid aliter de jure ſtatutum eſſet, videlicet Bona Religioſi degentis,
27 & decedentis extra Monaſterium, ſpectare ad Monaſterium ſui Ordinis, ad *Text. in cap. ne dicatis 12. quæſt. 1. cap. cum olim de privilegiis.*

Sicuti ſubjacent Eccleſiaſtico Spolio, ac ad Reverendam Cameram Apoſtolicam ſpectant Bona Religioſi damnatì
28 ad triremes jam adimpletâ pœnâ, degentis extra clauſtra Monaſterii; nam adhuc Galeotus dicitur Religioſus, *Pater Donatus de Regular.*, ubi de Regularibus Galeotis.

Pariter ſubjacent Eccleſiaſtico Spolio Bona Clericorum habentium Eccle-
29 ſiaſtica Beneficia decedentium extra reſidentiam, licèt illi habeant facultatem teſtandi, & diſponendi de illis, ut habetur ex *Conſtitutione Pii IV. in ordine Bullarii novi la 91.* quæ incipit: *In ſupremo*, in qua ſtatuit mox dictus Summus Pontifex, quòd Bona tàm mobilia, quàm immobilia, cujuſcumque qualitatis, & valoris, & ubicumque exiſtentia ad quoſcumque Eccleſiaſticos, cujuſvis auctoritatis, dignitatis, & gradus extra reſidentiam decedentes pertinentia, cadant ſub Spolium, etiamſi ſpecialem facultatem de illis haberent teſtandi, aut alias liberè diſponendi, ac de bonis, & rebus hujuſmodi diſpoſuerint, *Leo in Theſauro part. 3. cap. 3. n. 50.*

Hoc limita in Cardinalibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ipſi namque quovis
30 loco decedentibus, & quovis loco Bona habentibus, illa non ſubjiciuntur Spolio, ut cavetur quadam *Conſtitutione S. Pii V.* incipiente: *Litteras noſtras.*

Inſtrumenta ſacra, & ornamenta ad divinum cultum deſtinata non ſpectant
31 ad Cameram Apoſtolicam, ſed illa debentur Eccleſiæ, cui applicata fuerunt, ſi extant tempore obitus Beneficiati, etiamſi præfata inſtrumenta, vel ornamenta ſint empta ex Bonis patrimonialibus ipſius Beneficiati, ut habetur ex quadam *Conſtitutione S. Pii V.* quæ incipit: *Litteras noſtras*, *Navarrus de Spoliis §.8. n.3.* & alii *Doctores.*

Spolium, de quo ſuprà, non habet locum, ubicumque Beneficium eſt par-
32 vi redditus, videlicet ubi non excedit quoad redditus valorem ducatorum triginta auri de Camera; nam cum ſumma prædicta videatur correſpondere congruæ ſuſtentationi, reputantur fructus ipſi, quaſi Bona patrimonialia, quorum Beneficiarius liberum habet dominium; undè habentes Beneficium, cujus redditus non excedant dictam ſummam aureorum triginta de Camera, non tenentur ad onera Spolii, ut habetur ex citata *Bulla S. Pii V.*, *Navarrus de Spoliis §.1. n.5. & §.8. n.7.*

Clerici Curiales, ſeu Curiam Romanam ſequentes, eximuntur à Spolio Ec-
33 cleſiaſtico, undè eorum peculium eſt liberum ab hoc onere, tàm ſi deceſſerint in Curia, quàm in diſtrictu intra decem milliaria, ſive Bona fuerint in Urbe, ſive in diſtrictu, juxtà *Conſtitutionem Julii III. Pii IV. S. Pii V.* quæ incipit *Lit-*

Litteras nostras, & *Pauli V.* incipien. *In eminenti*.

Imò neque prætextu illicitæ negotiationis præfati Curiales,& incolæ Ro-
34 manæ Curiæ subjiciuntur Ecclesiastico Spolio, ut ex eadem *Constitutione Pauli V.* ibi = *Etiam sub prætextu*, *seu causa illicitæ negotiationis molestare*. *Bonacina sup. punct.5. §.unico per tot.*, ubi latè.

Peculium Clericorum, ex Bonis, & redditibus Ecclesiasticis confectum, uti suprà demonstravimus, spectat ad Reverendam Cameram Apostolicam. Supradictæ tamen conclusiones non procedunt, ubicumque Spolium compositum fuit, vel specialiter, vel generaliter: specialiter, ubi quis se componit cum Reverenda Camera Apostolica, ut
35 de acquisitis, solutâ certâ quota ipsi Reverendæ Cameræ Apostolicæ,de reliquis possit disponere ad sui libitum: & hac compositione existente, nihil ampliùs ipsa Reverenda Camera Apostolica prætendere valet: Generaliter verò ubicumque, generaliter facta est compositio; videlicet, ut quælibet Dioece-
36 sis solvat quolibet anno certam quotam annuam, quæ dicitur pro Spolio, & ita servatur in nostro Regno, cum quo transactum videtur quoad inferiora Beneficia.

Dixi: *quoad inferiora Beneficia*; etenim quoad peculium Episcoporum, usque ad Innocentium XII. peculium
37 Episcoporum spectabat ad Reverendam Cameram Apostolicam; qui quidem Innocentius XII. Pignatellus Neapolitanus, commiserans statum Ecclesiarum Cathedralium Regni, ac cœterarum Ecclesiarum Regni, sua speciali Constitutione sancivit,statuit, ac voluit, quod Bona Episcoporum per eos acquisita, possint tuta conscientia applicari, tàm in vita, quàm in morte, in Beneficium Cathedralium Ecclesiarum, vel in Beneficium Ecclesiarum,vel Locorum piorum Diœcesum, quilibet, respectivè, in sua. Mandavit item pariter, quòd si in morte Episcopus non disposuit, Capitulum, facta adnotatione Bonorum, de Bonis ipsis curam habere, usque ad accessum novi Pastoris, cujus est de Bonis ipsis disponere, ad normam dictæ Constitutionis; undè hodie locum non habet Spolium.

Circa fructus maturatos, & non exactos, vel pendentes, ad quem illi spectent, sequitur ut videamus, videlicet an spectent ad hæredes Beneficiati defuncti, vel ad Rev. Cameram Apostolicam, ubi datur spolium. Et in hoc
38 dicimus, quòd fructus maturati, & non exacti, eoque magis fructus pendentes, spectant ad Rev. Cammeram Apostolicam, ut ex *d. Julii III. Constitutione*: *Redoanus de spolio Eccles. quæst.5. per totam*, *Sperell. decis.32. n.12. Card. de Luca de Beneffic. dist.81. num.3.* & *Doctores passim*.

Adeout Rev. Cammera Apostolica, quoad fructus inexactos, jus habeat
39 applicandi eos sibi, & tamquam spolia capit, *Redoanus d. quæst.5. num.5. & 6. Navarr. eodem tract. §.6. num.6.* & *Doctores passim*.

Limita primò supradictam conclusionem, eam non habere locum in fructi-
40 bus industria, ac labore à Clericis quæsitis, ad instar distributionum, & non ex Beneficio, aut contemplatione Beneficii perceptis, qui pertinent ad hæredes Clerici defuncti *Doctores in cap.1. de peculio Clericorum*, *Bald. in Auth. licentiam C. de Episc. & Clericis*, *Alex. cons.116. num.5. lib.7. Sormiant. de reddit. Eccles. part.3. cap.5. n.8. Navarr. eodem tract. quæst.1. art.19. n.1. Rota recent. part.6. decis.19. num.13.*

Limita secundò supradictā conclusionem, eam non habere locum in fructi-
41 bus civilibus, uti sunt fructus census, societatum officiorum, gabellarum, vectigalium, annonæ, & diurnæ præstationis pecuniarum, Locorum montium, pascuorum, pensionum domorum, & similium rerum, quæ ex sui natura non sunt aptæ producere fructus: hujusmodi verò fructus dividendi sunt inter hæredes defuncti Beneficati, & Ecclesiam, seu Rev. Cameram Apostolicam pro rata temporis, quia hujusmodi fru-
42 ctus quotidiè currunt, & quotidiè incipiunt deberi; undè recipere debent divisionem pro rata temporis Beneficii possessi per antecessorem, etiamsi dies solutionis non advenerit, ad differentiam fructuum naturalium, & indu-

dustrialium, qui tantùm semel in certa anni parte percipiuntur, ut est frumentum, oleum, mustum, legumina & si-
43 milia, in quibus tempus recollectionis attenditur; *Barbosa in l. divortio ff. soluto matrim. num.22.Sperell.decis.82. num.24. & seq. Card. de Luca de Benefic. disc.100. num.21. de Franchis decis.79. num.2. Surd. cons.333. num.3. lib.3. Covarr.var.resol.lib.1.cap.15.n.3.*

Limita tertiò supradictam conclusionem; eam non habere locum in fru-
44 ctibus perceptis à Beneficiato defuncto, qui licet extent, & non sint consumpti, quoties penes Beneficiatum sunt, remanent ad ejus liberam dispositionem, & ad hæredes transmissibiles, cùm tunc non sint amplius pendentes, neque inexacti, sed verè proprii ipsius Beneficiati, & de ejus patrimonio effecti; *Calderinus cons.2. de peculio Cleric. Card. de Luca de Benefic. disc.81. num.6. & seq. & disc.83. num.3.*, ubi latè ad materiam.

An cadant sub spolio Ecclesiastico Bona relicta à Clerico filio suo illegitimo.
45 Et affirmativè respondendum videtur cum supra citata *Constitutione S. Pii V.* incipiente: *Quæ ordini Ecclesiastico*. Et ex altera ejusdem Pontificis: *Quod Romanum*; undè Rev. Camera Apostolica valet subtrahere illa sibi, latè *Bonacina de contract. disp.3. quæst. ult. punct.5.§.unico per tot. fere*, ibi vide.

De Clerico Excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante: ad Librum quintum Decretalium.

ARGUMENTUM.

Clericus, ubi depositus, vel suspensus fuerit à divinis, celebrando, an sit Excommunicandus; Excommunicatus verò Suspensus, vel interdictus ubi fuerit, ministrando in divinis, an incurrat irregularitatem.

SUMMARIUM.

1 *Clericus, qui dum suspensus existit, sacra ministeria exercere attentaverit, arcendus est ab Ecclesia, atque in exilium mittendus, invocato etiam brachio seculari*, & num.2.

Quod procedit nedum in Clericis majoribus, sed etiam in minoribus, ibid. & num.5.

3 *Sacerdos suspensus neque in minoribus ordinibus ministrare valet citra pœnam irregularitatis*, & num.15.

Declara dicto, num.15.

4 *Clericus horas Canonicas, ad quas tenetur, an & quomodo recitare debeat, dum suspensus, sive excommunicatus existit.*

5 *Clericus, sive in majoribus, sive in minoribusOrdinibus constitutus, quatenus ministraverit, dum esset suspensus, incurrit irregularitatem, super qua absolutionem reportare debet à Papa*, & num.6. cum seqq.

Eandemque pœnam incurrit ipso facto, ut num.16.

7 *Appellatione Clericorum veniunt quicunque Clerici tum majorum, tum minorum Ordinum.*

8 *Lex, quæ genericè loquitur, generaliter intelligenda est.*

13 *Ordines sive majores, sive minores unum constituunt Sacramentum, omnesque ordinati sunt ad Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum.*

14 *Clericus suspensus ministrando in Ordinibus susceptis, quatenus excusetur ab irregularitate.*

DISCEPTATIO XXVIII.

Grave dedecus esse, Clericum in sacris inservire, ubi ille excommunicatus, suspensus, vel interdictus fuerit, omnia jura clamant, ut patet ex *toto libro Decretalium, hoc titulo*. Ubicunque igitur aliquis Clericus, sive Episcopus, sive Presbyter, aut Diaconus ille fuerit, justè depositus pro
1 certis suis criminibus, ausus fuerit tractare ministerium, sibi ante depositionem commissum, ab Ecclesia abscindendus erit, ut habetur ex *Textu in cap. si quis Episcopus, hoc titulo*, quod videtur desumptum ex Canonibus Apostolorum, ut docet *Abbas Panorm. ad d. Textum*, idemque videtur dicendum

de Clerico in minoribus, ut docet *Abbas ad citatum Textum, num.1. & in cap. cum ab homine de Judiciis*.

Quatenus verò Presbyter celebrando, dum esset suspensus, licèt monitus,
2 excommunicatus fuerit: quia per contemptum clavium hoc agere videtur, tunc implorato Judicis laici auxilio, in exilium est mittendus, ut habetur ex *Textu in cap. si quis Presbyter hoc titulo*, quod videtur desumptum ex *Concilio Antiocheno*, ubi *Abbas Panormit. num.1. & Fagnan. num.1. & per totum*, & *Doctores communiter*.

Imò Sacerdos suspensus ab officio non solùm non valet celebrare, sed nec mi-
3 nistrare in Altare, cantando Epistolam, vel Evangelium, eum ei videatur impeditum officium cujuscumque Ordinis: & aliter faciens incidit in irregularitatem, ut docet *Abbas in dicto cap. si quis Presbyter num.4. & Fagnan. num.2. Nos latè de censuris, & de irregularitate disc.4.*

Tenetur verò prædictus Clericus ita excommunicatus, vel suspensus, aut interdictus, recitare horas Canonicas, privatè tamen, non publicè, aliàs peccat; quia delictum non debet ei præ-
4 stare exemptionem ab hoc onere. Non potest verò dicere *Dominus vobiscum*, ut bene *Abbas in d. cap. si quis Presbyter num.8.*

Quidquid diximus de Presbytero, vel alio constituto in sacris Ordinibus, locum an habeat in Clerico in minoribus, eo ministrante, dum excommunicatus, suspensus, vel interdictus fuerit. Et pariter dicimus, quod ubi exer-
5 cet officium, sicut priùs post suspensionem, incidat in irregularitatem, à qua non valet absolvi, nisi à Papa; & interim non valet exercere, ad *Text. in cap.1. de re judicata in 6. Abbas in d. cap. si quis Presbyter* prope finem. Concordat *Textus in d. cap. si quis Presbyter*, ubi de Presbytero, & Clerico loquitur disjunctivè, undè de utroque videtur loqui, ubi *Fagnan. num.7. & sequentibus*.

Probatur primò præcedens conclusio ex supracitato *Textu in d. cap. si quis*
6 *Presbyter*, qui non tantùm loquitur de Presbytero, sed etiam de Clerico ibi: *Si quis Presbyter, aut alius Clericus fuerit degradatus, ab officio pro certis criminibus suspensus, & ipse per contemptum, & superbiam aliquid de ministerio sibi interdicto agere præsumpserit*. Concordat *Textus in cap. fraternitati hoc eodem titulo* ibi: *Presbyteros autem, & alios Clericos*: & alibi passim apud *Doctores*, quæ jura de Presbiteris, & Clericis indistinctè loquuntur. Clericorum autem nomine absque dubio veniunt etiam Clerici minorum Ordinum *cap. Clericos 21. dist. cap. de persona 11. quæst.1.* Præsertim
7 cum ponuntur ad differentiam Presbyterorum ut in *d. cap. si quis Presbyter*, juncto *cap. Clerici eodem titulo*. Undè, ut inquit *Hostiensis in dicto cap. si quis Presbyter*, jus generaliter, & indi-
8 stinctè loquens, generaliter, & indistinctè erit sumendum, nisi per aliud distinguatur, *cap. quia de privileg. l.3. ff. de offic. præsidis*.

Secundò, ad hanc partem inducitur bonus *Textus in cap. ad audientiam de homicidio*, ex quo habetur, quod Presbyter ille, de quo dubium erat, an esset irregularis, absolutè prohibetur ministrare in sacris Ordinibus: Et post peractam pœnitentiam, ex indulgentia conceditur, ut possit
9 ministrare in minoribus, per illa verba: *poteritis concedere, ut minoribus ordinibus sit contentus*, ecce igitur quod suspensus in majoribus, videtur etiam suspensus quoad exercitium etiam minorum ordinum.

Tertiò hoc videtur expressum in *cap. Episcopus 11. quæst.3. in fine*, ubi non
10 tantùm Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, sed & reliqui gradus à Synodo depositi prohibentur ministrare, nisi in reparatione sua recipiant ea, quæ in ordinatione perceperant, ubi *Glossa in V. reliqui* notat, æquè aliquem deponi à minoribus Ordinibus, sicut à majoribus, & allegat jura concordantia.

Quartò ad idem est Decretum *Tridentini sess.23. cap.17.* ubi præcipitur Episcopis, ut ad minorum Ordinum ministeria assumant Clericos cœlibes, si præsto sint, & in eorum defectum suscipiant Clericos conjugatos, dum-
modo

modo non sint bigami. Atque ita hujusmodi ministeria videntur interdicta irregularibus, & sic etiam censura Ecclesiastica irretitis: hinc fit quòd Clerici,
11 qui cum censura in prædictis Ordinibus ministrant, irregularitatem incurrunt per citatum *cap.17. Tridentini*, ubi irregulares declarantur, qui aliquid de ministerio sibi interdicto agere non verentur.

Quintò hoc videtur expressum in *Constitutione Sixti V. Sanctum, & salutare la* 91. qua cavetur, Clericos ma-
12 lè, ac simoniacè promotos, etiamsi fuerint primæ tonsuræ, esse suspensos ab executione, ministerio, & exercitio Ordinum susceptorum: ac si in eis ministrare præsumpserint, illos sic irregulares effectos, omnibus officiis, ac Beneficiis privat mox citata: ubi ponderanda sunt illa verba: *Ne irregulares effectos*, quæ demonstrant, Pontificem non infligere de novo irregularitatem, sed supponere Clericos sic ministrantes, jam esse irregulares effectos.

Sextò, & ultimò: Ordines omnes tàm sacri, quàm minores unum constituunt Sacramentum Ordinis; nam in quantum sunt Sacramentum, omnes ordinantur ad Sacramentum Eucharistiæ; ita *D. Thomas in 4. Sentent. dist. 24. quæst.3. art.2. quæstiuncula 2. in corpore, idem in 2. 2. quæst. 40. artic.2. itidem in corpore*. Concludendum est
13 igitur, quòd Clericus excommunicatus, suspensus, vel interdictus, sive sit in sacris, sive in minoribus, ministrando in Ordine suscepto, efficiatur irregularis, ut *Nos* latè *de Censuris Ecclesiasticis*, suis pariter locis, ubi *de Irregularitate*.

Diximus suprà, irregularitatem contrahi à Clerico excommunicato, suspenso, vel interdicto per exercitium Ordi-
14 num, scilicet solemniter ministrando, nisi excusetur ratione necessitatis, ignorantiæ, vel scandali vitandi, ut de omnibus *Textus* est *in cap. is, cui de Sent. excomm. Fagnan. in cap. non est compos num.39. de temp. ordin. Sacra Congreg. Concilii in una Terracinen.1. Jun.1686.*

Hinc quando dicatur exercere officium majoris Ordinis, videre est: Et dicimus incurrere hanc pœnam non solùm ubi Sacerdos sacrum facit, sed etiam ubi canit Epistolam, Evangelium, uti *Nos suprà*: Sed hoc intellige, ubi ca-
15 nendo Epistolam, canit cum Manipulo, vel canendo Evangelium, adhibet Stolam, Sacramentaliter absolvendo, uti Canonicus, canendo in Choro, & in similibus, ut *Nos* latè *de Irregularitate dist.4.*

Irregularitatem verò prædictam an incurrat ipso facto Clericus excommunicatus, suspensus, vel interdictus, mi-
16 nistrando in Ordinibus susceptis, citra aliam Sententiam: & partem affirmativam sustinet *Abbas in cap. Clerici hoc titul.n.1.* & *in cap.1. de re judicata in 6.*

ARGUMENTUM.

Clericus, ubi fuerit excommunicatus, vel interdictus, ministrando in divinis, in pœnam an veniat deponendus?

SUMMARIUM.

1 *Celebrans tempore suspensionis, sive excommunicationis, spretâ etiam monitione sibi facta, deponendus est nedum ab officio, sed etiam à Beneficio*, & num.9.

Num autem Episcopus dispensare cum eo valeat, quatenus resipuerit, num.2.

2 *Papa solus potest ab irregularitate absolvere.*

3 *Ubi plures excommunicati celebraverint, non omnes deponendi erunt ad vitandum scandalum, sed ii, qui causam hujusmodi excessui dederunt.*

4 *Depositionis pœna procedit in omni crimine, quod irregularitatem inducit.*

5 *Multitudo ubi deliquit, coercere convenit principaliores delinquentes, quoties urget timor scandali, vel gravioris præjudicii.*

6 *Pœna depositionis contra Celebrantem in suspensione tunc demum locum habet, quando is nullam allegare valet rationabilem excusationem*, & num.7.

8 *Delinquens spe veniæ promeritam ultionem non evadit; non enim pœna, sed pravitas actus tenere nos debet à crimine alienos.*

DI-

DISCEPTATIO XXIX.

Juxta dispositâ per *Textum in cap. Clerici hoc titulo*, inconcussè habemus, quod ubi Clericus excommunicatus, vel interdictus ille fuerit, celebrans monitus non desistit, quia videtur claves Ecclesiæ spernere, & in contemptum habere, venit deponendus. Qui
1 quidem perpetuò venit deponendus non solùm ab Officio, sed etiam à Beneficio, quatenus Beneficium Ecclesiasticum habuerit, quæ pęna venit imponenda per Judicem; nam pęnam irregularitatis incurrit ipso facto per ipsam ministrationem in divinis, *Abbas, Barbosa, & alii ad citatum Textum*.

Cum reo tam magni criminis, de quo suprà, ubicumque paratus is fuerit se corrigere, an valeat dispensare Episcopus, videre est. Et dicimus, posse Episcopum dispensare cum parato se corrigere; undè valet hic restitui ad antiqua jura: à pęna verò irregularita-
2 tis incursæ, ex quo Clericus in divinis ministravit, dum erat excommunicatus, vel interdictus, ex communi Doctorum sententia ut inferior Papâ, minimè absolvere valet, ad *Text. in cap. 1. de re judicata, juncto cap. 1. de Sentent. excommun. in 6.*, quæ jura indistinctè docent, quòd solus Papa valeat liberare aliquem ab irregularitate incursa.

Quoties verò excommunicati, vel interdicti fuerint plures, & omnes celebrarunt, adeout omnes essent depo-
3 nendi; tunc, si illorum numerus est ultra quadraginta, tantùm deponendi erunt illi, qui causam delicti dederunt, cęteri verò deponendi erunt ad tempus, vel prout Ordinario loci visum fuerit, ad *Textum in cap. Latores hoc titulo*, ubi *Abbas, Barbosa, & alii Canonistæ*.

Omne enim crimen irregularitatem
4 inducens, est depositione dignum, *cap. cum non ab homine, cap. & si Clerici de Judiciis*.

Ubicumque igitur multitudo est in causa delicti, ita quod propter scandalum, vel aliam causam parcendum sit multitudini, hoc tamen non procedit, quoad omnes circa veniam; sed principaliores in delicto sunt puniendi ordinariâ pœnâ, quoad alios mitiganda illa
5 erit. Unde, uti diximus, non omnes sunt deponendi, quando multi fuerunt in causa, sed ne Locus, vel Civitas patiatur damnum, & incommodum in spiritualibus, si omnes deponerentur, parcendum est multitudini pęnâ condigna affectis principalioribus, ut benè ex *d. Textu in cap. Latores*, ubi *Abbas Panormit.* ac cęteri *Canonistæ*, & *Nos alibi de pœnis*, ubi quando locum habeat minoratio pœnæ ob delictum plurium. Ibi vide.

Diximus suprà, Clericum excommunicatum esse deponendum, ubicumque ille excommunicatione majori irretitus, in ministerio Altaris se exercuerit celebrando. Supradicta tamen conclu-
6 sio procedit, ubicumque iste talis certus est de excommunicatione; etenim ubi dubitet, an ex actu facto inciderit in pœnam excommunicationis, ac proindè opinari possit, se non esse excommunicatum, deponendus non erit, vel saltem cum eo fit misericorditer procedendum, quod benè desumitur, ex *Textu in cap. illud hoc titulo*, ubi *Canonistæ communiter cum Abbate*. Idem locum habere videtur, ubi de sua ex-
7 communicatione notitiam habet famâ tantùm. Vel ubi credebat, quòd Judex, qui processit ad Sententiam excommunicationis contra illum, in eum non haberet jurisdictionem: his ergo, & similibus casibus, cum eo erit benignè procedendum, ut colligitur ex citato *Textu in cap. illud hoc titulo*.

Sed quid, ubi spe veniæ se in ministerio Altaris exercuisset, ac aliorum communioni se ingessisset; & tunc eo magis
8 dignus est pœnâ; cum nullus spe veniæ debeat delinquere; undè in sacris Paginis scriptum extat: *Maledictus homo, qui peccat in spe*. Ac proindè *D. Hieronym.* inquit: *Vobis non blandiantur pœnitentiæ subsidia, quæ sunt infidelium remedia*; & *Seneca* ita inquit: *Si scirem, Deos ignoscituros, homines autem ignoraturos, tamen dedignarer peccare*.

Sequitur, ut videamus, an excommunicatus Celebrans valeat deponi à
9 suo Beneficio: & in hoc dicimus, quòd ubicumque hoc egerit, postquam fuerit

rit canonicè monitus, quòd possit privari suis Beneficiis, ad literam *Textus in cap. fraternitati hoc titulo*, ubi *Canonistæ communiter*.

Quod quidem locum habere videtur, etiamsi anteà non fuerit monitus; etenim statim ac fuerit excommunicatus, celebrando puniri valet, *Abbas in cap. Clerici*, & *cap. fraternitati hoc titulo*.

ARGUMENTUM.

Clericus excommunicatus, vel interdictus, cum non valeat ministrare in divinis; an possit consequi Ecclesiastica Beneficia, & Collatores an sit puniendi?

SUMMARIUM.

1 *Clericus suspensus, seu censuris innodatus, nequit Ecclesiastica Beneficia obtinere, sive obtenta retinere, neque sub obtentu privilegii in jure non expressi*, ut num.4.

• *Declara nisi ad hujusmodi effectum Papa absolutionem ei indulsisset*, ut num.2.

3 *Cui aliquod prohibetur, prohibitum est etiam id, per quod ad illud pervenitur.*

5 *Ad Ecclesiastica officia qui non intrat per ostium, fur est, & latro.*

6 *Clericus excommunicatus quamvis in foro Pœnitentiali absolutus; adhuc arcetur ab assecutione Beneficii.*

7 *Beneficium datur propter officium.*

8 *Delinquentes offendunt etiam Rempublicam, cui satisfactum non remanet per absolutionem in foro pœnitentiali.*

9 *Excommunicatus quia fit reus Deo, atque Ecclesiæ, duplicem præstare debet satisfactionem.*

10 *Excommunicatus occultus Ecclesiastica Beneficia assequi minimè prohibetur*

11 *Conferens scienter Beneficium excommunicato, suspendi debet à Collatione Beneficiorum.*

DISCEPTATIO XXX.

Cum non valeant Clerici excommunicati, vel interdicti ministrare in divinis, ut *nos in præcedentibus* demonstravimus; inde sequitur, non posse ante absolutionem eos consequi Beneficia, tum quia dicuntur membra abscissa Ecclesiæ, tum quia non valent
1 ministrare in Beneficiis ipsis ita obtentis, ad literam *Textus in cap. postulastis hoc titulo* ibi = *Consultationi vestræ respondemus, quòd cum excommunicatis communicari non debeat, Clericis excommunicationis vinculo innodatis Ecclesiastica Beneficia conferri non possunt. Suarez de censuris Ecclesiasticis disp.13. sect.1. Ugolin. tabula 2. cap.13. §. 1. Alter. de censuris lib.2. disp.6. cap.2. & 3.*

Undè de stylo Datariæ in expeditione litterarum Apostolicarum super gra-
2 tia de Beneficio, solet apponi illa clausula, *absolventes*, qua existente, impetrans Beneficium, quatenus detentus fuerit aliquâ Ecclesiasticâ censurâ, redditur habilis ad Beneficium ipsum, ut *Nos* latè *de officio Judicis delegati*, ubi de Clausulis solitis apponi in litteris Apostolicis, ibique latè de Clausula *Absolventes*.

Ratio supradictorum est, quia cui denegatur aliquid, denegatur & omne
3 id, per quod pervenitur ad illud, ad *Text. in l. oratio ff. de sponsal.* nam quia excommunicato denegatur communio, non possunt ei conferri Beneficia, quia sine communione non potest Beneficia adipisci, nec in eis admini-
4 strare, nec etiam juvat privilegium, nisi in casibus expressis in jure, ut in *cap. nulli, cap. cum desideres, de sent. excommunic.*

Hinc ita obtinentes Beneficia non valent ea retinere, uti Collata subjecto incapaci, ut benè constat ex germanis verbis *Textus in dicto cap. postulastis* ibi = *Nec illi valent ea licitè retinere*. Ratio desumitur ex defectu invalidæ institutionis, ut docet *Abbas ad d. Textum num.2. & Fagnan. num.3. & alii*:
5 etenim non videtur intrare per ostium in ovile ovium, juxta illud Evangelii:

qui non intrat per ostium in ovile ovium ille fur est, & latro: Rota part.7. recent. decis.83. num.16. & 17. ac proindè non videtur posse retinere illud. Quod videtur esse contra *Compostellanum in cap. quod sicut num.1). de elect.* ubi docet, excommunicatum electum non teneri cedere, licèt electio ejus sit nulla, *cap. cum dilectus de Constitut.* quòd repugnat dispositioni *Textus in d. cap. postulasti*.

Diximus, excommunicatum non posse obtinere Beneficium sibi collatum, nec retinere illud, quatenus sibi collatum fuerit: hinc est videre, an ubi il-
6 le absolutus fuerit in foro pœnitentiali, in vim Bullæ Cruciatæ, vel Jubilæi, valida sit collatio, itaut valide possit retinere illud. Et negativè respondendum videtur: ea ratione, quia actus assecutionis Beneficii propriè spectat ad forum externum, ut docet *Covarr. in cap. alma mater part.1. §.7. de sent. excomm.* Hinc sicuti Beneficium datur
7 propter officium, & excommunicatus non habet officii executionem, meritò collatio ipsa est nulla, *Covar. suprà* §.11. *num.76.*

Undè si quis absolutus est coram Deo quoad spiritualem pœnam, non dicitur absolutus coram hominibus; ideoque potest iterum puniri in foro judiciali, ut docet *Abbas in cap. de his de accusat.* nàm, ut inquit idem *Abbas suprà*; sicuti pro delictis imponitur pœ-
8 nitentia pro foro conscientiæ, qua quis satisfacit Deo, & animæ, ad *Text. in cap. placuit 21. quæst.5.* & sic punitur à Confessario suo tantùm, ubi deliquit. Ita punitur in foro contentioso, seu judiciali; quia per delictum censetur offensa Respublica; *l. locatio §. quòd illicitè ff. de publican. & vectigal.* Cum ergo ista tendat ad diversos effectus, impositio unius non impeditur per impositionem alterius, ita *Abbas suprà*.

Excommunicatus autem dupliciter punitur, primò scilicèt in foro animæ, & quoad Deum, quia privatur suffragio Ecclesiæ, ut ait *Riccard. in 4. sent. dist.18. art.7. quæst.2.* Excluditur à regno Cœlorum, *cap. quicunque 24. qu.1.*
9 à quibus pœnis liberatur per absolutionem. Deinde punitur in foro externo, & quoad Ecclesiam, quia efficitur infamis; privatur Ecclesiastica sepultura; excluditur à communione fidelium, excluditur quoque à participatione activa, & passiva in divinis, excluditur à Sacramentorum participatione. Redditur in habilis ad Beneficia consequenda, ut *Nos* latè *de censuris Ecclesiastic. discept.9.* ibi vide. Quæ pœnæ cum respiciant Ecclesiam militantem, nullatenus tolluntur per absolutionem in foro animæ, *Abbas in d. cap. de his de accusat. Covarr. d. §.11. num.16. & var. resol. lib.2. cap.10. num.3.*

Quoties verò excommunicatio fuerit occulta, sicuti illa nihil operatur in
10 exteriori judicio, ita pariter non valet impedire Beneficii assecutionem, ut docet *Joannes Andr. Hostiensis*, & *Abbas in cap. si verò*, ubi *Glossa de sentent. excommunic.* & *Nos* latè de hac materia *sub titulo de censuris*, ubi de sententia excommunicationis, suspensionis; & interdicti. Vide quæ ibi diximus.

Demum nota hic incidenter, non solùm Clericum excommunicatum non posse Beneficia obtinere in pœnam; sed etiam Collatorem esse dignum pœnâ, uti reum culpæ; ac proindè Collatores ipsi, qui scienter Beneficia talibus
11 contulerunt, tamdiù debent à Beneficiorum Collatione suspendi, donec super hoc veniam consequuti fuerint; undè debent puniri in hoc, in quo delinquere præsumpserunt, ut habetur ex *Textu in d. cap. postulasti*. Vide quæ *Nos* latè *sub titulo de Censuris*.

ARGUMETUM.

Clericus non ordinatus, ministrando in ordine, quo non est insignitus, quàm grave scelus committat, ubi quibus pœnis erit puniendus.

SUMMARIUM.

1 *Celebrans in Ordine, ad quem promotus adhuc non fuit, quam pœnam incurrat*, & num.3. cum seqq. & n.9. cum seq.

2 *Pœnæ falsi quasi subjecti videntur qui e scho-*

e scholis redeuntes laureati sese jactant Doctores, cum tales non sint.

7 *Ministrans in Ordine non suscepto non est privandus Beneficio, ne in dedecus. Ecclesiasticæ militiæ mendicare cogatur.*

Quinimo cum eo potest Episcopus dispensare etiam ad assequenda Beneficia, num.8.

DISCEPTATIO XXXI.

Quia non semel aliquis superbiâ ductus, ut credo, cum non sit ordinatus certo ordine, ministrat in illo, ac si verè esset ordinatus, meritò sacri Canones ad compescendam hujusmodi hominum audaciam, gravem pœnam inflixerunt. Ubi enim Clericus ministrat in pertinentibus ad ordinem, quem non habet, deponendus
1 est, imò non obtenta priùs dispensatione, non valet ad ordinem ipsum promoveri, tanquam indignus, ut habetur ex *Textu in cap. si quis hoc titulo*, ubi *Glossa*, & *Canonistæ* communiter.

Iste enim talis homo, temerè exercens officium spectans ad ordinem,
2 quam non habet, non solùm est deponendus ut suprà, sed reus quoque erit criminis falsitatis, ex eo quod simulat, se habere illam dignitatem, quam revera non habet, ac utitur illis insigniis, quibus caret, *l. eos ff. de falsis*. Quod valet dici de iis, qui venientes de studiis dicunt se esse Doctores, cum non sint; nam isti tenentur pœna falsi: *Petrus de Anchar. in cap. ut Apostolicæ de privileg. in 6. Bart. in l. reddatur C. de profess. lib.*10. & *Nos* latè *de crimine falsi*.

Clerici verò incidunt in pœnas, de quibus suprà, ubicunque solemniter
3 se exercent in Ordine, quo non sunt insigniti, & in solemni apparatur, hinc ubi, non Subdiaconus dicit Epistolam absque Manipulo, Diaconus dicit Evangelium absque Stola, hoc casu non habent locum supradicta, vel quando quis canens Epistolam, vel Evangelium privatè sine solemni apparatu, ut colligitur ex *Textu in cap. ut quisque Presbyter de vita, & honestate Cleric.* ubi *Abbas num.*3. ibique *Doctores*.

Clericus igitur ministrans in ordine, quem non habet, abiiciendus erit ab Ecclesia, ad litteram *Textus in d. cap. si quis* ibi = *Abjiciatur ab Ecclesia*, quæ verba tripliciter interpetrantur ab *Hostiensi in d. cap.* ubi primò ponit illud verbum *Abjici* per excommunicationem latam, priùs præcedente mo-
4 nitione. Secundò, pro privatione Beneficii. Tertiò, pro depositione, & iste ultimus intellectus plus mihi placet propter id, quod sequitur in littera dicti *Textus si quis*, dum dicit, quod nunquam debet amplius ordinari.

Utens Ordine, quo non est insignitus, ad Superiores promovendus non erit:
5 hinc ubi Diaconus ausus fuerit Missam celebrare, in pœnam tanti sceleris venit suspendendus ab Ordine, & ad Sacerdotium non promovetur, ad litteram *Text. in cap. ex litteris hoc titulo*, ubi *Canonistæ* communiter, suspensio
6 verò prædicta non debet esse perpetua, sed biennio, vel ad summum triennio, secundùm quod Judici visum fuerit quod quis suspensus maneat.

Quoties verò iste talis habeat Beneficium, cum eo benignè ac misericor-
7 diter agendum erit, ea ratione, ne sustentatione privatus mendicare cogatur, vel aliud agere conetur in opprobrium status Clericalis; utilius tamen ageret Clericus iste, si ad Monasticam vitam transiret. Cum hujusmodi tamen
8 homine quoad Beneficia dispensare potest Episcopus, ut benè ad materiam *Abbas Panormit. in d. cap. ex litteris*.

Hodie ex *Constitutione Clem. VIII.* quæ incipit. *Et si*, relata à *Quaranta in summa Bullarum V. ordo*, qui Missam celebrare, aut confessiones Sacramentales nondum ordinatus Presbyter audire præsumpserit, jubetur per Inquisitores, vel locorum Ordinarios, tamquam misericordiæ Ecclesiæ indignus, e foro Ecclesiastico abiici, & ab
9 ordinibus Ecclesiasticis, si quos habeat degradari, servatis servandis, ac à Judicibus secularibus pro meritò puniri, ut *Nos* latè *de Sacrificio Missæ*; ibi vide, ubi refero casum retro elapsis annis, dum hæc scribebam, de illo Dominico, qui simulavit se Sacerdotem & qui mortuus crematus fuit in acie cam-

campi Floræ. Vide dicto loco supracitato, *de Sacrificio Missæ*, ubi magis latè.

Demum est videndum de Clerico ordinem, quem non habet ministrante,
10 an ille incidat in irregularitatem: & nulli dubium videtur quod ubi quis ministrat in ordine sacro, quo non est insignitus, modo scienter, & serio, & cum officio hoc agat, incurrat irregularitatem, ad *Text. in cap. 1. & 2. hoc titulo* ibi: *Nunquam ordinatur*, *Ugolin. de irregular. cap. 37. Sayrus cap. 10. num. 1.*

Dixi *scienter*; etenim, ubi quis ignoranter ministrat in ordine, quem non
11 habet, credens se talem ordinem habere, non incurrit irregularitatem, *Ugolin. suprà num. 8. Navarr. conf. 70. de sent. excommu lc.*

Dixi *seriò*; etenim ministrans per ræpresentationem, uti faciunt illi, qui, ut addiscant ceræmonias Missæ, se exercent in illis, licèt nondum Sacerdotes, hoc casu non incurrit irregularitatem, si se exerceat in Missa celebranda, *Ugolin. suprà num. 12.*

Dixi *cum officio*; etenim ubi quis exercet ordinem sacrum sine solemnita-
12 te, non contrahit irregularitatem, *Ugolin. suprà.*

Dixi *in ordine sacro*, etenim ministrans in minoribus non dicitur reus tantæ pœnæ, *Sayrus suprà num. 13.*

ARGUMENTUM.

Promotus per saltum quinam dicatur: qua pœna puniendus sit? An ex illo imprimatur character, & quis valeat dispensare cum illo?

SUMMARIUM.

1 *Ad sacros ordines gradatim fit ascensus, promotus itaque per saltum puniendus est, quamvis id egerit citra dolum.*

2 *Promotus per saltum quatenus ministrare valeat.*

3 *Ordo presbyteralis inferiores ordines non requirit de necessitate ad sui validitatem*, & num. 4.

5 *Ad Episcopatum an quis validè per saltum assumatur.*

6 *Sacros ordines num possit quis validè suscipere ante usum rationis.*

7 *Ad validitatem ordinis requiritur intentio Ministri conferentis.*

8 *Cum Clerico promoto per saltum quis valeat dispensare*, & n. 9. cum seqq.

10 *Clericus, qui ministrat in ordine, à quo fuit suspensus, irregularitatem incurrit.*

12 *Lex nova, quæ disponit super antiqua ab ea declarationem recipit.*

DISCEPTATIO XXXII.

Quia in conferendis ordinibus tàm majoribus, quàm minoribus quidam ordo institutus est ab Ecclesia (licèt omnes tendant ad Eucharistiam) ac proindè postquam prima tonsura quis insignitus fuerit, gradatim debet promoveri ad ordines, incipiendo ab ostiariatu; hinc videre est, an ubi quis de uno ordine ad alium saltum fecerit, omisso medio, dicatur promotus per saltum; ac proindè incidat in pœnam, & qua pœna puniendus sit, videre est: & quid servandum cum ipso ita ordinato.

Posito igitur quòd quis de Subdiacono per saltum promotus fuerit ad Pres-
1 byteratus ordinem, licèt ignoranter hoc egerit, & non dolo, vel malitia; adhuc non erit immunis à pœna, ut habetur ex germanis verbis *Textus in cap. tuæ litteræ, hoc titulo de Clerico per saltum promoto*, ubi *Glossa*, & *Canonistæ communiter, cum Abbate Panormit. Barbosa, Fagnan. & aliis.*

His ergo positis, quotiescumque verè non constat, aliquem dolo malo pro-
2 curasse ascensum de uno ordine ad alium omisso medio, postquam egerit pœnitentiam condignam impositam à suo Ordinario, ea peracta, debet iste talis se promoveri facere ad ordinem omissum, & sic postea ministrare valet in ordine Sacerdotii per anteà susceptum, ut habetur ex *Textu in d. cap. tuæ litteræ circa finem*, ubi *Glossa*, & *Canonistæ communiter*.

Ex quo *Textu* nota primò, ordinem Sacerdotalem non prærequirere ex necessitate Sacramenti characterem ordinis

nis Diaconatus, ut apertè probatur ex *d. capitulo*; eo quia ibi ab Innocentio dumtaxat jubetur, non Diaconum promoveri ad Diaconatum, adeout peractâ pœnitentiâ, ministrare is poterit in
3 Sacerdotio validè, licèt illicitè suscepto, & sic character Presbyteralis fuit absque dubio impressus, aliter Pontifex mandaret promoveri ad utrumque Ordinem, quod Papa non fecit, ut ex illius lectura, facit *Textus in cap. solicitudo 52. dist.*

Hoc idem videtur dicendum, ubicumque quis non solùm, omisso Diaco-
4 natu, se promoveri curavit ad Sacerdotium, sed etiam ubi omissi fuerunt Ordines minores; nam licèt *Hugo ad citatum Textum tuæ litteræ*, tenuerit, laicum ordinatum ad sacros Ordines nihil recipere, eo quòd sicuti viri, & mulieris conjunctio unum perficit corpus, ita Clericatus, & Sacerdotium unum faciunt Presbyterum, *cap. sicut 40. dist.* tamen contrarium docuit *Vincentius*; nam secundum eum licèt quis nullum habeat Ordinem ex illis quatuor minoribus Ordinibus; attamen si promoveatur ad sacros, utique Ordinem recipit, quam *Vincentii* opinionem sequitur *glossa*, *Hostiensis*, *Joannes Andr.*, *& Fagna n. ad citatum Textum num. 3.* idem firmat *glossa in d. cap. solicitudo 52. dist.* ex qua habetur præposterationem facti factum non vitiare.

An hoc idem videatur dicendum de promoto ad Episcopatum per saltum:
5 & quamvis supradicta ita se habeant in Ordine Presbyteratus, non transeunt verò absque difficultate in Ordine Episcopali; nam *Barthelom. Brixiensis in d. cap. solicitudo* (ut ibi notatur in *glossa*) opinatus est, laicum recipere posse Ordinem Episcopatus, & characterem imprimi, si ei conferatur in forma Ecclesiæ ab eo, qui potestatem habet: & ita post *Hugonem* tenet *Archidiac. in cap. Subdiaconus 77. dist.* ubi ita legitur: *Imò plus dico, quod in cunis potest puer esse Sacerdos, & Episcopus, & omnes ordines recipere secundùm Hugonem.* *Fagnan. in d. cap. tuæ litteræ n. 6.*

Veritas tamen est in contrarium; quoniam *Canonistæ* ferè omnes, excepto *Barthelomæo Brixiensi*, oppositum tenuerunt, nempè *Vincentius*, *Petrus Hispalem Goffredus*, *Joannes Bernardus*, *Innocentius*, *& Hostiensis in cap. sicut 40. dist.*, *& in cap. in decorum de ætate, & qualitate*, ubi *Petrus de Sampsone n. 2.* *Joannes Andreas n. 10.* *Bellamera n. 15.* *Butr. n. 8.* *Turrecremata in d. cap. solicitudo*, *Sylvester v. Ordo*, aliique apud *Fagn. in d. cap. tuæ litteræ num. 6.*

Ex supracitato *Textu in cap. tuæ litteræ nota 2.* usum rationis ad sacros Or-
6 dines recipiendos non esse de necessitate Sacramenti, alioquin ordinatus ante usum rationis non reciperet characterem, sed deberet iterum ordinari, cujus contrarium deciditur *in d. cap. tuæ litteræ*; nam suppletur tantummodo ordo prætermissus, ut ex *d. Textu*, reliqui autem Ordines ante usum rationis collati non iterantur, & hunc *Textum* adducunt *Turrecremata*, *& Præpositus in cap. Subdiaconus 77. dist.*, & ibi *Glossa* dicens, infra annos discretionis benè quem recipere sacros Ordines, licèt conferri non debeant; & ita *D. Thomas in 4. Sentent. dist. 45. qu. 2. art. 2. qu. 2.* *Hostiensis in cap. vel non est compos n. 6. de tempor. ordinat.*, & *Nos* latè *de ordine*.

Cœterùm si Episcopus ante ordinationem protestatus se fuerit non habere intentionem conferendi Ordines, nisi habentibus ætatem legitimam præscriptam à sacris Canonibus, & signanter à *Tridentino*: hoc casu non imprimitur
7 character, nec verè ordinatus dicitur ille, qui non habet legitimam ætatem, non quidem ex defectu ætatis, sed ex defectu intentionis ministri, quæ omnino requiritur ex necessitate Sacramenti, ut ex *Concilio Florentino in Decreto Fidei §. 5.*, & ex *Trident. sess. 7. de Sacram. Canone 11.*

Promotus de quo suprà per saltum, de jure incidit in suspensionem, ut colligitur ex *Textu in d. cap. tuæ litteræ*, usque quo non obtinuerit veniam à legitimo Superiore, & de omisso insignitus fuerit. Hinc videre est quinam dispensare possit cum Clerico sic promoto.
8 Et circa præsens dubium variæ sunt Doctorum Sententiæ; etenim nonnulli putant, posse Episcopum dispensare cum

Presbytero per saltum promoto, ut postea quam pœnitentiam peregerit, ac deinde susceperit ordinem prætermissum, ministret in ordine Sacerdotali, ad *Textum in d. cap. tuæ litteræ*, ubi *Glossa*; *& Fagn. n.16.* concordat *Text. in cap. solicitudo 52. dist.*, *Suarez disput.31. n.44. de Censur. Trid. sess.23. cap.14. de Reformat.*

Alii verò, meliùs distinguendo, dicunt, posse Episcopum dispensare cum sic promoto, ubicumque ita ordinatus
9 ignoranter hoc egerit, non autem dolosè, ut habetur ex *d. Textu in cap. tuæ litteræ*; ac ubicumque non ministraverit in ordine, per saltum suscepto, ut statuitur per *Trident. d. cap.14.* etenim si ministraverit, ratione irregularitatis incursæ non valet cum eo Episcopus dispensare; sed tunc recurrere debet ad Papam. Nam *Tridentinum dicto cap.14.* decrevit, Episcopum ita posse dispensare cum promoto per saltum, si non ministraverit; undè supponit, sic promotum, esse ipso jure suspensum ab executione ordinis per saltum suscepti: & celebrando novum impedimentum, videlicet notam irregularitatis incurre-
10 re: ministrando enim quis in ordine, à quo est suspensus, incidit in irregularitatem, ad *Textum in cap. æterni de re judic. in 6.* ibi = *Quod si suspensione durante damnabiliter ingesserit se divinis, irregularitatis laqueo se involvet*; concordat *Text. in cap. cum medicinalis de Sentent. excomm. in 6.*

Sed remanet dubium, an hodie Episcopus possit dispensare cum his, qui non ministraverint, si scienter fuerunt per saltum promoti: & secundùm adducta ab *Alterio tom.2. de Censuris disput.10. cap.5. vers. hoc in loco, & aliis ab eo adductis*, habetur posse dispensa-
11 re; ea autem ratione moventur, quia Concilium ibi nullum verbum facit de Ordinato scienter, vel ignoranter, sed simpliciter loquitur, ibi = *Cum promotis per saltum si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.*

Sed verior Sententia est in contrarium; etenim cum jura antiqua distinguant, ut ex *citato Textu in cap. tuæ litteræ*, ubi de Clerico Ordinato ignoranter per saltum, ac *in cap. solicitudo 52. dist.*, ubi distinguitur, an talis se
12 fecerit sic promoveri ex negligentia, seu ignorantia, an verò ex superbia: eodem prorsus modo distingui, ac intelligi debet Concilium Tridentinum, *suprà d. cap.14.* Etenim lex nova disponens in materia antiqua recipit omnes interpetrationes, & limitationes, quas materia ab antiquis legibus recipiebat, *l. in contractibus*, *§. præterea*, *C. de non numer. pec.*, *Petrus Brixien. in Repertorio. V. Interpretatio. Fagn. suprà num.24. & 25.*

ARGUMENTUM.

Clericus, qui furtivè Ordinem suscepit, qua pœna puniendus sit, remissivè ad materiam Ordinis.

SUMMARIUM.

1 *Clericus, qui furtivè Ordines suscepit, qua pœna plectendus sit.*

DISCEPTATIO XXXIII.

Sequitur, ut dicamus licèt breviter ad ornatum materiæ, ultra ea, quæ diximus alibi sub titulo *de Sacramento Ordinis*, an furtivè recipiens Ordines
1 sit dignus pœnâ. Et in hoc dicimus quòd ubicumque quis absque consensu Episcopi in numerum Ordinandorum se ingerit, veluti si subterfugerit examen, & nihilominus in ordinatione comparuerit, vel eadem die præter minores Ordines, etiam Subdiaconatum, vel duos sacros Ordines acceperit, in pœnam hujusmodi sceleris, non potest habere executionem Ordinis furtivè suscepti; & insuper redditur inhabilis ad superiores Ordines suscipiendos, ut de omnibus est *Text. in cap. 1. 2. & 3. hoc titulo*, latè *Nos* sub *titulo de Sacramento Ordinis*.

De

De Clericis Conjugatis ad Lib. 3. Decret. tàm extra, quàm in 6.

ARGUMENTUM.

Quinam dicatur Clericus Conjugatus in ritu latino. Clerici Conjugati an licitè possint retinere Beneficia Ecclesiastica? Quibus Privilegiis fruantur? An valeant exercere munera, & officia laicalia?

SUMMARIUM.

1 *Clericus conjugatus dicitur, qui, derelictâ Ecclesiasticâ militiâ, ad secularia vota transivit.*

2 *Beneficium vacat, statim ac Clericus matrimonium contrahit*, & num. 9.
Amplia primò, quamvis matrimonium consummatum non fuerit, n. 4.
Amplia secundò, etiamsi uxor ante carnalem copulam ingressa fuerit Monasterium, num. 5.
Amplia tertiò, licèt matrimonium contractum nullum deindè detegatur propter aliquod impedimentum dirimens; num. 6.

3 *Clericus transeundo ad carnales nuptias, statim pensiones Ecclesiasticas amittit.*

7 *Clericus conjugatus nequit Beneficia obtinere; vel ad sacros ordines ascendere, nisi cum uxore castitatem mutuò voveant.*
Item non valet sese in Ecclesiasticis muneribus immiscere, num. 8.
Limita, ut num. 41.

10 *Clericus conjugatus cur obtentis Beneficiis privatus remaneat*, & num. 11.

11 *Ut videatur, num expediat matrimonium inire, ejus gravia onera ponderanda sunt secundùm* Apostolum.

12 *Caeci reputantur Episcopi illi, qui dilapidant Ecclesiae substantiam pro ditandis nepotibus, non cousiderantes sese aedificare ad gehennam.*

13 *Clericus conjugatus gaudet privilegio fori, & Canonis, in reliquis verò pro laico reputatur*, num. 14.
Declara, nisi aliis fruatur privilegiis ex legitima consuetudine, quae servanda est, num. 15.

16 *Clericus conjugatus exemptus est ab oneribus realibus, & mixtis, aliisque gravaminibus, ubi ex praescripta consuetudine ita servetur*, & n. 17.

18 *Clerici conjugati subiici non possunt oneribus personalibus*, & num. 19.

20 *Clericus conjugatus suis privilegiis non gaudet, nisi servatis requisitis Canonum, ac Sacri Concilii Tridentini.*

21 *Clericus conjugatus gaudet privilegio fori tàm in civilibus, quàm in criminalibus contra* Covarr. & alios, & num. 22.

23 *Verba legis tantum operantur quantum sonant.*

24 *Lex, quae non distinguit, indistinctè intelligenda est.*

25 *Clericus conjugatus, qui habitum dimisit, an & quatenus gaudere possit privilegio fori.*

26 *Clericus reassumendo habitum dimissum ad omnia sua privilegia restituitur.*
Quid autem si resumptio habitus sequatur post commissum delictum, pro quo à Judice laico citatus fuit, atque in contumaciam condemnatus, num. 27. & seq. & num. 31.

29 *Praeventio altera quoad causam, altera verò quoad personam, & utriusque effectus expenditur.*

30 *Judex laicus an, & quatenus teneatur Clericum conjugatum remittere ad Judicem Ecclesiasticum.*

32 *Fraus nemini debet prodesse.*

33 *Clericus conjugatus gaudens fori privilegio, nequit à Judice laico carceribus mancipari citra incursum in poenam censurarum*, & num. 34.
Nec pro debito civili potest alibi conveniri, quàm coram Judice Ecclesiastico, num. 35.

36 *Cognitio num Clericus conjugatus gaudeat privilegio fori, spectat ad Judicem Ecclesiasticum.*

37 *Clericus conjugatus gaudet privilegio, ne teneatur ultra quam facere potest*, & num. 38.

39 *Privilegium fori, quo gaudet Clericus conjugatus, porrigitur etiam ad ipsius uxorem, & filios, ac durat quousque*

que eadem uxor vitam viduilem servaverit, & num.40. & 41.

41 *Privilegia patris communicantur etiam filio.*

42 *Clerici conjugati num supplere valeant vices Clericorum cælibum in sacris functionibus.*

43 *Clerici conjugati nequeunt assumere laicalia munera, neque ad id cogi possunt per Judices laicos citra læsionem Ecclesiasticæ Immunitatis*, & num.44.

Quatenus verò idonei laici deficiant, poterunt ex Pontificia dispensatione laicalia officia subire, num.45.

Sin autem hujusmodi Clerici in dd. officiis deliquerint, coram Judice Ecclesiastico ex veriori sententia debent conveniri, num.46. & seq.

48 *Clerico co jugato permissum est negociationem licitam exercere, quemadmodum licet Clerico cælibi Ecclesiasticum Beneficium non habenti.*

DISCEPTATIO XXXIV.

Quinam dicatur Clericus conjugatus in nostro ritu latino, primo loco nobis est demonstrandum: & dicimus, illum vocari talem, qui cum fuisset constitutus in minoribus Ordinibus, animo ascendendi ad sacros Or-
1 dines, mutato consilio, mulierem ducit unicam, & virginem, undè dicitur conjugatus: qui quidem Clericus in quampluribus gaudet ut Clericus, licet uxorem habeat, ut *nos infra* demonstrabimus.

Posito igitur quòd aliquis Clericus uxorem ducat unicam, & virginem,
2 quatenus habuerit Beneficium Ecclesiasticum, illud statim vacat; cum Beneficia Ecclesiastica non valeant retineri à conjugatis, nisi dispensatione Pontificis intercedente, ad *Text. in cap. si quis hoc titulo*, ubi *Canonistæ communiter*, *Covarr. de sponsal. part.1. cap.6. §.3. num.4. Garz. de Benefic. part.11. cap.8. num.1. Vivian. de Jure patronatus lib.5. cap.5. num.48.* & *Nos* sub *titulo de Beneficiis*.

Quod locum habere videtur etiam
3 quoad pensiones Ecclesiasticas, ut per *Covarr. sup. d. §.3. num.6. Clar. qu.74.* & *Nos* latè *de Pensionibus Ecclesiasticis*. Ibi vide.

Vacatio enim Beneficiorum contingit in Clerico, de quo supra, etiamsi
4 matrimonium non fuerit consummatum, cum sufficiat ad hunc effectum consensus de præsenti, præstitus in faciem Ecclesiæ, ut dicatur matrimonium de præsenti; etenim consensus, & non concubitus facit matrimonium; undè sive matrimonium fuerit consummatum, sive non, statim censetur Clericus suo Beneficio privatus, *Capella Tholosan. decis.239. Squillante de privileg. Cleric. cap.4. num.85.* & *Nos de Beneficiis*.

Ac idem pariter locum habet, etiamsi, post matrimonium contractum, uxor
5 ingressa fuerit religionem, non sequuta adhuc carnali copula; quia non ideò Clericus recuperabit Beneficia, quæ jam per matrimonium contractum vacarunt, *Abbas in cap. si quis num.6. hoc titulo*, ibique *Barbosa num.5. Covarr. suprà num.2.* & *Nos* latè *de Beneficiis*.

Idem locum habere videtur, ubicunque matrimonium contractum per ver-
6 ba de præsenti fuerit nullum, attento aliquo impedimento impediente, & dirimente, quamvis Clericus ignarus impedimenti contraxisset: eo enim detecto cum matrimonium dicatur ipso jure nullum, ei non competit regressus ad Beneficium, *Covarr. suprà d. num.4. Garz. d. cap.8. num. 8.* & ita de similibus. Vide quæ *Nos* latè sub *titulo de Benefic.*

Clericus in minoribus Ordinibus constitutus, unicam, & virginem ducens
7 uxorem, sicuti non valet retinere Beneficia Ecclesiastica antea obtenta, eoque fortiùs non valet ad Ordinem Ecclesiasticum, & Beneficium promoveri, nisi castitatem promittat, & uxor profiteatur continentiam, videlicet ubi mutuò mulier ingrediatur Monasterium, & maritus ascendat ad sacros Ordines; nam aliter esset monstruosum esse miles Christi, & Mundi, ut habetur ex *Textu in cap. sanè il 1. hoc titulo*, ubi *Imola, Hostiensis, Panormitan. Joannes à Capistrano* & communiter *Co-*

Canonistæ cum *Barbosa in d. cap. sanè Parisius de Resignation. Benefic. lib.4. quæst.2. num.27. Hojed. de incompet. Benefic. part.1. cap. ultimo n.76. Sanchez de matrim. lib.7. disp.44.*

Imò non solùm non potest obtinere Beneficia Ecclesiastica, nisi voveat ca-
8 stitatem, ut suprà, sed neque valet munera Ecclesiastica exercere, & administrare. Hinc non potest esse Vicarius Episcopi, ut notant *Doctores* cum *Abbate in d. cap. sanè num.2.*

Clericis igitur auferenda sunt Beneficia, quæ habebant tempore contractus
9 matrimonii, quacunque appellatione non obstante, ad *Textum in cap. diversis fallaciis hoc titulo*, ubi *Abbas n.1.*

Ratio cur Clerici, uxorem ducendo, privandi sint Beneficiis, ostenditur ex dicto *cap. diversis fallaciis*; dicit enim ibi Papa; cum ergo vir cogitet, quomodo placere possit uxori; & ideò cir-
10 ca ea, quæ Dei sunt, minus valeat cogitare; quia quasi in duo divisus, plenam sibi non habeat potestatem; ut ergo ei, à quo stipendium recipit, pleniùs famuletur, mandat ibi Papa, ut hujusmodi Clerici Ecclesiasticis Beneficiis debeant spoliari, appellatione remotâ, præsertim cum Ecclesiasticarum rerum substantia per tales soleat perire.

Ex quo *Textu* nota cum *Abbate Panormitano* ibi *num.1.* conjugatum non
11 posse tendere perfectè in vitam contemplativam, cum circa uxorem suam vitam activam agere debeat, ac circa rem familiarem suæ domus; multa enim sunt onera matrimonii, quibus consideratis, inquit *Apostolus*, si talis est sarcina viri, non expedit homini uxorem accipere, ad *Text. in cap. omnes causationes 32. quæst.7.*

Duæ vero sunt causæ, quare Clericus conjugatus non potest habere Beneficium Ecclesiasticarum. Prima est, quia non potest perfectè famulari, cum non habeat totam sui corporis potesta-
12 tem. Secunda, quia amore filiorum, & conjugis, Ecclesiarum substantia solet per tales dilapidari, ad *Textum in cap. pervenit 1. quæst.3.* ubi *Glossa* dicit, quod Episcopi sunt cœci, dissipando bona Ecclesiæ amore nepotum, fortiùs amore filiorum efficiuntur omnino cœci, *Abbas in dicto cap. diversis fallaciis*.

Quæ vero sint privilegia Clericorum conjugatorum, videre est: & dicimus,
13 eosdem quampluribus frui privilegiis, dummodo servaverint ea, quæ præscripta sunt in *cap. unico de Clericis conjugatis in 6.* Et primò gaudent privilegio Canonis, & fori, *Glossa in dicto cap. unico, Tridentin. sess.23. de Reform. cap.6. Fagnan. in cap. ut privilegia num.31. de privilegiis, Thomas del Bene de Immunitat. Eccles. cap.1. dub.5. sect.3. Sperell. decis.132. num.26. Pignatell. consult. Canonic. tom. 1. consult.45. & 46. & tom.2. consult.42. per totum*, ubi *Doctores* passim.

Exceptis verò his duobus privilegiis, habentur ut merè laici: undè non exi-
14 muntur à Collectis, gabellis, aliisque laicalibus oneribus, necnon aliis obsequiis Principi debitis: *Abbas in cap. ex parte num.2. de Clericis conjugatis, Fagnan. in d. cap. ut privilegia num.31. & in cap. Joannes num.2. de Clericis conjugatis, & in cap. pervenit num.16. de Immunitat. Ecclesiastic. Card. de Luca de Regul. disc.60. num.4. Rota recent. part.15. deci.207. num.1. Pignatell. consult. Canonic. tom.1. consult.99. num.1. Sacra Congreg. Immunit. in una Aquilana 25. Septembris* 1627. & in altera *Camerinen. 28. Septemb. 1694. lib.1. Decret. Vallemani.*

Si verò, datâ legitimâ consuetudine in eorum favorem inductâ, appareat,
15 ut eximantur ab onere Collectarum, & similium, hujusmodi consuetudo uti laudabilis venit attendenda, *Sacra Congreg. Immunitatis in una Hydruntina 7. Augusti* 1640. *Teatina 20. Aprilis* 1649.

Sicuti pariter, datâ legitimâ consuetudine, veniunt eximendi ab one-
16 ribus realibus, & mixtis, eadem *Sacra Congreg. Immunitat. in una Cassanen. 16 Junii 1644. lib.3. Decret. Paulutii*, & in *Civitatis Plebis 20. Januarii* 1654. Nec non concurrente legitimâ consuetudine, veniunt eximendi à Collectis, & taxis, quæ fiunt per capita, eadem

dem *Sacra Congreg. Immunitatis in una Rossanen.* 23. *Maji* 1658.

Ita pariter datâ legitimâ consuetudine, veniunt eximendi ab onere capi-
17 tationis, ut dicitur *il testatico*: eadem *Sacra Congreg. Immunit. in una Oppiden.* 6. *Martii* 1635. & in *Cathacen.* 23 *Maji* 1645. *Castellaneten.* 20 *Martii* 1662. *Policastren.* 20. *Martii* 1668. *lib.* 1. *Decret. Altoviti.*

Hoc unum est, quod Clerici conjugati sunt exempti ab onere personali, cum non debeant pati, qui adscripti sunt servitio Ecclesiæ, sese esse addictos secularibus; duobus enim Dominis nemo
18 servire debet; ac proinde non tenentur ad onus, quod dicitur in nostro Regno *del focolare*, ut ex eadem *Sacra Congreg. Immunit. in una Oppiden.* 21. *Novembris* 1635. *Squillacen.* 19. *Januarii* 1638. *Tridentina* 18. *Novembris* 1687.

Nec ad alia similia onera, ac proinde veniunt exclusi ab hospitatione mi-
19 litum, ab onere quod dicitur *la giornata*, ab onere quod dicitur *il donativo*, & similibus. *Sacra Congreg. Immunitatis in una Policastren.* 19. *Aprilis* 1695. *lib.* 1. *Decret. Vallemani.*

Redeundo ad privilegium fori de quo suprà, Clerici prædicti gaudent hoc privilegio, dummodo servent ea, quæ præscripta videntur à Papa in *d. cap. unico de Clericis conjugatis in* 6., videlicet, ubi per eos matrimonium
20 contractum fuerit cum unica, & virgine: secundò, ubi habitum, & tonsuram deferant: tertiò, ubi inserviunt Ecclesiæ, cui adscripti sunt, ad disposita per *Tridentinum sess.* 23. *de Reform. cap.* 6. Nam aliter prædicta requisita non habentes, non gaudent præfato privilegio: *Sacra Congreg. Immunitatis in una Civitatis Castelli* 20. *Decembris* 1661. *lib. Decret. Roeci*, & in altera *Reatina* 13. *Augusti* 1704. *lib.* 3. *Decret. Vallemani.*

Clerici supradicti gaudent fori privilegio tàm in civilibus, quàm in crimi-
21 nalibus, cum non sit habenda major ratio in uno, quàm in altero casu; etenim semper videtur eximenda persona à foro laicali, cum non desinat quis esse Clericus per contractum matrimonii cum unica, & virgine, servando ea, quæ præscripta videntur in *dicto cap. unico*, quod est magistrale in hac materia; undè, uti dixi, non valent cognosci à Judice laico, ut docet *Squillante de privileg. Cleric. cap.* 7. *dub.* 2. *num.* 7. *Barbosa de Episcop. allegat.* 12. *num.* 25. *Marta de jurisdiction. part.* 1. *cap.* 159. *num.* 5. *Sperell. decis.* 2. *n.* 125. *de Marinis resol. quotid. cap.* 58. *num.* 2. *Pignatell. consult. Canonic. tom.* 1. *consult.* 489. *Sacra Congreg. Immunitatis in una Rossanen.* 23. *Martii* 1638. *Caputaquen.* 24. *Novembris* 1643. & in altera *Caputaquen.* 21. *Junii* 1644. *Neocastren.* 29. *Aprilis* 1704. *lib.* 4. *Decret. Vallemani.*

Quid quid contrarium dicat, *Covarr. Pract. quæstionum cap.* 31. asserendo,
22 Clericos conjugatos non gaudere fori privilegio, nisi in criminalibus tantùm, quem sequitur, *Farinacc. quæst.* 8. *n.* 7. *Barbosa d. alleg.* 12. *num.* 25. *Guttierez pract. quæst. lib.* 1. *quæst.* 25. *num.* 3. & *Doctores* alibi: Fulti eâ ratione, quia in *d. cap. unico*, tantùm fit mentio de criminalitate, ibi: *Pro commissis ab eo excessibus, & delictis*, & sequitur, *in cæteris autem eo gaudere volumus privi-*
23 *legio*; verba enim legis tantùm valent, quantum sonant.

Sed à prima sententia non est recedendum, non solùm ob auctoritatem
24 tot doctorum ibi allegatorum, sed quia fulcitur tot declarationibus Sacræ Congregationis ibi adductis, ex quibus habetur, Clericos conjugatos servantes disposita in *d. cap. unico*, gaudere privilegio fori tàm in civilibus, quàm in criminalibus, & mixtis. Facit *Tridentin.* de quo suprà, ubi indefinitè loquitur, undè indefinitè est intelligendum: latè *Danza de pugna Doctorum cap. unico de Cleric. conjugatis in* 6. *num.* 12.

Clerici de quibus suprà, gaudent privilegio prædicto, quamvis per aliquod tempus ante, vel post delictum, habitum, & tonsuram dimiserint, & pro merè laicis habiti fuerint, modo de tempore capturæ reperti fuerint in habitu
25 Clericali: etenim non reperitur in jure cautum, ut propter dimissionem habitus Clericalis statim privilegium dicatur

catur amissum, ut aliis congestis, docet *Barbosa de Episcopis alleg.* 12. *n.*27. *de Grassis de effect. Clericat. effectu* 1. *n.*48. *Clarus quæst.*32. *n.*12. *Marta de Jurisdict. part.*2. *cap.*32. *n.*41. *Riccius collect.*308. *Fagn. in cap. magnus n.*82. *de obligat. ad ratiocinia*.

Privilegium verò à Jure concessum Clericis, sive cœlibes, sive conjugati illi fuerint, per dimissionem habitus
26 Clericalis dicitur suspensum, non autem amissum, undè reassumpto habitu Clericali, per illius reassumptionem dicuntur reassumpta omnia privilegia, ut egregiè docet *Archid. in d. cap.unico de Clericis conjugatis in* 6. *Abbas in cap. fin. de vita, & honest. Cleric. de Grassis d. effectu* 1. *n.*85. *Ciarlin. controvers. forens. cap.*53. *n.*21. *Diana resol.moral. part.*9. *tract.*2. *resol.*148. *Fagnan. in d. cap. magnus n.*73. *&* 81.

Si verò Clericus conjugatus, dimisso habitu Clericali, delictum committat, pro quo citatus fuerit à Curia laicali,
27 & in contumaciam condemnatus; si deinde reassumat habitum, & servat ea, quæ præscripta videntur à *Tridentino sess.*23. *cap.*6. *de Reform.* Judex laicus citra pœnam censurarum non potest amplius procedere contra dictum Clericum quoad personam, *Ciarlin. controv.forens. cap.*53. *n.*22. *Diana resol. moral. part.*4.*tract.*1. *resol.*78. *de Grassis suprà n.*85. *Pignatell. tom.*1.*consult. Canonic. cons.*45.*n.*3. ubi resolutio *Sac. Congreg. Fagn. in d. cap. magnus n.*73. *&* 81.

Ratio est, quia eo tempore, quo Judex laicus incipit Clerici personam distringere, reperit eumdem sibi non subesse, qui per reassumptionem habitus Clericalis potest illi dicere: mea perso-
28 na tibi non subjacet; nam gaudeo privilegio fori Ecclesiastici, *Joannes Andreas in cap. Joannes qu.*4. *hoc titulo*, & ibi *Cardin. & Ancharan.* Idem videntur sentire *Joannes Andr. & Abbas in cap. unico de obligat. ad ratiocinia*; qui solùm considerant præventionem Judicii respicientem causam, & respicientem personam; nam si Judex laicus
29 prævenit in causa, assumptio habitus non tollit jurisdictionem, quo minus causam, modò à persona abstineat, ad finem deducat: Si verò prævenit in persona eam capiendo in statu non exempto, videlicet sine habitu Clericali incedentem, reassumptio habitus non impedit quominus judicium contra dictam personam prosequatur. Hoc idem probat *Monach.in cap.unico de Clericis conjugatis n.*6. ibique *Franc.*

Undè hoc casu non solùm habetur ratio, an quando Judex apprehendit Clericum conjugatum, dictus Clericus sit in habitu, vel non, ut primo casu remittatur ad Judicem Ecclesiasticum; secundo non ita, ut clarè habetur ex *Capella Tholosana decis.*104. 144. *&* 147.
30 ubi nunquam consideratur tempus delicti, sed solùm tempus capturæ personæ, quam sequitur *Clarus qu.*39. *vers. sed quid si Clericus*, ubi ait, Clericum conjugatum, qui fuit condemnatus à laico eo tempore, quo non ferebat habitum, si ante capturam illum reassumpserit, non posse amplius à Judice seculari nec capi, nec puniri: idem expressius tradit *Marsil.singul.*488., ubi ait, communem esse opinionem, Judicem secularem non posse Clericum conjugatum incedentem in habitu, & tonsura punire pro delicto per eum perpetrato, eo tempore, quo non incedebat in habitu, & tonsura.

Reassumptio tamen habitus Clericalis licita videtur Clerico, etiamsi reassumpserit illum post patratum delictum, ubicumque ille solitus erat habitum Clericalem deferre, itaut dimissio habitus possit dici per accidens, & momentanea; nam tunc cum dicatur semper extitisse sub potestate Judicis Ecclesiastici, nihil ei obstare videtur, quod de tempore delicti habitum, & tonsuram non deferebat: Econtra verò ubi
31 erat solitus incedere sine habitu, & tonsura, propter quod communiter pro laico reputabatur, si de recenti habitum reassumat ante commissum delictum, vel contractum debitum, vel inceptum judicium, non videtur in illo negotio ei suffragari posse privilegium fori, cum
32 reassumptio videatur facta in fraudem, quæ non debet hujusmodi Clericum patrocinari, ut docet *Farinacc. quæst.*8. *n.*66.

n.66. de Graffis d. effectu 1. n.86. Bellett. disqu.Cleric. §.8. n.17. Riccius collect.308. Ciarlin. controv. forens. c.33. n.24. & 25. Pignatell. d. consult.45. à n.17. ad finem.

Posito igitur, quòd Clerici conjugati gaudeant privilegio fori, & exemptio-
33 ne à potestate Judicis laici, non possunt per eosdem Judices laicos carcerari; nam aliter tamquam violatores Immunitatis Ecclesiasticæ incidunt in censuras, *Sacra Congreg. Immunit. in una Hydruntina* 18. *Decembris* 1694. *lib.*1. *Decret. Vallemani*. Quo casu Episcopus
34 loci Ordinarius procedere potest ad censuras Ecclesiasticas contra Ministros laicos, qui audent Clericos conjugatos molestiis afficere, *Sac. Congreg. Immunit. in d. Hydruntina 29. Novemb.* 1694. & in *Bisinianen.* 15. *Novembris* 1704. *lib.*3. *Decret. Vallemani.*

Ita pariter ubi Clericus conjugatus cogendus erit pro solutione debiti, co-
35 ram Judice Ecclesiastico citandus erit, *Sac. Congreg. Immunit. in una Rossanen.* 23. *Martii* 1638. *lib.* 3. *Decret. Paulutii.*

Quotiescumque quis allegat fori privilegium, cum assertiva quod sit Clericus conjugatus, ad effugiendam Judicis laici potestatem: hoc casu ad Judicem
36 Ecclesiasticum spectat cognitio hæc, non autem ad laicum, si incedat in habitu, & tonsura: qui quidem debet infra terminum assignandum ab ipso Ordinario docere de requisitis, ad normam *Textus in d. cap. unico de Clericis conjugatis in* 6. *Sac. Congreg. Immunit. in una Lycien.* 14. *Januar.* 1698. *lib.*2. *Decret. Vallem. Auconitana* 31. *Augusti* 1700. *d. lib.*2.

Gaudent isti Clerici conjugati (dummodò servent omnia contenta in *d. cap. unico de Clericis conjugatis in* 6.) pri-
37 vilegio, ne possint conveniri pro debito ultra quam facere possunt, ad dispofita per *Textum in cap. Odoardus de solutionibus*; undè non erunt cogendi quoad personam, nec mancipandi erunt in carceribus in dedecus status Clericalis, *Scannarol. de Visitat. Carcerat. lib.*3. *cap.*3. *n.*8. & 25. *Pignatell. consult. Canonic. tom.*5. *consult.*46. *n.*90.,

*Rota recent. part.*17. *decis.*302. *n.*15., & *decis.*304. *n.*22. *Squillante* latè *de privil. Cler. cap.*10. quamvis alii dicant non gaudere hoc Beneficio *cap. Odoardus*, ita *Ancharanus in cap. unico de Cleric.conjug. n.6. Natta cons.*319. *n.*6. *Campanil. diversf. Canon. rub.*11. *cap.*10. *n.*50. *Scannarol. d. cap.*3. *n.*23. & 24. *Fagnan. in d. cap. Odoardus n.*23.

Concilia: primam opinionem habere locum quoad exemptionem personæ,
38 secundam verò quoad Bona: undè non valet carcerari; Bona verò illius possunt sequestrari ad instantiam Creditorum, vide *Scannarol.* latè *d.cap.*3.

Quidquid diximus de Clerico conjugato cum unica, & virgine quoad pri-
39 vilegium fori, idem dicendum videtur de ejus uxore. Uxor igitur Clerici conjugati gaudet privilegio fori, aliisque exemptionibus competentibus suo marito, durante mariti vita, *Sanfelicius decis.*14. *n.*1. *Pax Jordan. lucubrat. Canonic. lib.*11. *tit.*3. *n.*104. *Diana resol. moral. part.*3. *tract.*1. *resol.*45. *Pignatell. consult. Canonic. tom.*2. *consult.*42. *Sac.Congreg. Immunit. in una Mileten.* 20. *Novembris* 1640. *Oppiden.* 18. *Julii* 1662. *lib.Decret. Rocci*, & alibi.

Imò etiam mortuo suo viro, dummo-
40 do perseveret in viduali statu, *Diana resol. moral. part.*7. *tract.* 2. *resol.*155. *Sabell. V. Clericus n.*73.

Eodem privilegio gaudet filius Clerici conjugati durante vita patris, cùm
41 omnia privilegia patris videantur communicata filio, *l. omnes, C. de Episcopis, & Clericis, de Graffis d. effect.*1. *n.*189. *Decian. tract. crim. lib.*4. *cap.*9. *n.*49. latè *Pignatell. consult. Canonic. tom.*1. *consult.*98. & 99. Vide.

Uti diximus suprà, ad hoc ut Clerici conjugati gaudere possint exemptione à laicali potestate, inter cętera debent inservire in divinis, juxta disposita per *Textum in d. cap. unico de Clericis conjugatis in* 6. juncta dispositione *Trid. cap.*6. *sess.* 23. *de Reformatione.*

Hinc videre est, an hujusmodi Clerici possint, in defectum Clericorum cęlibū, inservire in ministeriis Altaris. Et dici-
42 mus posse, dummodo sint probatæ vitæ, & non bigami, & ad ea munia obeunda

Ido-

idonei, & qui habitum Clericalem, & tonsuram in Ecclesia gestent, ut habetur ex *Trid. sess.23. cap.17. de Reform. circa finem*.

An valeant exercere munera, & officia laicalia, hic nobis est demonstrandum. Et negativè respondendum videtur, prout alias respondit *Sac.Congreg. Immunit. in una Civitatis Castellanæ 2. Maji* 1651. ubi instante Clerico con-
43 jugato pro declaratione, an Clericis conjugatis liceret exercere officia Magistratns secularis, nempe Sindaci, Prioris, Auditoris, & similium, Sacra Congregatio respondit *Negativè*, ut ex *Pignatello consult.Canon. to.1. consult.47. num.1.*

Imò à Judice laico, ut munus laicale assumant, non possunt cogi, aliter
44 videretur offensa Immunitas Ecclesiastica, *Sacra Congreg. Immunit. in una Hyeracen. 4. Julii 1645. lib.3. Decret. Paulutii*.

In casu verò deficientiæ subditorum
45 habilium, supplicandum erit Sanctissimo pro gratia dispensationis, *Sacra Congreg. Immunit. in una Urbevetana 2. Julii 1698. lib.2. Decret. Vallemani*, & in eadem 10. *Januarii* 1703. *lib. 3. Decret. Vallemani*.

Posito quod Clericus conjugatus munus laicale assumat, quatenus in mune-
46 re ipso deliquerit, an valeat puniri à Judice laico, videre est. Et circa præsens dubium variæ sunt Doctorum Sententiæ: quod possit puniri à Judice laico, docet *Pereyra de manu Regia part.2. cap.48. n.4. Bobadilla in polit. tom.1. lib.2. cap.18. n.99. Cerall. tract. de cognit. per viam violentiæ part.2. qu. 65. num. 14. Excobar de ratiocin. cap. 7. num.7.*

Contrariam verò Sententiam uti veriorem sustinent alii, videlicet ut nullo
47 modo valeat adstringi à Judice laico; sed ubi deliquerit Clericus, de quo suprà in officio, quod debeat conveniri coram suo Judice, *Caball. resol.crimin. casu 64. Clarus quæst.36. n.25. Marta de jurisdict.part.4.cent.2. casu 127.n.5. de Franchis decis.479. n.3. Riccius resol.413. n.2. de Grassis suprà n.82. Ambrosin. de Immunit.Eccles. cap.20.n.54. Del Bene eodem tract. cap.14. dub.11. Squillante de privileg. Cleric. cap. 7. dub.3.n.87. Bonacina de legibus disp.10. qu.2. punct.1. §.1. n.24.*

Demum est videndum, an Clericis conjugatis, qui servant disposita per *Textum in d. cap. unico de Clericis conjugatis in 6.* licitum sit lucrativam negotiationem, ac mercaturam exercere.
48 Et affirmativè respondendum videtur cum *Barbosa de potest. Episc. alleg.12. n.30.*, ubi *Doctores* communiter. Etenim si hoc licitum est Clericis in minoribus non habentibus Beneficium, eo magis videtur permissum Clericis conjugatis, qui de eorum labore, & industria, sibi ipsis, & eorum familiæ victum quærere debent, ita *de Grassis suprà n.87. Pignatell. consult. Canonic. tom.1. consult.481.*, ubi latè.

ARGUMENTUM.

De Clericis bigamis, an & quatenus gaudeant privilegiis Clericalibus, & quinam tales dicantur. Pro delictis commissis ante bigamiam à quo puniendi?

SUMMARIUM.

1 *Bigamus undè dicatur: bigamia quotuplex sit: & quomodo contrahatur*, n.2. & seqq.

2 *Clericus bigamus omnibus privilegiis Clericalibus privatur, & laicali potestati prorsus subjicitur*, n.9.

Neque uxore defuncta potest resumere eadem privilegia, n.11.

Causa tamen delicti commissi ante bigamiam à Judice Ecclesiastico cognoscenda est, n.10.

11 *Episcopus nequit dispensare cum bigamo, ut in Ordinibus susceptis ministret, neque ob penuriam Clericorum*, n.12. & 14.

13 *Dispensatus per Papam à bigamia ad Clericalia privilegia restituitur*.

DISCEPTATIO XXXV.

PRosequentes materiam de Clericis conjugatis, opus est, ut aliquid dicamus, de Clericis bigamis. Et ad in-
1 telligentiam nota, bigamiam tripliciter considerari posse; etenim una dicitur *vera, altera* Interpetrativa, *tertia* Similitudinaria. Vera contrahitur ab illo, qui duas uxores legitimè ducit, easque maritali copula cognoscit, ad *Text. in cap. denique, cap. Acutius 26. distinct. Covarr. in Clement. si furiosus part. 1. §. 2. n. 5. Sayrus de Censuris lib. 6. cap. 3. n. 23. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 83. n. 2. Barbosa de potest. Episcop. alleg. 49. n. 1. Fagnan. in cap. nuper n. 3. de bigamis*: strictè enim, & propriè,
2 & juxtà allusionem vocabuli dicitur bigamus, idest binæ uxoris maritus, & monogamus, qui habuit unicam tantùm, ad *Textum in cap. unius 26. dist.*

Interpetrativa verò dicitur illa, quæ provenit ex eo, quod quis duxit uxo-
3 rem viduam, à primo marito maritali copula cognitam, ad *Textum in cap. si quis viduam, cap. præcipimus 34. dist. cap. quisquis 84. dist. cap. de bigamis, cap. debitum de bigamis non ordinandis, Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 84. n. 7. Barbosa de potest. Episcop. alleg. 49. n. 2. Pax Jordan. lucubr. Canonic. lib. 10. tit. 24. Rota recent. part. 19. decis. 253. num. 1.*

Dixi *à primo marito carnaliter cognita*; etenim si ab illo cognita non fuerit,
4 secundus nomen bigami non meretur, *Sacra Congreg. Concil. in una Senogallien. bigamiæ 10. Decembris 1661. Fagnan. in cap. nuper de bigamis non ordinandis num. 8.*, ubi habetur cum aliis Canonibus, eum, qui de facto contraxit cum vidua, non incurrere pœnam bigamiæ, nisi illa sit corrupta.

Ita pariter non dicitur contracta bigamia, ubicumque quis, carnaliter cognoscendo aliquam viduam, cum qua postea in articulo mortis constituta, matrimonium, servatâ formâ *Tridentini* ad ejus honorem tuendum contra-
5 xit, & matrimonio hujusmodi non consummato, illa e vita decessit: ratiò est quia copula præcessit matrimonium, non autem fuit subsequuta illud ritè celebratum, ut ad dubium propositum ex Sacra Pœnitentiaria respondit *Sacra Congreg. Concil. in una Burgen. bigamiæ 17. Septembris 1688. lib. 38. Decret. fol. 338.*

Similitudinaria dicitur, cùm quis sacro Ordine insignitus, vel solemni-
6 ter professus, cum unica, & virgine, matrimonium contrahit de facto, & eam cognoscit, ad *Text. in cap. quot quot 27. quæst. 1. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 83. num. 2. & disp. 85. per totam, Barbosa suprà num. 5.*

In hac tamen tertia speciè Doctores non conveniunt; nam quidam putant tales incurrere irregularitatem bigamiæ, licèt bigami non sint, quia *Textus* præallegatus dicit. *Quot quot virginitatem pollicitam prævaricatæ sunt professione contempta inter bigamos, idest inter eos, qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debebunt*; & hoc propter similitudinem, ut colligitur ex *Glossa ejusdem Textus*. Etenim per susceptionem sacri Ordinis, vel votum solemne religionis, cum quis dicatur contraxisse spirituale conjugium cum Christo, postea contrahendo matrimonium carnale, censetur quodammodo divisus; & ideò pœnam bigamiæ incurrit ad similitudinem bigami.

Alii verò dicunt, voto solemni adstrictos, de facto contrahentes cum unica,
7. & virgine, esse irregulares propter suspicionem incontinentiæ, & ad majorem Sacramenti Ordinis reverentiam; quorum opinio fundatur in *cap. 1. qui Clerici, vel voventes*, ubi Episcopus peractâ pœnitentiâ dispensat cum Diacono, qui de facto matrimonium contraxit, nec ulla fit mentio de bigamia, & in *cap. 2. eodem titulo*, ubi similiter Episcopus dispensat cum Subdiacono, qui de facto uxorem accepit, ut ad superiores Ordines promoveatur, si ad religionem transire voluerit, & in hanc partem pependit *Sylvester in Summa V. Bigamia*,

His positis, quotiescumque Clericus aliqua ex his speciebus Bigamiæ innodatus fuerit, deradatur privilegio Clerica-

ricali; ac proinde habendus erit ut me-
8 rè laicus: undè ampliùs non valet deferre habitum, & tonsuram Clericalem, ad *Textum in cap. unico de Bigamis non ordinandis in 6. Garz. de Benefic part. 1. cap. 6. num. 2. Pignatell. consult. Canonic. tom. 1. consult. 223. num. 4. Rota recent. part. 5. decis. 450. num. 15. & part. 19. decis. 253. num. 2.*

Hinc pro delictis patratis, postquam
9 effectus fuit Bigamus, in totum subjacet jurisdictioni Judicis laici, *Clarus quaest. 36. num. 7. Barbosa de potestate Episcoporum alleg. 49. num. 16. Panimolla decis. 6. annot. 6. num. 52. & seq. Sacra Congreg. Immunit. in una Bisinianen. 17. Augusti 1655. lib. 5. Decret. Paulutii. Hidruntina 15. Januarii 1658. lib. Decret. Rocci. Alexandrina 30. Martii 1666. lib. Decret. Borromei.*

Secùs tamen videtur, ubi agitur de puniendo delicto commisso, antequam
10 effectus quis fuerit Bigamus; nam licèt Clericus per bigamiam efficiatur subditus laici Judicis; nihilominus quando delictum commissum fuit tempore, quo erat subditus Episcopi, hoc casu propter jus acquisitum ab illo, declinare potest Judicium laici Judicis, *Bajard. ad Clarum dicta quaest. 36. num. 46. de Franchis decis. 417. num. 4. Barbosa de potest. Episcop. alleg. 12. num. 6. Squillante de privileg. Cleric. cap. 7. n. 110. Carolus de Grassis de effect. Cleric. effect. 1. n. 647. Diana resol. moral. part. 9. tract. 2. resol. 149. Panimolla decis. 6. annot. 6. num. 43. & seq. Sacra Congreg. Immunitatis in una Nullius Garopoli 9. Septembris 1631.*

Undè neque mortua uxore, valet Clericus Bigamus reassumere privile-
11 gia Clericalia, ut de Clericis conjugatis cum unica, & virgine: neque Episcopus Loci Ordinarius valet dispensare cum sibi subdito, ut in Ordinibus susceptis exerceat, *Sacra Congregatio Concilii in una Feretiana 13. Aprilis 1630.*

Quòd Episcopus non possit dispensare super Bigamia, etiam existente pe-
12 nuria Clericorum, clarè patet ex quadam resolutione *Sacrae Congreg. Immunit. in una Hicotenen. 23. Junii 1693. lib. 1. Decret. Vallemani.* Et quatenus fuerit dispensatus, non gaudet privilegiis Clericalibus, *Sacra Congreg. in d. Hicotenen.*

Dispensationem verò ubicunque obtinuerit à Papa super Bigamia, tunc
13 recuperat omnia antiqua privilegia, *Sacra Congreg. Immunitatis in una Mediolanen. 18. Junii 1662.* & in altera *Bisinian. 28. Aprilis 1671. lib. 1. Decret. Altoviti.*

Non solùm Clericis Bigamis videtur interdictum, ne possint exercere in Of-
14 ficio Ordinis suscepti, sed etiam pariter, ne possint ascendere ad reliquos Ordines; ad cujus intelligentiam vide quae per *nos* adnotata videntur sub titulo *de Bigamis non ordinandis.*

ARGUMENTUM.

De Clericis graecis, sive Orientalibus, sive Occidentalibus, ubi de illorum Privilegiis, & an illa communicentur eorum uxoribus, & filiis.

SUMMARIUM.

1 *Clerici Graeci conjugati, qui unicam, & virginem susceperunt uxorem, gaudent privilegiis Clericalibus, quemadmodum Clerici caelibes latini*, & num. 10. & 12.

Et possunt etiam altaris Ministerio inservire, num. 13.

Declara nisi ritu latino ordinati fuerint, num. 15.

2 *Clericis Graecis post contractum matrimonium licitum est ad sacros Ordines se promoveri facere, minimè verò à sacris Ordinibus ad carnalia vota transire.*

3 *Clerici Graeci Bigami nulliter ad sacros Ordines ascendunt, nec fruuntur Ecclesiasticis privilegiis, nisi aliter de consuetudine immemorabili servetur*, num. 14.

4 *Clericis Graecis conjugatis cur permissum sit Ordines sacros suscipere.*

5 *Votum continentiae quoad Clericos Ecle-*

clesiæ occidentalis, sacris Ordinibus tacitè inest.

Hoc tamen est de jure positivo Ecclesiæ; adeout ex dispensatione Papæ possunt ordinati in sacris matrimonium contrahere, num. 6. & seq.

8 *Sacerdos Græcus conveniens non est, quod in Ecclesia latina more Græco vivat uxoratus.*

9 *Constitutiones Pontificiæ super continentia Clericorum, non comprehendunt Græcos.*

11 *Clerici Græci in hisce occidentalibus partibus Ecclesias obtinentes, non nisi in alios Græcos jurisdictionem spiritualem valent exercere.*

16 *Uxor Clerici Græci, eorumque etiam filii gaudent privilegio fori*, & n.17. cum seq.

19 *Clerici Græci quamvis conjugati gaudent exemptionibus Clericorum.*

Declara, ut num.20.

DISCEPTATIO XXXVI.

QUia in corpore hujus præsentis tituli *de Clericis conjugatis*, & signanter *in cap. cum olim*, de Clericis Græcis sermo habetur, nobis visum fuit de Clericis ipsis Græcis conjugatis nonnulla adnotare: signanter circa fori privilegium, & an eo gaudeant eorum filii, & uxores cujuscumque respectivè; & de aliis ad materiam. Clerici igitur orientalis Ecclesiæ, quia votum continentiæ non emittunt; undè uxorem ducere valent unicam, & virginem, privilegiis, quibus gaudent nostri Clerici occidentalis Ecclesiæ, gaudent &
1 ipsi: compatibile enim videtur eisdem conjugium spirituale, & conjugium carnale, dummodo ad sacros Ordines ascenderit post jam contractum matrimonium; nam aliter, secùs, ad *Textum in d. cap. cum olim de Clericis conjugatis*, ubi *Abbas*, & *Canonistæ* communiter.

Notetur ad hoc, quod quamvis Græcis in minoribus Ordinibus liceat post
2 conjugium ad sacros Ordines ascendere, & matrimonio antea contracto uti, ut per *Carolum de Graffis de effect. Clericatus effectu 5. num.41. Sanchez de matrim. lib.7. disp.18. num.5.*

Matrimonium verò inire non valent Clerici Græci post susceptos sacros Or-
3 dines: nàm aliàs illud irritum erit, sicuti quoque irritè ascendunt ad sacros Ordines, ubi Bigami fuerint, nisi intercedente Romani Pontificis dispensatione.

Quare autem hoc eisdem permissum sit, & non Clericis ritus latini, ut ni-
4 mirum possint matrimonium inire, & ad sacros Ordines promoveri, ea est, uti dixi, quia orientalis Ecclesia votum continentiæ non exigit, ad *Textum in d. cap. cum olim suprà vers. orientalis Ecclesia*.

Nostræ verò Occidentalis Ecclesiæ Clerici, cum ad sacros Ordines pro-
5 moventur, tacitè castitatem promittunt, & ita hujusmodi continentiæ votum esse sacris Ordinibus annexum, tenet *Henriquez in Summa lib.12. tit. de Sacram. Ordinis cap.14. n.7. & lib.12. de matrim. cap.5. num.9. Barbosa de Episcop. alleg.15. num.2.* & *Doctores* communiter.

Quod quidem introductum est ex constitutione Ecclesiæ; undè continen-
6 tia solo præcepto Ecclesiæ sacris Ordinibus est annexa, *Card. Bellarm. de Clericis lib.1. cap.18.* ad *Text. in dicto cap. cum olim de Clericis conjugatis*.

Et proinde Papa dispensare potest, ut promoti ad sacros Ordines matrimo-
7 nium contrahant, *Abbas in d. cap. cum olim num.5. Barbosa d. alleg.15. n.20.* Sicuti in effectu multoties dispensavit, ut *Nos* sub *titulo de sponsalibus, & matrimonio*.

Clericus Græcus non potest habere Ecclesiam inter latinos, si ille vult ob-
8 servare mores suæ patriæ, scilicet accipere uxorem, ne variis ritibus coinquinetur honestas Ecclesiæ, ad *Text. in cap. cum secundum de tempor. ordin. Abbas ad Textum in cap. cum olim n.1. de Clericis conjugatis*.

Nota hic, quòd licèt Græci sint Christiani, & sic subditi potestati Papæ; at-
9 tamen non peccant, non servando legem Papæ editam super continentia Cle-

Clericorum; nam videtur quod Papa tacendo voluisset approbare mores eorum, undè videntur excusati, continentiam non servando. Vide quæ latè *Abbas suprà ad citatum Textum in cap. cum olim de Clericis conjugatis*.

Quid quid diximus de Clericis Græcis orientalibus, videtur dicendum de
10 Clericis Græcis, qui per nos dicuntur *Albanenses*, seu *Clerici Græci Itali*, de quibus in quampluribus locis nostræ Italiæ, & signanter in nostro Regno Neapolitano, & in Regno Siciliæ: & habent isti plura Oppida, conviventes sub ritu Græco; isti tales, ubi verè servatur ritus Græcus, possunt ducere uxorem, & ad sacros Ordines ascendere.

Illorum jurisdictio extenditur ad eos de eorum natione, & sub ritu Græco
11 viventes, & non aliter. Undè eisdem videtur interdictum, ne possint ministrare Sacramenta iis, qui vivunt sub ritu latino, licèt existant intra eorum Parochiam, sed ea recipere isti debent à Sacerdote ordinato sub ritu latino, *Sacra Congreg. Concil. in una Rossanen. 19. Julii 1653*.

Græci sive orientales, sive Græci Itali dicti, sive Albanenses, dummodo non
12 fuerint bigami, gaudent iisdem privilegiis, quibus gaudent Clerici latini, licèt sint conjugati cum unica & virgine; etenim conjugium in eis non operatur, ut veniant exclusi certis privilegiis, quibus veniunt exclusi Clerici latini conjugati, *Sacra Congreg. Immunitatis in una Regien. 27. Septembris 1632. Lycien. 2. Julii 1647. Cassanen. 2. Decembris 1698*.

Gaudent privilegio, ut possint habere uxorem, & ministerio Altaris in-
13 servire; dummodo unicam, & virginem duxerint uxorem; nam ubicumque bigami fuerint, ad sacros Ordines promoveri non valent, neque gaudent aliis privilegiis, sed remanent exclusi, sicuti veniunt exclusi Clerici latini, ubi bigami fuerint, ut nos in præcedenti, *Sacra Congreg. Immunitatis in una Rossanen. 28. Septembris 1666. Pignatell.* latè *consult. Canonic. tom. 2. consult. 39*.

Nisi aliter constet introductum fui-
14 se ex immemorabili consuetudine, *Pignatell. suprà num. 5*.

Isti Clerici Græci conjugati, ad hoc ut possint habere uxorem, & ad Sacerdotium ascendere; opus est quod priùs ducant uxorem, & deinde ascendere ad sacros Ordines; nec non ut ordinen-
15 tur sub ritu Græco: nam aliàs, si fuerint ordinati sub ritu latino, deinde transire non valent ad ritum Græcum, & gaudere privilegiis, quibus potiuntur Clerici Græci, *Sacra Congregatio Sanctissimæ Inquisitionis de Urbe in una Hidruntina 16. Martii 1644. Sacra Congregatio Immunitatis in una Larinensi, & Sypontina 7. Julii 1677*.

Circa uxorem Clerici Græci, scias quod illa, vivente suo marito, gaudet
16 privilegio fori; *Sacra Congreg. Immunitatis in una Rossanen. 7. Septembris 1657*.

Filii pariter Clerici Græci gau-
17 dent iisdem privilegiis, quibus fruitur eorum pater, *Sacra Congreg. Immunitatis in una Cassanen. 21. Martii 1645*.

Mortuo etiam eorum patre convi-
18 ventes cum matre vidua gaudent privilegio fori, *Sacra Congregat. Immunitatis in una Nullius S. Mariæ del Patiro 15. Martii 1678*.

Clerici Græci sive orientalis Ecclesiæ, sive occidentalis, sive sint in primâ tonsurâ tantùm constituti, sive in minoribus Ordinibus, quamvis non habeant Beneficium, & non servent conditiones à Tridentino requisitas, incedendi scilicet in habitu, & tonsura, & inserviendi Ecclesiæ, cui adscripti sunt,
19 gaudent non solùm privilegio Canonis, & fori, sed etiam exemptione gabellarum; cum qualitas conjugalis in illis tamquam licita, & compatibilis cum Clericatu, eosdem non diversificet, neque ejus connaturalia privilegia tollat: siquidem post separationem Ecclesiæ orientalis ab occidentali, & post translatum imperium à Græcis ad Germanos sub Leone III. illi non ligantur legibus Pontificis, quæ de novo pro Ecclesiasticis conduntur, etiam in Conciliis gene-

generalibus : ita *Vasquez in 3. parte tom. 3. disput. 248. num. 2. Quaranta in Summa Bull. V. Græcorum ritus, Squillante de privileg. Cleric. cap. 7. num. 16. & cap. 8. num. 11. Carol. de Graff. de effect. Cleric. effect. 1. num. 82. Thomas del Bene de Immun. Eccles. part. 1. cap. 1. dub. 8. num. 1. Card. de Luca de Regul. disc. 60. num. 4.*

Clerici verò prædicti, licet ex antiqua origine orientales fuerint, viventes intra viscera Ecclesiæ latinæ in statu conjugali, si fuerint in minoribus, non gaudent exemptione gabellarum; secùs si fuerint in majoribus Ordinibus con-
20 stituti; cum circa hoc nulla videatur subesse differentia inter illos, & Clericos latinos, cum ex quadam permissione, seu tolerantia Sedis Apostolicæ, liceat eis status conjugalis, ut novissimè *idem de Luca d. disc. 60. à num. 12. usque ad finem.*

ARGUMENTUM.

Clerici, qui dicuntur in nostro Regno Silvatici, *sive Diaconi silvatici, quibus privilegiis potiantur, demonstrabimus.*

SUMMARIUM.

1 *Clerici silvatici cur tales nuncupentur.*

2 *Clericorum silvaticorum numerus refrenatus extat ex declaratione Sac. Congregationis Immunitatis*, & num. 7. cum seqq.

3 *Clerici silvatici quales esse debeant, ut privilegiis Clericorum gaudeant: & quibus privilegiis de jure, sive ex consuetudine uti valeant*, ut num. 4. ad finem.

DISCEPTATIO XXXVII.

Clerici, qui aliàs dicuntur in nostro Regno Diaconi *silvatici*, sunt quidam homines, qui ab Episcopo loci Ordinario destinantur pro servitio suæ Cathedralis Ecclesiæ, necnon aliarum Ec-
1 clesiarum Diœcesis; at quia multoties per Episcopos deputabantur extra necessitatem, in præjudicium Regalis jurisdictionis, hinc porrecto libello in Sacra Congregatione ad instantiam Ministrorum Regalis jurisdictionis, fuit resolutum, ut infra.

Decretum Sacræ Congregationis Immunitatis emanatum 22. Junii 1623.

Sacra Congregatio certior reddita, in nonnullis Regni Neapolitani Diœcesibus Diaconos, quos vocant silvaticos, in maximum numerum citra Ecclesiarum necessitatem, aut utilitatem excrevisse. Volens eorumdem exemptionis causa declarare, & fraudibus quibuscumque occurrere, de S. D. N. Gregorii XV. mandato, Diaconos silvaticos hujusmodi pro Ecclesiarum, & Episcoporum servitio retineri, vel in locum quoquomodo deficientium assumi posse. In Cathedralibus, seu superioribus Ecclesiis ad summum quatuor. In Collegiatis, vel Parochialibus duos. In aliis verò Ecclesiis, in quibus divina celebrantur, si Episcopo videbitur, unum.

Quos quidem Episcopi prorsus gratis, & tales, qui omnino per se ipsos, non au-
2 *tem per interpositam personam, servitium debitum præstent, nec nullo modo criminosos, aut malæ conditionis, & famæ eligere debebunt, aliàs, & hi nullo gaudeant privilegio, & eligentes judicium Sedis Apostolicæ severum experientur.*

Eos verò privilegio Canonis non gaudere, fori autem privilegio in crimina-
3 *libus omninò, in civilibus, quoad corporis districtionem tantum, & immunitatem ab oneribus personalibus, non autem ab aliis, durante servitio, frui debere.*

Sed si alicubi majoribus utantur privilegiis, & immunitatibus, ex legiti-
4 *ma consuetudine, cujus cognitionem, & declarationem in casu controversiæ eadem Sacra Congregatio sibi reservat, illam debere attendi: cognitionem verò aliorum præmissorum ad Ordinarios locorum, hoc præsenti decreta statuit, præ-*

præcepit, & declaravit. Datum die &c. ut suprà.

Ad normam dicti Decreti quamplures postea emanarunt Resolutiones per
5 ipsam Sacram Congregationem Immunitatis. Undè mandat, ut illi eligantur ab Episcopo ad formam dicti Decreti, aliàs non gaudere privilegio prædicto, *Sacra Congreg. Immunit. in una Ugentina 8. Aprilis 1631. lib. 2. Decret. Paulutii.* Mandat, ut circa numerum om-
6 nino servetur Decretum prædictum, ut *in una Regien. 20. Aprilis 1667. Cathacen. 25. Januarii 1689. Melphiten. 13. Martii 1692. Nullius Atini 1. Martii 1695.* & alibi. Undè non valent Ordinarii locorum circa numerum trascendere limites hujus supradicti Decreti.

Habetur suprà ex dicto generali Decreto, posse Episcopum deputare unum
7 Clericum pro Ecclesia inferiori: videndum est, an Ecclesia, ubi non indigeat diuturno servitio, eo quia duæ Missæ, pro qualibet hebdomada celebrantur in illa, possit Episcopus deputare illi Diaconum sylvaticum; & affirmativè videtur respondendum cum eadem *Sacra Congreg. Immunitatis in una Oppiden. 17. Martii 1659.* Secùs videtur, ubicumque in illa Ecclesia celebratur
8 semel, vel bis in anno, eadem *Sacra Congreg. Immunit. in una Materanen. 13. Aprilis 1660.* & in altera *Sanctæ Severinæ 28. Augusti 1663. lib. Decret. Rocci.*

Ad hoc munus eligi possunt non solùm viles, sed etiam nobiles Civitatis,
9 vel loci. Episcopus verò prudenti dexteritate curare debet, ut nobiles abstineant ab hoc officio, *Sacra Congreg. Immunitatis in una Hyeracen. 4. Julii 1645. lib. 3. Decret. Paulutii ad dubium primum.* Ubi *ad dubium secundum* habetur, Clericos hujusmodi non esse immunes ab hospitatione militum, ac teneri contribuere in pecunia, vel in mobilibus pro dicto hospitio, in alia domo habendo: ibique *ad tertium dubium* respondit, Clericos hujusmodi in
10 civilibus conveniri non posse coram Judice laico, nec executionem fieri posse per eundem Judicem laicum in eorum Bonis: *ad quartum* verò *dubium* dicit, uxores eorumdem Clericorum silvati-
11 corum gaudere immunitate, & privilegio, quibus potiuntur eorum mariti: *ad quintum* videtur resolutum, per eandem *Sacram Congreg. in d. Hyeracen.* non posse Diaconos silvaticos, ubi
12 inviti fuerint, eligi in Syndicos, ac ad cœtera officia ejusdem universitatis obeunda.

An hujusmodi Diaconi silvatici teneantur ad solutionem onerum fisca-
13 lium, pro Foculare, & ut dicitur *del Focolare*, & cum sit onus personale, ab eo veniunt exempti, ut resolutum habemus ex eadem *Sacra Congregatio Immunitatis in una Oppiden. 17. Novembris 1654. lib. 5. Decret. Paulutii.*

At quia *Sacra Congregatio in dicto Decreto generali*, de quo suprà, dixit non esse suæ intentionis derogare consuetudini aliàs legitimè introductæ favore hujusmodi Clericorum silvaticorum: ideò dicimus, quod licèt isti non gaudeant, nisi privilegio fori: nihilo-
14 minus attentâ consuetudine loci legitimè introducta, gaudent privilegio Canonis; undè ea consuetudine existente, Clericum silvaticum percutiens incidit in censuras, *Sacra Congreg. Immunitatis in una Laquedonen. 22. Julii 1630.*

Item attentâ consuetudine gaudent hujusmodi Diaconi silvatici privilegio
15 fori tàm in civilibus, quàm in criminalibus, eadem *Sacra Congregatio Immunitatis in una Materanen. 23. Februarii 1638. lib. 3. Decret. Paulutii.*

Item datâ legitimâ consuetudine eximuntur ab oneribus realibus, &
16 mixtis, eadem *Sacra Congregatio Immunitat. in una Bellicastien. 24. Martii 1637.* & in altera *Cassanen. 26. Julii 1644.*

Item datâ legitimâ consuetudine, eximuntur à taxa pro Medico, Via,
17 Ponte, Fonte, & simili, eadem *Sacra Congreg. Immunitatis in una Nerinoten. 16. Septembris 1630.*

Item ab oneribus fiscalibus, datâ
18 legitimâ consuetudine, eadem *Sacra Con-*

Congregatio Immunitatis in una Insulana 8. *Augusti* 1702.

Item datâ legitimâ consuetudine, (aliàs secùs,) filius Clerici silvatici gaudet privilegio fori, eadem *Sacra Congregatio Immunitatis in una Rossanen. S. Benedicti de Ullano* 28. *Julii* 1711.

F I N I S.

IN-

INDEX VERBORUM.

A

Actus

Bene-

C

 Ca-

Cano-

sunt

Cle-

Cle-

cio

cum

 Col-

Cu-

E

Epi-

Gra-

H

I

N

O

Paro-

Pœ-

cra-

Præ-

S

T

Trans-

Vica-

Vi-

Vi-

F I N I S.

